FLAGELLVM HÆRETICORVM FASCINARIORVM, AVTORE

F. NICOLAO IAQVERIO, ORDINIS fr. Prædicatorum, & olim Hæreticæ prauitatis Inquisitore.

HIS RECENS ACCESSERVNT

D. LAMBERTI DANAEI de Veneficis, quos vulgo Sortiarios vocant, DIALOGI.

D. IOACHIMI CAMERARII Pabebergensis, in Plutarchi de Oraculorum defectu, EPISTOLA.

D. MARTINI DE ARLES S. Theologiæ professoris, Canonici, &c de Superstitionibus TRACTATVS.

IOANNIS TRITHEMII de Reprobis atq; Maleficis QVAESTIONES III. ad Maximil. I. Imp. Rom.

Item

D. THOMAE ERASTI de Strigibus LIBER.

Summo studio & industria F. Ioan. Myntzenbergij ordinis Carmelitarum edita.

Quæ præterea in hoc libro tradantur INDEX copiosus docebit.

Ad usum Fr. Min. Reg. Observ. Episcopij 1671.

Cum Gratia & Priuileg. Cæsar. Maiest. ad decennium.

FRANCOFVRTI AD MOENVM,

M. D. LXXXI.

Jacquier, Nicolas.

CORNELL UNIVERSITY.
The
President White
Library
RECEIVED 1891.

~~7440 J15U~~

A.4645.

REVERENDO, PIETATE, ERVDITIONE AC MORVM INTEgritate eximio viro, Domino VVernero VVintero, inſignis Monaſterij ac Abbatiæ Arnſpurgenſis Burſario vigilantiſsimo, F. Ioan. Myntzenburgius Carmelita S. P. D.

CVM PLERAQVE MAGNOrum artificum opera egregia hoc habeant peculiare, vt ſuos nō ſolùm autores, quorum opera, ingenioq́; ortus ſui auſpicia ferunt accepta, verùm etiam, omnes quicunq; vel in corruptis priſtinæ integritati reſtituendis, vel obſitis ſitu expoliendis, aliquam induſtriæ ſuæ portionē contulere, quibúsve dicata fuere, famæ celebritate nobilitent: tùm verò ex his monumentis, quæ vitæ mortalium inſignē aliquam adferunt vtilitatem, vera illuſtribus ſolet contingere artificibus gloria, nominisq; celebritas. Quantacunq; enim illa ſint egregiorum artificum opera, vel ad opum & magnificentiæ, vel ad ingenij oſtentationem comparata, ea tamen omnia de ſtatu & dignitate ſua tandem deturbata, vetuſtas ita conſumit, vt præter rei memoriam, ne rudera quidem ſuperſint. Mauſoleum celeberrimum illud Cariæ Regis ſepulchrum, tantaq; operis magnificentia,

centia, vt inter septem mundi miracula vulgò referri-tur, extructum, pijsq; mariti manibus & memoriæ à dilectißima coniuge Artemisia consecratum, quàm sese abs temporis, omnia exedentis, iniuria vindicare non potuerit, manifestum est. Reginæ saltem Pietas, operisq; præstantia & amplitudo, nec non artificum solertia, ingenijq; acumen, nominis ad posteros, literarum beneficio, conseruationem meretur sempiternam. Hi enim cum opere inchoato, nec dum absoluto, Regina Artemisia obiret, ab instituto tamen, quoad extremã manum imponerent, non destiterunt, id nimirum gloriæ suæ, artisq; monumentum fore iudicantes: neq; eos omninò spes fefellit. Non minori cum admiratione paßim apud Historiarum scriptores, celebrantur Pyramidum Aegyptiarum structuræ, mole magnitudinis propemodum infinitæ: quæ (vt Plinij verbis vtar) præter ociosam & stultam pecuniæ Regum ostentationem nihil habent. Causa enim faciendi eas, à plerisq; traditur, ne successoribus, aut æmulis insidiantibus, pecuniam facerent reliquam, aut ne plebs esset ociosa. Vt maximè autem operis præstantia, sumtuumq; ac impensarum magnitudine miracula sint: trium siquidem celeberrimarum, quæ inter Memphim & Delta oppidum fuerunt, alteram & quidem amplißimam, ex Arabicis constantem lapicidinis, trecenta sexaginta hominum millia annis viginti construxisse produntur. Inter plurimos tamen, qui de ijs scripserunt, à quibus factæ sint, non constat: iustißimo casu oblitteratis, tantæ vanitatis autoribus. Hæc igitur & similia monumenta, in quibus exædifi-

candis,

candis, ornandis, amplificandisq́; superstitiosa, nullis pepercit sumtibus antiquitas, etsi delectant quidem artis & ingenij miraculo, nullo tamen iuuant vsu, famamq́; verius, quàm gloriam suis pariunt autoribus. Plus autem veræ laudis promeruerunt, qui extructis pontibus, thermis & aquæductibus, vtilitatem cum operum magnificentia, coniunxerunt. Inter hos autem omnes palma, & quidem meritò debetur his, qui vel ipsi eruditionis, ingenijq́; præclara quædam Reipub. litterariæ profutura, reliquerunt monumenta: vel in bonorum Autorum scriptis ad posteritatem conseruandis vtilem nauarunt operam. Quis enim C. Iulij Cæsaris, maximi illius Monarchæ, totiusq́; ferè orbis Domitoris potentissimi, non miretur prudentiam singularem, grataq́; animi memoria summis semper laudibus, insignem celebret munificentiam, qua in anni ratione, ad Solem accõmodata, quam etiamnum vsurpamus, opera Sosigenis Mathematici constituenda vsus est? Regum sanè suorum profusiones immodicas, immensamq́; Pyramidum altitudinem laudibus in cœlum ferant Aegyptij: Horum tamen famam, longo post se relinquet interuallo hæc C. Cæsaris, non dico rerum ab se præclarè gestarum gloria, sed quam ex hac anni ad certam plenitudinem descriptione, dierum, Mensiumq́; distinctione, punctorum tropicorum ad propriam sedem reductione parauit. In pactis enim, in Iudicijs, ac operis tàm rusticis, quàm œconomicis, studiorum deniq́; continuatione, alijsq́; actionibus omnibus, temporum distinctione carere nullo modo possumus. Imò amplissimo hoc bene-

ficio, vniuersum se terrarum orbem Cæsaris deuinctum semper cineribus, fateri necesse est. Immensis sumtuosissimum Regis sui sepulchrum laudibus iactitent Cares: Celebretur etiam hac in re, non minus Artemisiæ synceri erga coniugem amoris significatio, maiorem tamen merebitur laudem Augusti Cæsaris erga vniuersam posteritatem pietas, quod diuinum Virgilij Maronis opus, ex Autoris Testamento igni cremandum, autoritate Imperatoria interposita, cum insigni ac verè digna Imperatore voce: Viuat in æternum diuini Musa Maronis, ad posteros transmisit. At verò inter alios, quibus doctrinæ scientia nominis cõtigit celebritas, non immeritò à viris eruditis recensetur hic noster Iaquerius. Eius nunc opus, cui titulum fecit: Flagellum Hæreticorum fascinariorum, viuum ac spirans ingenij sui excellentis monumentum, vltra centum annos in Bibliotheca nostra reseruatum hactenus, typis committere, publicumq; facere, propter mirum, quod præ se fert eruditionis specimen, vsumq; in vita communi, atq; Ecclesia Dei amplißimum, non dubitaui. Cum enim, vt verè Hiob inquit, Militia sit hominis vita super terram, in qua singulis momentis pij, cum propria carnis infirmitate, cum mundi illecebris ac terriculamentis, tandem verò omnium maximè cum hoste Dei, hominumq;, Diabolo, atq; organis ipsius confligantur, oportet, vt cum singuli pij armis ad conflictum, necessarijs instructi, tum vel maxime speculatores Israël, quibus cura Ecclesiæ diuinitus commendata est, prudentia, rerumq; vsu sint confirmati, vt subditos sibi ciues, ab insultibus

hostis

hostis illius violentissimis, tutos præstare possint. Et vt boni Imperatoris, reiq; militaris periti est, non tantùm de commeatu solicitum esse, castris locum deligere conuenientem, ad pugnam milites cohortari, animumq; timidis addere: sed omnium maximè, ne quid detrimenti, quantum quidem eius fieri potest, exercitus capiat, pugnaq; minimo cum periculo committatur, operam dare: ita hic noster Iaquerius, diu multumq; non in hac militari, sed illa spirituali palestra exercitatus, boni Imperatoris officio fungens, in hoc libello, præcipuis ipsius Diaboli & organorum ipsius maleficorum patefactis insidijs, præstigijsq;, patrum exemplis, quo pacto vel ictus hostis cauendi, vel si vitare non possis, excipiendi sint: modum item ac rationem coërcendi, maleficos hæreticos, demonstrat. Perierat nobis hoc munus, nisi fato quodam, vel potius diuina prouidentia conseruatum, & à tinearum, temporisq; iniuria vindicatum suo exemplo, re, atq; euentu comprobasset, verè in versu dictum:

Vt viuat Genium debet habere liber.

Dubium igitur non est, diuinitus vtilissimi huius libelli vsuram nobis concessam. Et ne ingrati erga Numinis maiestatem videamur, oblatam hanc occasionem, arripiendam, libellum ipsum è tenebris erutum, luce donandum, & vt ex ruinis penè deploratis, orbi quasi renasceretur, faciendum putauimus.

Adiunximus autem propter argumenti similitudinem, & alia quędam lectu non minus iucunda, quàm cognitu necessaria, scituq; vtilia scripta,

ex optimis quibusq; nostræ & superioris ætatis Autoribus collecta, vt & huius Autoris lectio, aliorum collatione, fieret illustrior, nec non opusculorum varietate gratior, ac tandem, vt etiam plus inde vtilitatis, atq; emolumenti Reipub. litterariæ accederet. Primum autem vtilissimos D. Lamberti Danæi de Veneficis, quos vulgo Sortiarios vocant, Dialogos: Clarissimi item Ocelli illius Germaniæ D. Ioachimi Camerarij Senioris, in elegantissimam Plutarchi, de Oraculorum defectu disputationem Proëmium. Præterea Reuerendi viri D. Martini de Arles S. Theologiæ Professoris, Canonici & Archidiaconi Ecclesiæ vallis de Aybar, in Regno Nauarræ Tractatum de Superstitionibus subiungi curauimus. Vnà cum Ioannis Trithemij, Abbatis Spanheimensis celeberrimi, de Reprobis atq; Maleficis discertatione, tres ex octo ad Diuum Maximilianum I. Imp. Rom. quæstiones continente. Postremum tandem assignauimus locum Dn. D. Thomæ Erasti de Strigibus libello præstantissimo. Cùm autem singulorum ea sit præstantia, vt eruditionémne, atq; artificium in ijs, an vero insignem vtilitatem magis mirari quis debeat, in dubio sit, coniunctam eorum, cum nostro Iaquerio lectionem cò gratiorem atq; vtiliorem fore sperauimus. Cæterum vt in picturis quibusdam, artis exquisitæ, semper oculis contemplantium, offert sese noui quippiam, quod admirentur: ita in enucleando Iaquerio versantibus, nunquã defuturum est, quod sarciendum sit. Festiuiter quidem dictum est à Plauto: Negotij sibi qui volet vim comparare, nauim & mulierem, hæc duo comparato: Nam

nullæ

*nullæ res magis duæ plus negotij habent. Idem seriò ve-
req; dici potest, nunquam ei defuturum negotium, qui
in Iaquerio restituendo, velit operam sumere. Vt enim
nil aliud, librariorum certe quorundam incuria facit,
vt in probatißimis quibusq; scriptoribus, semper eru-
ditis viris retexenda sit, vt ita dicam, tela Penelopes,
quandoquidem ijdem Typographi quotidie plus depra-
uant sua socordia, quam eruditorum diligentia poßit
reponi. Nonnullorum operum ea fuit diuinitas, vt om-
nium artificum manus, inimitabili quadam artis emi-
nentia deterrerent, vel à supplendo quod erat inchoa-
tum, vel à sarciendo quod erat deprauatum. Inter Apel-
lis opera, duæ potißimum Veneres celebrantur à scri-
ptoribus, altera emergens è mari, altera quam Cois in-
choauit, illam etiam superaturus, nisi mors inuidisset
operi nascenti. Prioris inferiorem partem corruptam,
nullus inuentus est, qui posset reficere, posteriorem im-
perfectam nemo potuit ad præscripta lineamenta per-
ficere. Hac artificum quò magis probanda modestia,
hoc grauius detestanda est illorum negligentia, qui Ia-
querij opus, omnibus omnium sculptorum statuis, picto-
rumq; tabulis, anteponendum, sic describendo corrupe-
runt, vt deuotis in tam eximij autoris exitium animis
conspirasse, quasi videri queant. Atq; id malum, ne lon-
gius paulatim serperet, hominum doctorum oportuit
esse curam, cum vix vllus sit liber dignior, qui studioso-
rum manibus teratur, quod non ex alio citius hauria-
tur rerum multarum cognitio. Quid autem magis de-
cet homines doctos, quam cæteris, vt pietate, ita pru-*

dentia antecellere? Prudentia verò, quæ rerum longo vsu colligitur, non solùm misera est, quemadmodum verè scripsit ille, propterea quod magno multorum malo paratur, verumetiam dispendiosa, vt plerunq; serò contingat. At istas moras nihilo magis fert Respublic. quàm nauis in mari periclitans, nauclerum imperitum, donec proficiat: præsens enim periculum artificem iam promtum requirit. Itaq; non vacat vllam vitæ portionem amittere, nec pueros esse licet, animi canicies adsit oportet, ea non aliunde rectius colligitur, quàm ex hoc opere. Verùm, vt quo cœpi, pergam, quo detestabilior est deprauatorum temeritas, hoc eruditos omnes, pro sua quenq; virili maiore religione admouere manum oportet operi restituendo. Superstitio quidem est, nihil hic audere, cum tàm multis hic ausus felicißimè cesserit. Temeritas est, ex quauis leui coniectura expuncta vetere scriptura, nouam reponere. Candoris tamen est, seorsim annotare, si quid probabilibus argumentis deprehensum erit, & eruditis ad vlteriora peruestiganda, veluti gradum iacere. Atq; vtinam in hoc pulcherrimum negotium conspirarent omnes rei litterariæ Proceres, vt quisq; quod deprehendit, in medium conferat, donec studia litterarum haberemus absoluta. Non leue præmium ostenditur, vel vnus locus restitutus, honestam apud studiosos nominis merebitur memoriam.

In hoc opere verò ita inuigilatum est, vt meo periculo, non dubitem polliceri, nunquam hactenus visum Iaquerium felicius tractatum. Quod reliquum

est,

est, excepto, vt æquus mihi rerum æstimator contingat, qui studium magis, fidem atque voluntatem nostram expendat, quàm, si quid humani admissum fortè fuerit, calumniam nectat, & in peßimam partem dicta factaq; omnia rapiat. Capiant de nobis exemplum, quicunque rei litterariæ benè cupiunt, benigneq; in publicum consulendo, honestißimum rebusq; humanis perquam necessarium studij genus adiuuent, quare non solum à me, sed etiam bonis omnibus immortalem inibunt gratiam.

Tibi verò vir Reuerende, hanc nostram Iaquerij editionem offerre, tuóque nomini consecrare placuit, vt te Patrono, in lucem nunc primùm prodiens, contra virulentos Sycophantarum morsus, in Tuæ Reuerentiæ authoritate, tutus esse poßit. Cùm enim ea sit Reuerendæ tuæ dignitatis religiosa pietas, ea diuinarum & humanarum rerum scientia, eaq; in rebus gerendis, fides atque prudentia, denique erga quosuis Iustitia beneuolentiæ coniuncta singulari, vt vnanimi totius conuentus vestri delectu vnitis omnium suffragijs, maximóque bonorum omnium applausu, non sine diuini Numinis auspicio ærarij Præfectus sis constitutus: Erga me verò atque adeo vniuersum Ordinem nostrum, tot tantáque tua extent & officia & ornamenta, vt vel infima percensere infinitum foret, æquum fuit, vt ad gratitudinem meam vicißim declarandam, Tuæ Reuerentiæ ex omnibus vni omnium virtutum genere maximè conspicuæ, horum tractatuum præsenti libro comprehensorum editionem,

vt sub

vt sub æquo iudicij tui arbitrio, eiusdemq; singulari patrocinio sarta, tectaq; haberetur, cum primis nuncuparem. Tibi igitur Iaquerius noster, quod ex tenebris & squallore pristino tandem eluctatus, luce nunc fruatur clarissima, feret acceptum, tibi si quid hac in re, quod bonis probetur, præstitum erit, debetur. Complecteris igitur, vt nihil quicquam dubito, nos nostrumq; hac in parte studium, tuoq; fauore scripta hæc dignaberis, nostræq; defensionis actus benignè suscipies. Quod si feceris, pro more quidem pristinæ tuæ humanitatis & beneuolentiæ facis, verùm hanc tuorum erga me, vniuersamq; posteritatem meritorum memoriam nulla vnquam delebit obliuio. Hoc & eo nomine mihi erit gratius, quòd talem consequor Iudicem, qui non modò solidioris doctrinæ, & prudentiæ haud vulgaris, modestiæq; insignis testimonio multis prælucet alijs, verùm etiam, quem variarum rerum vsu pollere, amplissimum illud Arnspurgense testatur Monasterium, cuius administratione aliquot annis multa cum laude feliciter es perfunctus, ac etiamnum perfungeris. Hos igitur Tractatus, si ea fronte & animi hilaritate acceperis, qua tibi à me offeruntur: non solùm laboris atq; operæ magnum me fructum percepisse putabo: verùm etiam efficies, vt aliquando, volente Deo, alia quoq; præclara, quo magis studium nostrum quotidiè reddatur auctius, atq; ab omnibus DEI & Seruatoris nostri benignitas prædicetur, in publicum proferam. Te verò Eximie ac Reuerende vir, tuam salutem, studia deniq; vniuersa, atq; adeò Conuentus vestri fratres omnes, ac singulos paternæ

diuini

diuini Numinis curæ ac protectioni commendo, eundemq́; Deum toto pectore ardentibus votis oro, vt felix noui huius Anni auspicium cursum tranquillum, exitumq́; lætum ac salutarem vobis largiatur. Francofurti è Carmelo nostro. Anno ab orbe redempto M. D. LXXXI. Calend. Ianuarij.

FLAGELLVM
HAERETICORVM
FASCINARIORVM, AVTORE FRATRE Nicolao Iaquerio, Ordinis fratrum Prædicatorum, & olim Inquisitore Hæreticæ prauitatis, &c.

FLAGELLVM FASCInariorum, scilicet Hæreticorum, coactus impedimentis officio Inquisitionis frequenter occurrentibus, ego frater Nicolaus Iaqueri, Ordinis fratrum Prædicatorum pusillus, plano stylo facere duxi de diuinis scripturis & sanctorum doctrinis, per quod flagellum de templo Dei, quod est Ecclesia fidelium, eijciantur quædam peruersa dogmata ac stolidæ assertiones, quibus malè suffulti pleriq;, inordinatos fauores & coleratas defensiones percipiuntur hæreticis fascinarijs præstare, in grauem fidei Catholicæ iacturam, fideliumque pusillorum grande præiudicium ac periculosum scandalum. Quemadmodum namque dæmones huius abominabilis sectæ institutores subuertunt homines, & ad ipsam sectam & cæterarum hæresum pessimam conuertunt, vt per eos colan-

colantur. Asserunt igitur pleriq;, fascinarios prædictos operatione Dæmonis intantum in somnis esse fantasticis illusionibus deceptos, vt postmodum vigilantes credant se nocturno tempore in quibusdam locis inuicem & cum Dæmonibus cõuenisse, & ibidem velut in quadam Dæmonum synagoga adorasse, & oblationibus Dæmones ipsos coluisse, & ad eorundem Dæmonum suggestionem, DEVM & fidem catholicam abnegasse, & plura obsequia ibidem Dæmonibus præbuisse, & ab ipsis præmissa suffragia acceptasse, quãuis, vt prædicti assertores prætendũt, præmissa fascinarijs vigilantibus non contingunt in rei veritate, sed solùm interiori dormientium illusione.

Ad fulcimentum autem huius suæ assertionis, quia per simile allegant narrationem de quibusdã mulieribus dudum sic Dæmonum operatione illusis, vt crederent cum Diana & Herodiade nocturno tempore se longa terrarum spacia peragrare, vt recitatur in libro, qui vocatur Decretorum liber, in quodam cap. quod incipit: Episcopi. 26. quæstione 5. Cui capitulo prædicti Assertores vehementer innituntur, tanquam infallibili fulcimento. Addunt prætereà & dicunt, non esse credendum,

dendum, Dæmones habere, nec etiã tantam eis fuiſſe conceſſam poteſtatem ad tot & tanta maleficia perpetranda ad inuocationem ſuorum cultorum faſcinariorum, quot & quanta ipſi faſcinarij confitentur fieri ipſorum Dęmonum, quos colunt patrocinio. Mirum enim videtur pleriſque, vt aſſerunt, & ideò eis incredibile ſumme, bonum & omnipotentem Deum dare aut permittere Dæmonibus hominum inimicis, ab ipſo Deo reprobatis, tantam poteſtatem, ſuper homines fragiles, vt eos tantis, & tam grauibus maleficijs moleſtent non ſolùm in perſonis, immittendo infirmitates, languores, furias, mortes, & innumeras penè vexationes, verùm etiam in deuaſtatione bonorũ exteriorum humanis vſibus conceſſorum. Deindè putant magnum aliquid intonuiſſe, cùm adiungunt; quòd ſi Dæmones tàm magnam haberent ſuper homines & eorum exteriora bona poteſtatem, ipſi celeriter cunctos homines exterminarent, & bona conſumerent, cùm ſint hominum implacabiles inimici: Quod, quia non faciunt & non deſit ipſis dæmonibus peruerſa voluntas, concludere nituntur, quod non eſt in eis ad hoc poteſtas. Fabulãtur vlterius, quod eſto, ita faſcinarij conuenirent cum alijs faſci-

faſcinarijs cõplicibus & Dæmonibus apparentibus in eorum ſynagogis, cùm Dæmones ſint fallaces, ipſi poſſent facere falſas aliquorum fidelium repræſentationes, vt qui verè faſcinarij ſunt, falſis tamen decepti repræſentationibus, & poſtmodum deprehenſi affirment, ſeu aſſerant, eos, quorum fictas & falſas viderunt repræſentationes fuiſſe ſibi complices & conſocios in hæreſis & ſectæ eorum ſcelere, quatenus & ſic à ſeductis Dæmonum fallacia innocentes infamentur & moleſtantur.

Aſſerunt igitur non eſſe ſtandum teſtimonio & aſſertioni hæreticorum faſcinariorum in accuſatione ſeu nominatione aliquorum ſuorum in ſua hæreſi & ſecta ſibi complicum, licèt Ius canonicum diſponat, hæreticorum teſtimonio ſtandum, in nominatione ſeu accuſatione ſuorum cõplicum ſiue participum in hæreſis crimine: Et etiam licèt lex Ciuilis dicat, quòd Hæreticus hæreticum accuſat. Nituntur quoque ſuſtinere, quòd in expeditione & punitione faſcinariorũ ſuper crimine hæreſis huiuſmodi deprehenſorum non debeat diſcerni inter alios hęreticos, qui per aliquam opinionem ſiue aſſertionem erroneam duntaxat deprehenduntur à fide deuiaſſe, & hæreticos faſcinarios hæreti-

corum omnium peſsimos, qui ſunt pariter Idolatræ viliſsimi Dæmonum cultores perfidi. In quorum veneratione ſummum & verum DEVM cum verbis blaſphemis expreſsè abnegant, & eius ſuſceptam prius fidem ab eadem apoſtando, qui prætereà ſunt ſacræ Cruci Domini noſtri IESV Chriſti, & aliorum diuinorum miniſteriorum impudentes prophanatores & conculcatores, & crudeles maleficiorum perpetrationes ac ſcandalizationes ac perturbatores fidelium cæterorum. Has & his ſimiles adinuentiones quotidiè proferunt plurimi in fomentum hæreſis & ſectæ faſcinariorum ac impedimentum extirpationis eius. Quapropter cupiens pro modulo operam dare negotio ſacræ fidei nimium per hanc hæreſim & ſectarũ peſſimam perturbatam, confidens in adiutorio Altiſsimi, hoc Opuſculum aggreſſus ſum: quod per quaſdã particulas, quaſi per quædam Capitula diſtinguere curaui, ex quibus velut quibuſdam funiculis factum & compoſitum reſultet flagellum faſcinariorum.

Caput I. QVID *ſit illudere, & quomodo multipliciter accipitur.*

De faßis repræsentationibus quas Dæmones quandoq; procurant hominibus dormientibus, illudendo eis per interiora phantasmata. II.

De apparitionibus, per quas quandoq; etiam hominibus bonis se præsentes exhibent Dæmones secundum experientiam realem sensuum exteriorum, scilicet: Visus, auditus, tactus, & cæterorum per multa exempla. III.

Quòd Dæmones deceperunt multos homines, apparendo eis ad sensus exteriores. IIII.

De tribus modis quibus Dæmones solent se exhibere præsentes, exterioribus hominum sensibus. V.

Quòd corpora à Dæmonibus formata & assumpta non sunt viua, licèt sint sensibus exterioribus perceptibilia. VI.

De differentia inter sectam & hæresim fascinariorum modernorum & illusionem mulierum, de quibus loquitur c. Episcopi. VII.

Quòd Dæmones specialiter tria genera oblationum exquirunt à suis cultoribus, si ad hoc percipiant ipsos posse inducere. VIII.

De consideratione cautè habenda circa illud c. Epi. IX.

Quòd magna sit Dæmonum potestas, licèt sint à Deo reprobati. X.

De exercitio & effectu potestatis Dæmonum circa homines, temptando de peccatis. XI.

De exercitio & effectu potestatis Dæmonum ad inferendas, infirmitates, dolores, languores, vexationes & impedimenta vsus membrorum & mortem interius duntaxat operando. XII.

XIII. De exercitio & effectu potestatis Dæmonum inferendo, infirmitates, dolores, languores, & cætera nocumenta, & mortem corporibus ab exteriori.

XIIII. Quòd homines multipliciter per diuinam prouidentiam præseruantur & proteguntur aduersus Dæmones.

XV. Quòd Dæmones & eorum cultores malefici mutuo iuuant in maleficiorum perpetratione.

XVI. Quòd Dæmones non semper indigent ministerio suorum cultorum, siue inuocatorum ad maleficiorum perpetrationem.

XVII. De exercitio & effectu potestatis Dæmonum circa elementa & res corporales inferiores.

XVIII. Quòd Deus iustè permittit fascinarios decipi & peruerti à malignis spiritibus.

XIX. Quòd non est mirandum super hoc, quòd Deus quamuis summè bonus & omnipotens permittit in populo suo grauia & multa maleficia perpetrari per maleficos seu fascinarios Hæreticos, Dæmonum operatione & patrocinio.

XX. Quòd Deo salubriter permittente Dæmones suam potestatem exercent circa homines ad eorum probationem salutarem.

XXI. Quòd Deus quandoque permittit Dæmones suam potestatem exercere circa homines peccatores, ad eorum correctionem.

XXII. Quòd Deus prouidè quandoque permittit operatione Dæmonum homines in corporibus vel bonis temporalibus flagellari, propter præseruandas eorum animas à peccatis imminentibus & perditione.

Quòd

Quòd Deus iustè quandoq; permittit Dæmones effectum suæ potestatis exercere super homines impios, propter eorum peccata vindicanda. XXIII.

Quòd diuina sapientia permittit Dæmones, & eorum cultores maleficos fascinarios multa maleficia perpetrare circa homines, ad eruditionem fidelium, quamuis valdè displiceant Deo, tàm malefici, quàm maleficia. XXIIII.

Quòd Dæmones nullam operationem possunt sua naturali potestate exercere circa homines, nisi specialiter ad quamlibet operationem acceperint à Deo permißionem, quæ etiam permißio quandoq; vocatur potestas. XXV.

Quòd accusato à complicibus super hæresi & secta fascinariorum alleganti Dæmonem fecisse falsam de se repræsentationem non est credendum. XXVI.

Quòd Hæretici fascinarij iudicialiter deprehensi, super crimen hæresis & vsu maleficorum non sunt ita admittendi ad consortium fidelium, sicut admittuntur hæretici cæteri facta abiuratione hæreticæ prauitatis. XXVII.

Quòd supposito quòd fascinarij dormiendo illuderentur à Dæmonibus sicut mulieres de quibus loquitur c. Episcopi. Nullatenus tamen excusantur ab hæretica prauitate. XXVIII.

INDEX RERVM AC VERBORVM.

A.

ABACVC translatus ab angelo ex Iudæa in Chaldæam ad Danielem in lacum leonum. 64
Accusato à cōplicibus super hæresi & secta fascinariorum, alleganti Dæmonem fecisse falsam de ipso repræsentationem, non esse credendum. 171
Achab deceptus spiritu mendacij. 153
Actus quidam superstitiosi singulares, qui peraguntur in die sancti Ioannis Baptistæ, & beatorum Petri & Pauli. 360
de Aegyptio quodā historia. 106
Agnetis historia. 91
de Andrea Fundanæ ciuitatis Episcopo, historia. 97
Angelos singulis à Deo datos esse custodes. 110
Angelorum ministeriū. 108.109
Anima quæ peccauerit moriatur. 136
Animæ facultates. 31. partes. 76.77
Animorum duo præcipua discrimina. 347. in hoc genere peccata cōmunia ferè designantur. ibid.
Antonij Aegyptij lucta cum Dæmonibus. 10.141
M. Antonius à quodam vaticinatore admonitus, caueret sibi ab Octauiano Cæsare. 304
Anthidius martyr. 10
Anus plurimas iunioribus quibusdam vehementius prurire. 593
Aquæ lustralis vis & efficacia in depellendis Dæmonibus. 103. 105
Arioli inter maleficos pessimi. 118
Aristophanes. 508
Aristoteles nomine φαρμακεία-ας vtitur ꝓ incātatione. 507

Armatu-

Armatura spiritualis. 94. 95
Astra non imponunt necessitatem in his, quæ concernunt arbitrij libertatem. 368
Athalarici regis Gotthorum dictum. 590
Athenienses Mineruam sibi in Deam elegerunt, derelicto Neptuno. 122

B.

BARTHOLOMAEVS iussu Astragis regis occisus. 155
Balaam. 118
Baro quidam magus in Gallijs conscripsit librum de sangui ne 20. puerorum. 116

C.

CAP. Episcopi, accurata examinatio. 61
Carmen quid sit. 421
Causæ desertionis Sagarũ. 526
Christus à Diabolo in deserto tentatus. 5
an Christus & Apostoli Sagarum causa ægrotantem sanarint. 569
Christiano homine vtrùm liceat Sortiariorũ opera & auxilio in morbo, alijsq; rebus vti. 283
Christianos decet lenitas verbo Dei præfinita. 589
Chrystalli vsus. 323. 324
Cleonices anima necromantici opera ab inferis euocata, Pausaniæ conspectui sese obtulit. 314
Concubitus impotentia quot modis efficiatur. 89. si per maleficium contigerit, non ad necromãticos, sed ad Deum esse currendum pro remedio impetrando. 418
Confusionis artium magicarũ causa. 530
Coniugia infausta & infelicia sunt, quæ suscipiuntur explendæ libidinis causa. 154
Corpus assumptũ quatenus sit præstigiosum. 560
Corpora à Dæmonibus formata & assumpta non sunt viua, licèt sint sensibus exterioribus perceptibilia. 30. 71
Cypriani martyris conuersio. 100

D.

DAEMONES frequenter homines dormientes per interiora phantasmata deludunt. 3. quandoq; non impijs tantùm, verùm etiam pijs secundum sensus exteriores apparent. 6. decipiunt multos. 11. tria à suis cultoribus requirunt. 51. 52. 53. duobus modis homines affligũt. 90. quandoq; aërem inficiunt & corrumpunt. 92. non semper indigent ministerio suorum cultorũ, siue inuocatorum ad maleficia perpetranda. 117. vnde futura interdũ sciant, & vnde ipsis tanta vis & efficacia. 407. nõ possunt res naturales producere. 533. quomodo morbos inferant. 413. 435. 442. 534. rogati agunt, quæ aliàs acturi non fuerunt. 591

Dæmonum principalis intentio. 112. vsus & effectus circa elementa & res corporales inferiores. 119. potestas q̃ sit in efficientia miraculorum. 532

Dæmonum magnã potestatem esse, licèt à Deo sint reprobati. 72. studium, quo securos peccatis inuoluentes tandem in extremũ exitium pertrahere conãtur. 75. eorum esse semper fallere. 114

Dæmonibus & eorũ cultoribus maleficis eundem actum esse in maleficijs perpetrãdis. 110 cum Dæmonibus paciscẽtes tacitè vel expressè, sunt idololatræ, hæretici, & alieni à fide catholica. 376. 417

Dæmonium propriè quid sit. 305

Dauid astu vxoris suæ Michol effugit insidias Saulis. 1. instinctu Diaboli numerauit populum regni sui. 79

Deus præcepit Sagas interfici. 537. cum Diabolo commercium habentes per artes vetitas, interfici vult oẽs. 540. quæ scelera capitalia esse iussit, nunc etiã pro talibus habenda. 554

Deum iustè permittere, vt præstigiatores decipiãtur & peruertantur à malis spiritibus. 124.

124. permittere, vt etiam in cœtu Christianorum multa grauia maleficia per maleficos & præstigiatores, Dæmonium operatione & patrocinio, perpetrentur. 131

Dæmonū & præstigiatorū operavti, ad fidelium salutē promouendā, quamuis Deo tàm malefici, quàm ipsorum maleficia displiceant. 157

Diabolus beato Martino in specie humana apparuit. 6. 7. 8. *se Christum esse perhibuit.* 7. *sanctæ Margarethæ insidiatus.* 8. 9. *varijs modis beatum Anthonium aggressus est.* 9. 10. *in specie Moysis visus, Iudæos multos perdidit.* 16. *militi cuidam 14. annos insidiatus est, vt tandē eum strangularet.* 17. *Episcopum quendam mirabilter tentauit.* 19. *omnia illa creare potest, quæ ex motu locali corporum inferiorum prouenire possunt, nisi virtute Dei reprimatur.* 78. *cur cū Strigib. coëat.* 549

Diaboli potestas in Iob. 91. *proprium est mentiri.* 162

contra Diaboli ludibria Augustini adhortatio. 83

Diabolo tanta vis & efficacia, vt etiam Deo permittente, omnis generis morbos aliasq; calamitates hominibus immittat. 85

Diabolum ingenij sui acumine abstrusissima quæq; nouisse. 69. *nemini nocere posse, nisi ei à Deo permittatur.* 167

cum Diabolo societatē contrahere, non est impossibile. 581

Diabolos etiā sæpè nostram salutē promouere. 138. 142. 145

cum Diabolis paciscendi nō vna est ratio. 553

Diabolicæ artes cur capitales. 543

Dies atri. 305

Diei sancti Vincentij, & conuersionis sancti Pauli, obseruatores, vanos & superstitiosos cum suis versibus esse. 381

Dierum certorū obseruatio, est contra rationem naturalem astrologicam & theologicā. 367

contra huiusmodi Dierum obseruationem Conclusiones Theologicæ. 369

omnes Dies anni boni sunt, & omni anno, & omni die, & omni hora diei bonũ & laudabile est opera quælibet sancta, licita & honesta inchoare. 370

Dies & annos obseruãtes, quicquid mali euenit, imputant malitiæ diei & anni. 377

Differentia inter sectam & hæresin fascinariorum modernorum, & illusionem mulierum. 36

Diuinatio quàm graue peccatum. 409

Diuinatores vnde dicantur. 409

Diuinis verbis licitum esse arcere lupos, serpentes, locustas, & alia huiusmodi, & quomodo hoc licitè fiat, quomodo item illicitè. 392

E.

ἐγγαστρίμυθοι. 327

Error contra fidem non est, si imagines de ære, plumbo, vel cera alba vel rubea, vel alia materia baptizentur, exorcizentur, imò potius exsecrentur per artes magicas, quodq; sub diebus certis habeant virtutes singulares, quæ in libris talium artium recitantur. 373

εὐδαίμονες vnde dicti. 304

Ezechielis visio. 64

F.

FALSAE rerum apparitiones vel repræsentationes dormientibus vnde accidãt. fol. 3.4

Fidem veram imagines assumere ad diuinum cultum in Ecclesia, non vt eis cultus latriæ exhibeatur, excepta imaginis Christi, sed ad quandam significationem. 424

ante Fœdus contractum facta non sunt imaginaria. 580

Fœminæ cur superstitiosiores viris. 446

non Fœminæ solæ, nec solæ anus artem magicã exercent. 524

Fulguris

Fulguris generatio. 123

G.

sanctus Germanus inuidia Dæmonum penè submersus. 122

C. Graccho T. frater in somnijs apparuit. 316

Græci omnes nomine φαρμακῆ pro incantamento vtuntur. 573

Grandinis generatio. 122.123

M. Guilhelmus Adelme, se totũ Diabolo mancipauit. 27

H.

HAERETICI fascinarij iudicialiter deprehensi in crimine hæreseos & vsu maleficiorum, non sunt ita admittendi ad consortium fidelium, sicut admittuntur hæretici cæteri, facta abiuratione hæreticæ prauitatis. 175

Herbis, lapidibus & alijs huiusmodi per se nullam maleficij vim inesse, sed vti his maleficum, tanquam signis pacti initi cum Dæmone. 416

Historiæ aliquot, ad ostendendũ, versari in terris, & hominũ rebus negotijsq; immisceri, quasdam naturas potiores & robustiores. 320.321

Homicida omnis suasorem habet Diabolum. 585

Homicidæ pœna tenetur etiam is, qui aliquo suasore hominem interficit. 564

Homines diuina ꝓuidentia præseruantur, & proteguntur, aduersus Dæmones. 93

Hominum duo genera, qui Dæmonibus licitè imperare possunt. 456. duo item, qui illicitè imperare cupiunt. ibid.

Honoratus, veneficij accusatus, Lutetiæ capitis supplicio affectus est. 185

Hostiæ conculcata pedibus mulierum. 56

I.

IDOLOLATRIA grauissimè punienda. 179

Illusio quot modis accipiatur. 1

Imaginem nõ reuerens, non reueretur etiam eum quem imago repræsentat. 425

Impij

Impij iustè quandoq; à Dæmonibus vexantur & flagellantur, quod fit vt peccata eorũ puniantur. 148

Incantationes vsitatæ quæ sint. 516

Incantationum genera. 517

de Incubis & Succubis. 592

Infantes præstigijs Diaboli generati, num filij ipsius dici poßint. 35.36

Insitæ rerum vires semper insunt. 531

Ioach. Camerarij proœmium in libellum Plutarchi De defectu oraculorum. 300

Ioannis Tritbemij Tractatus de reprobis atq; maleficis. 452

Iosephus non est ἀναμάρτητος. 577

Itinerario D. Petri quantum fidei sit tribuendum. 597

Iudas Diabolo suggerente prodidit Iesum. 81

Iudæus quidam petens sibi lac muliebre dari, à duabus mulierculis turpiter elusus. 337

de Iustina virgine variè tentata, historia. 101

diuinæ Iustitiæ multa luculenta testimonia. 156

Iusto Dei iudicio fieri, vt augures & superstitiosi decipiantur, & in laqueum suæ vanæ incredulitatis incidãt. 380

K.

Κακοδαίμονες *vnde dicti.* 304

L.

LAMIVM seu Strigium disputatio. 500

de Lanio quodã per nemus quoddam iter faciente, historia. 330.331

Lex peculiaris de Strigibus cur lata sit. 544

Lex de Sagis & cum bruto rem habentib. contiguæ sunt. 594

Leges Dei præsentibus & futuris congruunt. 567

Libellus quidam coniuratorius, qui in aliquibus Ecclesijs reperitur, damnandus & igni tradendus est, propter verba suspecta & manifesta mendacia, quæ in eo continentur. 394

Libertas

Libertas Euangelij non iubet parcere scelerosis. 554

M.

MAGVS quid. 558
Magi Persarum non fuerunt Dæmonũ cultores. 509. Dæmonis opera vtuntur. 510. vtrùm verè aliq̃d faciant. 511
Magorum species seu modi plures. 556
Magæ non propterea sunt, quia instigatore Diabolo peccant. 563
Magia diuinis & ciuilibus legibus damnatur. 113. 120
Magiæ species. 512
Malefici siue necromantici cur potius virgines, mares vel fœminas ad sua maleficia recipiant q̃ corruptos. 447
Maleficos, magos, incantatores, diuinatores, pythones, & necromanticos pro eodem communiter accipi. 412. Dæmone operante posse suis maleficijs & incantationibus verè homines lædere, agros & fructus eorum deuastare, & per hos, Dæmones posse, Deo permittente, homines specialiter lædere. 413. 435. 442
Maleficarum potestas. 463
Maleficiati qui nominentur. 89
Maleficatus à Dæmone impeditur ab actu coniugali secundum petitionẽ sortilegæ mulieris & maleficæ. 415
de D. Marcello conante magnũ Iouis templum demoliri, historia. 105
Martha, natione Syra, artis diuinatricis perita. 329
M. Martialis Auribelli de Auinione Prouincialis ordinis Prædicatorum. 58
Matisconensis comes corã multis baronibus à Diabolo viuus abreptus. 17
Medicamentum, quo vulnus quamuis longè absentis sanatur. 323
Melancholici duo nunquam idẽ imaginari videntur. 600
Missam Pontificiã multum conferre ad Dæmonum insultus eludendos. 106
Modi tres, quibus Dæmones se præsentes exterioribus hominum

num

num sensibus exhibent. 27
Modi & loci præcipui tres rei alicuius probandæ. 206
Moloch idolum Ammonitarum. 53
Monachus quidam nimium suam sanctimoniam extollens, à Diabolo in specie mulierculæ cuiusdam deceptus, tandem desperans semetipsum omni impudicitiæ & impietati dedidit. 15
Monialis quædam à Diabolo tentata, à S. Aequicio liberatur. 103
Morbi multi contagiosi. 93
cur tot Morbis, pestilentijs, tempestatibus, sterilitate frugũ, & interitu pecorum & iumentorũ hodierno die à Deo affligamur. 438
Mortis Christi vis & efficacia quibus prosit. 149
Mosis præceptum nõ agit de veneficis propriè vocatis. 538
Mulier quædam tres liberos suos Dæmoni obtulit. 40
Mulierem quandam de cultello in parietem infixo lac copiosum emulsisse. 527
Mulieres quædam scelerata Dæmonum illusionibus seductæ credunt se super quibusdam bestijs equitare, aut simile quippiam agere. 5
Mulieres sortilegas & maleficas non transferri localiter ad loca, in quibus se de nocte fuisse dicunt, sed mentaliter & phantasticè tantùm. 362.
etiam probas improbè pati concubitum à Dæmone Incubo. 363

N.

NECROMANTICI cur plerunq; horribiles visu sint. 447
Necromãticos, pythones & præstigiatores esse, quos vulgus consulit, vt futura agnoscat, aut perdita sibi restituãtur. 405. 410. 420
Nicodemi cum Christo colloquium. 132
Nihil fit sine causa. 137

O.

OCCVLTA flagitiosa tandem deteguntur. 581

PACI-

P.

PACISCI potest homo cum spirituali substantia. 560
Patrum testimonia de veneficio & veneficis. 495
Pauli raptus. 65
Paulo datus stimulus carnis, id est, angelus Sathanæ, qui ipsum colaphizet, ne magnitudine reuelationum extollatur. 86
Peccata peccatis cumulari, quãdo & quoties fiat. 126.127
Peccatores & impij, Deo quandoq; permittente, à Dæmonibus affligũtur, idq; fit vt corrigantur. 142.148
de Permißione diuina. 477
D. Petri negatio differt à negatione Sagarum. 578
φαρμακεύειν significat incantare. 508
Philtri duo genera. 505
Pij etiam sæpè à Dæmonibus corripiuntur & tentantur, idq; in eorum salutem cedit. 138. 145
Plato duo facit genera malorũ pharmacorum. 506
Pœnæ scelerosis cur infligantur. 551
Prædictionis Sathanicæ octo species. 197
Præstigiatores & malefici nullo modo excusantur ab hæretica prauitate, licèt prætendant se à Dæmonibus sicut & mulieres in somno delusos esse. 182
Præstigiatrices etiam dicuntur Sagæ. 421
Primogenita omnia Aegyptiorũ vna nocte simul interficiuntur. 152
Principes quidam, prælati, & quidam nefandi sacerdotes, hodie plerunq; cæteris superstitiosiores sunt. 439
Propter obiecta mouẽtia sensus, Diabolus vehementius & frequẽtius homines solicitat. 83
diuina Prouidentia cuncta gubernantur. 137
Pudenda quomodo dicãtur auferri. 598
Pueros posse fascinari, hoc est, à malo oculo infici, & quale remedium sit adhibendum. 385

Pulsationem signorum siue campanarum in nocte sanctæ Agathæ, nō ad euitandum has sortilegas & maleficas fieri, sed alias ob causas. 366
Pythiæ puellæ de Paulo & Barnaba testimonium. 28.113
à Pythia fœmina Samuel an verè excitatus. 48

R.

REFVTATIO eorum, quæ ex Clemente falsò citantur. 596
Rei vnius notitia vulgò vocatur ars. 548
Res gestæ & conuenticula nocturna Dæmonum cum fascinariis aut maleficis, vera sunt, non phantasticæ illusiones. 39.40
Res multæ quas condidit Deus, possunt immutari per actiones & virtutes, quas aliis rebus ipse Deus concessit. 68. amissæ vel ablatæ si in speculis, phialis, siue vnguibus necromanticorum conspiciantur, vnde accidat. 447
Regula generalis ad cognoscendum, quis sit actus illicitus vel superstitiosus. 359
sub Religionis prætextu plurima mala cōmittuntur. 353
Reo incumbit probatio. 173

S.

SACERDOS Niuernensis instinctu Diaboli hostiam pedibus conculcauit. 56
Sacrilegium quid sit. 422
Sacrilegorū triplex pœna. 426
Sagæ inter Magos cōputari debent. 512. cur vocētur Lamiæ. 513. cur Striges. ibid. cur veneficæ. 514. cur incantatrices. ibid. vnde dictæ. 518. quid sint. 519. 558. an carminibus vtantur. 520. abiurant Deū. 523. à Magis differunt. 527. nihil supra naturā possunt. 534. iniustè videntur capitali pœna puniri. 535. ex Dei voluntate occidi possunt. 536. sunt homicidæ. 543. miscent corpus cum Diabolis. 549. nō quia perfecerint mirabilia, occiduntur, sed quia opera Diaboli talia facere tentarunt. 552. vincunt improbi-

tate Magos. 558. vtrùm Mosis & Christi temporibus fuerint. 566. nō sunt obsessæ. 601
Sagarum & Diaboli pactū non est præstigium. 359
Sagarum nomina multa & varia. 503. ars est antiquißima. 568
Sagarum & mulieris illius magæ in Endor comparatio. 585
Samuel an verè à Pythia fœmina excitatus. 48
Sanitas qua in re consistat. 85
Saul consulit mulierem Pythonicam. 11. 48. 316. 419. à Dæmone exagitatus. 86. 153
Scelerati nō subterfugiunt pœnam, quoties eos facti pœnitet. 553
Schedulæ quædam sine nomine nuncupatæ, superstitiosæ, suspectæ, & scandalosæ sunt, datæ quibusdam superstitiosis, quarum forma ponitur. 401
Scriptura diuina de veneficio & veneficis. 495
Septuaginta interpretes rectè vsitatéque Magos vocarunt Græcè φαρμακοὺς. 576
Serpentes quandoq; loco medullæ in quibusdam lignis putrefactis inueniuntur. 69
Signi crucis magnam vim esse in fugandis Dæmonibus. 96. 97
Sirenum cantus. 516
de Sortiarijs dialogus. 184
vocis Sortiarius origo & notio. 193
inter Sortiarium & Sortilegū discrimen. 201
Sortiarij an sint. 206. in quæ rerum genera venena sua spargere poßint, vt noceant. 224. qua ratione quibusq; modis intoxicent. 238. qua pœna digni sint. 281
à Sortiariorū artib. & maleficijs qua ratione nobis cauere poßimus. 292
Sortilegia & maleficia vnde suum sortiātur effectum. 434
Spiritus mutus vel surdus vnde dicatur. 87
Sterilitatem frugum, animalium interitum, & quæ sunt similia, non accidere à dispo-

***

sitione

sitione quorundam dierum, sed à dispositione naturæ, & potius à voluntate diuina effectiuè & permissiuè. 382

στερνομάντεις. 327

Striges cur vocatæ sint pharmaceutriæ. 504. cur vocētur magæ. 509. continentur sub magis. 537. sunt idololatrarum omnium pessimæ. 541. alios seducūt. 542. exercent artem capitalem. 546. aliquando sine tormentis fatentur crimen. 586. sunt libidinosæ. 592

Submersio imaginum, quamuis cum hymnis & canticis agatur, pertinet ad iniuriā sanctorum, & est actus superstitiosus. 358. est sacrilegiū. 422

Submersores imaginum & reliquiarum tentare Deū. 427 scandalum committere, & stultè agere. 432

Superstitio quid sit. 354. opponitur religioni. 355. grauius peccatū est, quàm tentare Deū. 431. tanto peior est, quanto in tali actu plura miscentur bona. 441

Superstitiones quadā, per quas innumeræ aliæ intelligūtur. 387

Superstitionū quædam species. 404

Superstitiosos esse, qui credunt, quosdā dies Sanctorum aliquorum esse infortunatos & periculosos, similiter quosdā dies esse Aegyptiacos, infaustos & periculosos. 366

Superstitiosæ sunt illæ mulierculæ, affigentes humeris paruulorum specula vel frustula corij vulpis vel melotæ, ne inficiantur ab oculis vetularum. 385. affigentes itē schedulas contra febres. 389

T.

TAMERLANO mortuo, audita sunt totis noctib. lamenta miserabilia ad sepulchrum ipsius. 315

Templum pollutum concubitu sacerdotis & mulieris. 58

Tentationum duo modi. 134

Tentare Deum quid sit. 427

Theo-

Theophilus quidam, auxilio & ope Diaboli, Episcopatum assecutus est. 12.129.160

V.

VATEM aut Magum consulens capitaliter peccat. 547

Veneficium propriè dictum est species homicidij. 573

de Veneficio & veneficis scripturæ diuinæ, & quorundã Patrum testimonia. 495

Verba sancta & reliquias posse de collo suspẽdi, quibus ægroti vel iumenta sanentur, seruatis quinque conditionibus. 390

Vigilantes ineunt fœdus cum Diabolo. 526

Victoria belli non diei, sed soli Deo attribuenda. 383

Virga Moysis conuersa in serpentem. 69.123

Visiones & apparitiones rerum posse fieri spiritu solo, vel etiã corpore videntis se verè ad loca quædam transferri. 65

Vnde fiat, quòd multi mundi conuersationem fugiant, & heremos ac alia loca à populis remota sibi deligant. 83

Z.

ZOROASTES magus & astrologus iudiciarius primus omnium mortaliũ venefícij genus exercuit. 213.

FINIS.

QVID SIT ILLVDERE ET QVOmodo multipliciter accipitur.

CAP. PRIMVM.

QVONIAM igitur de illusionibus loqui oportet, opus est primò videre, quid sit illusio. Vndè considerandũ est, quòd in sacris scripturis, Illusio quandoque significat derisionem, quæ est peccatum, quo proximus iniustè contemnitur, sicut fecit Herodes de Christo, vt scribitur Lucæ cap. 23. vbi dicitur: Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit, indutumque veste alba remisit ad Pilatum. Alio autem modo illusio accipitur pro studiosa repræsentatione, qua quis vult intentum suum velando celare. Huiusmodi autem illusio quandoq; fit ad bonum finem, & sine detrimento illius, qui illuditur. Sic enim Michol filia regis Saulis & vxor Dauid illusit patri suo, volenti interficere Dauid virum suum. Ipsa enim deposuit Dauid per quandam fenestram de

eius domo, & in lecto vbi iacuerat Dauid ipsa composuit quandam statuã, vt videretur Dauid ibi esse, vnde Saul illusus & fraudatus malè suæ voluntatis desiderio redarguit ipsam Michol, dicens ei: Quare illusistis mihi. 1. Regum, cap. 19. Quandoq; autem illusio fit peruersa intentione, quando scilicet illudens intendit per falsas rerum vel verborum repræsentationes malum inferre & procurare illi cui illudere satagit: Sicut faciunt falsi Prophetæ, qui sub velamento simulatę sanctitatis, vel applicatione diuinæ scripturæ decipiunt simplices. Vndè Christus dominus noster & pius prouisor dicit: Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Matth. capit. 6. Beatus quoq; Petrus Apostolus scribit dicens: Venient in nouissimis diebus in deceptionem illusores. 2. Petr. capit. 3. Hoc igitur modo illudunt Dęmones frequenter hominibus falsis repræsentationibus rerum vel verborum ad decipiendum. Sic enim Diabolus per serpentem verbis falsis decepit Euam dicens: Nequaquam moriemini; Quæ tandem asseruit se deceptam dicens: Serpens decepit me & commedi.

DE

DE FALSIS REPRÆSENtationibus quas Dæmones quandoque procurant hominibus dormientibus illudendo eis per interiora fantaſmata.

CAP. SECVNDVM.

FRequenter contigit hominibus dormientibus interius fieri repræſentationes quarundam rerum, quas tunc ita exiſtimant ſe facere, quas tamen realiter non faciunt, vel habere quas non habent, ſed hoc duntaxat ſomniant: Et hoc etiam ſacra ſcriptura teſtatur inducendo deceptionem ſomniantium ad quoddam propoſitum declarandum, per ſimilitudinem ſomniantis dicens: Sicut ſomniat eſuriens & commedit, cùm autem fuerit expergefactus vacua eſt anima eius: Et ſicut ſomniat ſitiens & bibit, & cùm fuerit expergefactus laſſus adhuc ſitit, & vacua eſt anima eius, ſic erit multitudo omnium gentium, qui dimicauerũt contra montem Sion. Iſaię cap.29. Huiuſmodi autem apparitiones in dormientib. fiunt per deſcenſum abundantis ſanguinis ad principium ſenſitiuum, & cum ipſo ſanguine ſpiritibus vitalib. ſimul deſcendunt, & ſimilitudines aliquarum rerum præſens

acceptæ & reſeruatæ interius vigilando. Et tunc ligatis & ſopitis ſenſibus exterioribus propter dormitionẽ, ſomnians recipit ſimilitudines rerũ ſibi tũc præſentatas, pro ipſis rebus quas res tũc exiſtimat pręſentes, & per hunc modum decipitur dormiens quandoq; dormiendo. Et hoc modo Dæmones frequenter illudunt hominibus dormientibus per interiorem operationem mouẽdo ſanguinem & ſpiritum ad principium ſiue potentiam ſenſitiuam. Vndè contingit per hanc operationem viris dormientibus aliquãdo fieri quaſdam mulierum repræſentationes, & ſimiliter fœminis accidit fieri in ſomno repræſentationes virorum, & deindè ſequi nõnunquam illuſionibus mediantibus carnales immunditias. Et ideò aduerſus huiuſmodi Dæmonum illuſiones ſolent deuotæ perſonæ benè regulatæ, ante lecti ingreſſum ad dormiẽdum deuotis orationibus prouidè ſe præmunire. Vndè ad hoc Beatus Gregorius in quodam Hymno, quem inſtituit dici in Completorio officij Canonici fecit ſpecialem orationem aduerſus huiuſmodi nocturnas Dæmonum illuſiones. In ipſo enim Hymno qui incipit: Te lucis ante terminum, dicitur in ſecundo verſu: Procul recedant ſomnia, & noctium

fantaſma-

fantaſmata, hoſtemque noſtrum comprime, ne polluantur corpora. Secundum itaque hunc modum refert c. Epiſcopi, quaſdam ſceleratas mulieres Dæmonum illuſionibus & fantaſmatibus ſeductas, credere ſe ſuper quaſdam beſtias equitare, cum Diana Dea Paganorum, vel cum Herodiade, & ei velut Dominæ obedire, & multa terrarum ſpatia pertranſire, vt in eodem c. recitatur, hoc prædictis mulieribus ſceleratis non contingit in rei veritate, ſed duntaxat in ſola interiori fantaſtica apparitione, procurata Dæmonum illuſione ipſis mulieribus dormientibus.

DE APPARITIONIBVS PER quas quandoq; hominibus non ſolùm malis, ſed etiam bonis ſe præſentes exhibent Dæmones, ſecundum experientiam realem ſenſuum exteriorum, ſcilicet: Viſus, Auditus, Tactus, & cæterorum permulta exempla.

CAP. TERTIVM.

SACRA Euangeliſtarum recitat hiſtoria Diabolum in deſerto acceſſiſſe ad Chriſtũ tentandum, & eidem multipliciter locutum fuiſſe dicendo: Si

do: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Et iterum: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè ad lapidem offendas pedē tuum. Et rursus. Postquā ostendisset Christo oīa regna mundi, & gloriam eorum, dixit ei: Hęc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me, vt habetur Matth. 4. & Luc. 4. vbi glossa dicit: Hæc omnia corporeis sensibus sunt cōpleta. Apparuit itaq; Diabolus Christo perceptibiliter, non solùm secundum sensum visus, sed etiam ad sensum auditus, loquendo eidem verba prędicta. Similiter ēt ad sensum tactus, quia assumpsit eum in montem excelsum valdè, ostendens ei oīa regna mūdi & gloriam eorum. Hoc etiam modo frequentissimè legitur, Dæmones apparuisse pluribus sanctis perceptibiliter secundum sensus exteriores, tàm in specie seu effigie humana, quàm diuersarum bestiarum. Legitur enim sic de beato Martino, Diabolo in humana specie sibi apparenti & dicenti: Quocunq; ieris Diabolus tibi aduersabitur. Respondit: Dominus mihi adiutor non timebo, quid faciat mihi homo, statimque ille euanuit. Item legitur de eodem beato libro Speculi historialis 18. cap. 18. quòd quadam die Diabolus,

lus, luce purpurea circumtectus, indutus veste regia, Diademate ex gemmis auroq; redimitis, calceis auro illitis, sereno ore, facie læta, oranti Martino in cella astitit, qui cùm primò ad aspectum fuisset hebetatus, diu multumq; ambo silentiũ tenuerunt. Tunc prior Diabolus: Agnosce (inquit) Martine quem cernis, Christus ego sum descensurus ad terras, prius me manifestare tibi volui. Ad hęc cùm Martinus taceret, nec quicquam responsi ferret, iterare ausus Diabolus professionis audaciam, Martine, quid dubitas credere cũ videas? Christus ego sum. Tunc ille reuelante sibi spiritu, vt intelligeret Diabolum esse non Deum. Nõ se (inquit) dominus Iesus purpuratum & diademate renitentem vẽturum esse prędixit. Ego Christum, nisi in eo habitu formaq; qua passus est in cruce stigmata præferentem videre venisse nõ credam. Ad hanc vocem ille statim vt fumus euanuit, & cellulam tãto fœtore compleuit, vt indubia inditio relinqueret Diabolum se fuisse. In eodem quoq; lib. ca. 17. ita scribitur: Frequenter autẽ Diabolus, dum mille nocẽdi artibus visibilem se ei formis diuersimodis ingerebat aduersus quẽ semper interritus signo crucis & orationis auxilio se protegebat. Testabantur etiam ali-

qui de fratribus audiuisse Dęmonem proteruis Martinum vocibus increpãtem, cui intra Monasterium aliquos ex fratrib., qui cum baptismi gratiam diuersis erroribus perdidissent, conuersos posteà recepisset exponentẽ crimina singulorũ, Martinum Diabolo repugnantẽ respondisse constanter. Antiqua delicta melioris vitæ conuersatione purgati & misericordiã Dei absoluendos esse peccatis peccare qui desierũt. Contradicente Diabolo, non pertinere ad veniã criminosos & semel lapsis, nullã pręstari à Domino clementiam. Tunc in hanc vocem frequenter exclamasse Martinum. Si tu miserabilis ipse, ab hominum insectatione desisteres, & te factorum tuorum cum dies iudicij in proximo est pœniteret, ego verè tibi, cõfisus in domino Christi misericordiam pollicerer. Consequenter etiam in legenda beatę Margaretæ virginis legitur sic: Antiquus hostis in specie Draconis quasi deuoraturus eam aggreditur, sed signo crucis opposito euanescit. Deindè in forma hominis carcerem ingreditur, sed virgo per spiritum intelligẽs Dæmonem apprehendens deiecit in terram, pede sancto caput impium conculcans. Tunc Dæmon eiulans, permitte, ait, Margareta me abscedere non vltra tibi appropin-

propinquaturum, virgo dixit, fatere prius ad quid venisti. At ille: Veneram vt quasi consulens saluti tuæ persuaderem tibi parere Præsidis voluntati. Iam nunc iube vt abeam, quia de me satis lusisti. Tunc virgo pedem leuans, fuge inquit miser. At ille velut fumus euanuit. De beato Anthonio etiam refert Vincentius in Speculo historiali libr. 12. cap. 86. quòd cùm in deserto deambulans, quereret beatum Paulum primum hæremitam, apparuit Diabolus primò in forma Centauri hominis equo mixti, quem cùm beatus Anthonius constanter alloqueretur, ille barbarum nescio quid infrendens, & frangens potius quàm loquens, euanuit. Deindè apparuit in forma grandis hominis fronte cornibus apparata, cuius extrema pars corporis, in caprarum pedes desinebat. Cum quo etiam beatus Anthonius habuit colloquium. Consequenter libr. 24. capit. 12. dicitur de ipso beato Anthonio, quòd Diabolus eidem apparuit in forma pueri nigri, qui prostratus ante beatum Anthonium se victum confessus fuit, eò quòd Anthonius spiritum fornicationis virtute fidei & abstinentiæ superasset. Postmodum verò in quodam tumulo, latentem Anthonium multitudo Dæmonum, ita cæde varia la-

cerauerunt, quòd minister eius de villa veniens, eum quasi mortuum proprijs humeris ad vile hospitium deportauit. Quo audito cōuenerunt vicini, & cùm post planctum funeris media nocte iam dormirét, Anthonius subitò reuiuiscens vocato ministro, fecit se in silentio ad tumulum reportari, ibique ex priori vulnerum dolore prostratus, cum animi virtute ad conflictū Dęmones prouocasset, & statim illis in varias formas mutatis, ab eorum dentibus, cornibus, vnguibus laceratus fuisset, subitò radius quidam lucis affuit & tenebras effugauit, statimq; sanatus Christū adesse intelligēs dixit: Vbi eras bone Iesu, quare à principio non affuisti, vt curares vulnera mea? Et vox ad eum: Anthoni, inquit, hîc eram, sed expectabam videre certamen tuum. Nunc autem quia viriliter dimicasti, in toto orbe faciam te nominari. In gestis quoque S. Anthidij martyris, vt refert Vincentius in Speculo historiali libr. 20. cap. 3. legitur sic. Porrò sanctus Anthidius eadem tempestate martyrium subijt, qui aliquādo in tertia feria post Palmas, transiens pontem Dubij, vidit agmen Dæmonum gesta sua principi suo referentium, & inter eos Aethiopem in manu sandalium præferentem ad iudiciū, quòd Romanum

Præsulem

Præſulem per ſeptem annos impugnatum tandem ad lapſum pertraxerit, qui vocans ad ſe Aethiopē & virtute Dei & ſanctę crucis præcepit, vt eum Romæ ſub manu Domini eadem velocitate qua venerat ſanum & incolumem perferret, itaque Dæmoni ſuperpoſitus illum ſępè verſiculum iterās: Deus in adiutorium meum intēde, &c. eo vectante Romam venit feria quinta hora celebrādi officij. Et Dæmone pro foribus expectāte Papæ rem retulit, negantem per ſandalium ad pœnitentiam mouit, & Miſſa vice eius celebrata, & partem Criſmatis à ſe confecti aſſumpta, Dęmone renectante ad Eccleſiam ſuam redijt Sabbatho ſancto hora celebrandi officij.

QVOD DÆMONES DECIPIunt multos homines apparendo eis ad ſenſus exteriores.

CAP. QVARTVM.

SICVT aliqui diuino munere præſeruati fuerunt, ne per Dæmonum apparitiones deciperentur. Ita nonnulli Deo permittente fuerūt decepti. Refert ſcriptura ſacra libri Regum Saulem Regem Iſraël, die quadam recurriſſe ad mulierem quandam Pythoniſſam,

siue Maleficam, & ad eius inuocationem Dæmonem in Samuelis Prophetæ forma apparuisse, & ipsi Sauli ad eius deceptionẽ locutum fuisse, & in crastino prædictũ regẽ seipsum, desperãdo interfecisse. De qua apparitione habetur in decretis 26. q. videlicet. Nec mirum, est & sumptum de libro beati Augustini de ciuitate Dei. Legitur quoq; de quodam Theophilus dictus est, qui multo tempore fuerat moribus & vita præcipuus, qui etiam Episcopatus dignitate, ad quam electus fuerat renuit ex humilitate suscipere. Videns autem Metropolitanus eius nimiam in renitendo constantiam, dimisit eum, & alium in loco eius ad Episcopatus promouit officium. Porrò ordinato Episcopo, cùm ad propriam remeasset ciuitatem, quidam de clero instigauerunt Episcopum, vt amoto illo aliũ Ecclesię ordinaret vicedominum. Quo facto callidus hostis & inuidus, immittens ei vicedominatus zelum, & ambitionis emulationem, intantum eúm seduxit, vt etiam maleficorum postularet auxilium. Itaque accessit ad quendam Iudęum maleficum, cuius genibus prouolutus ait: Quæso adiuua me, quoniam Episcopus meus me ad opprobrium adduxit. Respondit ille: Proxima nocte veni ad me, & ducam

cam te ad Patronum meum, qui ſubueniet tibi, quomodo volueris. Quo facto duxit eum ad circum ciuitatis, & ait: Quidcunque videris, vel quencunq; ſonum audieris, non terrearis, ſignum crucis quoque nullo modo tibi imponas. Illo hoc itaque ſpondente, ſubitò oſtendit albos clamidarios cum multitudine candelarum, clamantes, & in medio principem ſedentem, erat enim Diabolus, & miniſtri eius. Tenens autem Iudæus Theophili manum, duxit illum ad illud flagitioſum cõſilium. Et ait ei Diabolus: Vt quid nobis hunc hominem adduxiſti? Reſpondit: Ab Epiſcopo ſuo præiudicatum, & veſtrum auxilium poſtulantem. Cui Diabolus: Quale adiutorium dabo homini ſeruiẽti de ſuo? Tamen ſi famulus meus eſſe cupit, ego illi ſubuenio, ita vt plus facere poſsit, quàm prius, & imperare omnibus, etiam Epiſcopo. Audiens Theophilus ſpopondit ſe facturum omnia, quæ diceret, cepitque oſculari pedes eius, & rogare eum. Qui ait ad Iudæum: Abneget filium Mariæ & ipſam, quia mihi odio ſunt. Et firmet ſcripto ſe per omnia vtcunque abnegare, & poſt hæc quæcunq; voluerit à me impetrabit. Tunc reſpõdit Theophilus: Abnego Chriſtum, & matrem eius, facienſq; chirographum impoſita

imposita cæra signauit annulo proprio, & abscesserunt cum nimio perditionis gaudio. In crastinum Episcopus remoto vicedomino, quem turpiter promouerat, hunc cum omni honore reuocauit, & duplo quàm ante fuerat denuò sublimauit, ita vt peccasse se clamaret, quòd tàm idoneam personam aliorum delationib., eiecisset, & illum inutilem promouisset. Restitutus itaq; Theophilus, super oēs eleuatus est, omnibus sibi obedientibus, cū metu & tremore. Hæc autem quæ dicta sunt, refert Vincentius libr. 22. cap. *69*. allegans Sigibertum Historiographū. Consequenter ibi cap. 70. recitatur qūo pœnituit, & beatam virginem deuotè inuocauit, quæ sibi apparēs, & veniam obtinuit, & chirographum quem Diabolo fecerat restituit. Quæ ad laudem beatæ virginis publicè intra Missarum solennia, corā Episcopo, clero, & populo deuotè Theophilus recitauit, & chirographum ostendens legi fecit coram omnibus. Idem quoq; Vincentius lib. 18. cap. *6*. recitat deceptionē cuiusdam præsumptuosi factā à Dæmone, quæ de vitis patrū sumpta est in hunc modum. Erat quidā Monachus in spelunca, sumæ abstinentiæ, cunctis animi florens virtutibus. Cumq; in profectibus suis confidens, non totum

totum Deo, ſed ſibiipſi tribueret, hãc præſumptionẽ intuẽs tentator quodã veſpere fingit ſe in ſpeciem mulieris oberrãtis per heremũ, q̃ vt feſſa ad hoſtiũ ſpelũcę laſsitudinẽ ſimulans, intus ſeipſam ꝓiecit, & obuoluta genib. eius, vt ſui miſereatur, exorat. Nox inq̃t me cõprehẽdit, iube me quieſcere in angulo cellulæ tuæ, ne fortè efficiar beſtijs præda. At ille primo miſerationis obtẽtu recepit eã in ſpeluncã, quærens cãm errandi eam per eremum. At illa cãm fingit accuratè, & interim venena blandimentorũ, per textũ narrationis, interſerit, nunc ſe miſerandã, nunc ſe defenſione dignam oſtendens, elegãtia & ſuauitate ſermonis, affectũ hominis illecebroſo amore deflectit. Hinc iã blãdiora colloquia, ioci, riſusq́; miſcẽtur, manus ẽt procax ad mentum, barbãq́; quaſi venerando ſpeciẽ protendit. Tũc verò palpare ceruicẽ mollius, collũq́; leuigare. Quid multa? ad vltimum captiuũ ducit militẽ Chriſti. Continuò .n. libidinis fluctib. æſtuãs, ẽt laborum pręteritorũ, ac profeſsionis oblitus, obſcœnus iã conabatur inire amplexus. Illa verò vlulatum teterrimũ emittẽs, vt vmbra tenuis per manus amplectantis elabitur, ipſumq́; dedecoris motibus, inanes aures ſectantem fœdiſsima cũ deriſione deſeruit. Tũc

multitudo

multitudo Dæmonũ in aëre ad hoc ipsum spectaculum congregata, ingenti clamore inquit: O qui te vsq; ad cœlum extollebas, quomodo demersus es in infernum. Disce ergò, quia qui se extollit humiliatur. Tunc ille velut amens effectus & deceptionis suæ non ferens pudorem, grauius à seipso, quàm fuerat à Dæmonibus deceptus est. Cùm enim se reparare, & certamen renouare deberet, desperans semetipsum tradidit omni impudicitiæ & impietati. Legitur quoq; in historia solennitatis sancti Petri ad Vincula, quòd Diabolus in specie Moysis Iudæis apparens, dum eos per mare pede sicco ad terram promissionis se perducere promittit, innumeros necauit. Petrus etiã Abbas Cluniacen. magnus Historiographus, refert in libro Miraculorum de Comite Matisconensi, vt etiam Vincentius recitat libr. 30. cap. 120. quòd cum quadam die solenni, ille Matiscone in proprio palatio resideret, multis militibus cõstipatus, repentè ignotus homo equo residẽs, per ostium palatij ingressus, cunctis videntibus & admirantibus, vsq; ad ipsum peruenit dicẽs, se velle illi colloqui, imperans ei, vt surgeret, & se sequeretur: Qui inuisibili potentiæ non valens resistere, surrexit, & vsque

adho-

ad hoſtium domus proceſsit, vbi paratum equum inuenit, quem iuſſus ſtatim aſcendit, cuius habenas ille arripiens, qui propter illum venit, velociſsimo curſu, per aëra, cunctis videntibus ferre cœpit. Ille autem miſerabiliter clamans, ſuccurrite ciues, ſuccurrite, totam ciuitatem commouit. Omnes autē currentem per aëra conſpexerunt, quamdiu naturali oculorum acie potuerunt. Sicq́; tandem ſubtractus viſibus hominum, factus eſt æternus ſocius Dæmonum. In legenda etiam aſſumptionis beatæ Mariæ virginis inter cætera miracula refertur, quòd iuxta quandam viam, quidam miles habens caſtrum, omnes tranſeuntes ſine aliqua miſeratione ſpoliabat, virginem tamen, Dei matrem quotidiè ſalutabat, nec pro aliquo impedimento emergenti, ab ipſa ſalutatione aliqua die ceſſare volebat. Accidit autem, vt quidam religioſus ſanctus, indè tranſitum faceret, & ipſum prędictus miles continuò ſpoliari iuberet. Vir autem ſanctus rogauit Prædones, vt ipſum ad Dominum ſuum deducant, quia ad ipſum habebat ſecreta quæ perferret. Adductus ergò rogauit, vt omnes de ſua familia & caſtro coram ſe congregare faceret, & conuenerūt omnes, pręter vnum, qui Camerarius erat

militis. Tunc dixit sanctus vir non omnes adesse, vnus autem dixit, Camerarium prædictum non venisse, pro eo ergò citò mittitur & in medium deducitur. Cùm autem virum Dei vidisset, reuolutis terribiliter oculis, caput instar insani agitabat, nec propius accedere audebat. Vir autem sanctus dixit ei: Adiuro te per nomen domini nostri Iesu Christi, vt quis sis nobis disseras, & quam ob causam huc venisti palàm pandas. Cui ille respondit: Heu adiuratus prodere cogor inuitus. Ego enim non sum homo, sed Dæmon, qui formam hominis accepi, & quatuordecim annis cum hoc milite sic permansi. Nam Princeps noster huc me misit, vt die qua hic salutationem suæ Mariæ non diceret, diligentius obseruarem, vt in eum potestate accepta, ipsum continuò strangularem, & sic in malis operibus vitam finiens, noster esset. Quacunque enim die illam salutationem dicebat, in ipsum potestatem habere non poteram. Ecce autem de die in diem diligentius obseruaui, & nullum diem prætermisit, quin eam salutauerit. Hęc miles audiens vehementer obstupuit, & ad pedes viri Dei se proiecit, veniam postulauit, & in melius deinceps vitam finiuit. Vir autem Dei, dixit Dæmoni: Præcipio

pio tibi Dæmō in nomine IESV CHRISTI, vt hinc ſtatim abſcedas, & talem vt hactenus locum non poſsideas, nec inuocantibus Dei genitricem Mariam nocere præſumas. Hæc vbi iuſſa dedit, Dæmon abſcedens euanuit. Hoc autem miraculum recitatur in lib. qui dicitur vulgariter Legenda aurea. Similiter quoque legitur in vita beati Andreæ Apoſtoli de quodam Dęmone volente decipere quendam Epiſcopum beato Andreæ deuotum, cuius hiſtoriam hîc inſerere duxi, quia continet maximam & ſubtiliſsimam, & penè inperceptibilem fraudis Diabolicæ deceptionem. Epiſcopus enim quidem religioſam vitam agens, beatum Andream inter cæteros ſanctos in veneratione habebat, ita quòd in cunctis ſuis operibus hunc ſemper titulum pręponebat: Ad honorem Dei & ſancti Andreæ. Inuidens igitur viro ſancto hoſtis antiquus ad eum decipiendum tota calliditate ſe contulit, ſeque in formam mulieris pulcherrimè transformauit. Iuit ergò ad palatium Epiſcopi, aſſerens ſe velle confiteri eidem, mandat Epiſcopus vt confiteatur ſuo Pœnitentiario, cui plenitudinem contulerat poteſtatis. Renunciat illa, quòd nulli homini, niſi ſibi ſecreta ſuæ conſcientiæ

 reuelabit.

reuelabit. Sicque victus Episcopus eam adesse pręcepit. Cui illa: Obsecro Domine miserere mei. Ego enim in annis puellaribus vt cernitis, constituta, & à pueritia delicatè nutrita, nec non & regia stirpe progenita, huc in peregrino habitu, sola veni. Nam pater meus Rex vtique potens, cuidam magno principi me volebat in coniugium sociare. Cui respondi, quòd omnem thorum abominarer maritalem, quia virginitatem meam Christo in perpetuum consecraui, & ideò nunquam possem in carnalem copulam assentire, denique sic arctata, quòd oportebat me aut eius voluntati obedire, aut certè diuersa subire supplicia, latenter fugam inij, magis eligens exulare, quàm sponso meo fidem infringere. Audiens verò vestræ sanctitatis præconium, sub alas vestræ protectionis confugi, sperans apud vos locum inuenire quietis, vbi possem contemplationis carpere secreta silentia, præsentisq; vitæ naufragia & perturbationes mundi fugere perstrepentis. Admirans in ea Episcopus nobilitatem generis, pulchritudinem corporis, immensum feruorem, & tantæ eloquentiæ venustatem, placida & benigna voce respondit. Esto secura filia, ne formides, quia ille ob cuius amorem te & tuos

& tua

& tua viriliter contempsisti, tibi ob hoc & in præsenti culmen gratię, & in futuro plenitudinem gloriæ largietur. Sed ego seruus eius me & mea tibi offero. Eligas vbi tibi placuerit mansionem. Volo autem vt hodiè mecum prandere debeas. Cui illa: Nolite vtique pater me de hac re rogare, ne fortè ex hoc aliqua mala suspitio proueniret, & nitor famæ nostræ denigrationem aliquam patiatur. Ad quam Episcopus dixit: Plures erimus & non soli, & ideò nullum malę suspicionis scrupulum poterit in aliquo generari. Venientes itaque ad mensam, Episcopus & illa ex opposito con sederunt, cæteris residentibus hinc indè. Intendit in eam Episcopus crebrò, eiusq; faciem non desinit intueri, & de pulchritudine admirari, sicque dum oculos figit, animus sauciatur, & dum eius faciem non desinit intueri, antiquus hostis cor eius graui iaculo vulnerauit. Perpendit hæc Diabolus, & pulchritudinem suam magis ac magis cœpit augere. Iamque Episcopus proximus erat consensui, vt eam de illicito opere attentaret, quando opportunitas se offerret. Tunc subitò quidam peregrinus venit ad hostiū crebris ictibus & magnis clamoribus sibi postulans aperiri. Cumque sibi aperire nollent, & ille cla-

moribus & ictibus nimis fieret importunus. Interrogat Episcopus mulierem, si ingressum hominis illius peregrini acceptaret? Cui illa dixit: Proponatur sibi aliqua quæstio satis grauis, quam si enodare sciuerit, admittatur, si autem nesciat, tanquam inscius & indignus Episcopi præsentia repellatur. Fauent omnes eius sapientiæ & sententiæ, & quis esset sufficiens, qui hanc quæstionem proponat, sciscitantur? Cumque nullus sufficiens inueniretur, Episcopus dixit: Quis enim nostrûm ad hoc tam sufficiens est, quàm vos domina, quæ cæteros nos eloquentia præceditis, & sapientia nobis omnibus plus rutilatis. Vos igitur hanc proponite quæstionem. Tunc illa dixit ad peregrinum: Quod est maius miraculum, quod Deus vnquam fecit in parua re? Interrogatus peregrinus per nuncium de hoc, dixit: Diuersitas & excellentia facierum humanarum. Inter tot enim homines, qui fuerunt ab initio mundi, & vsque in finem futuri duo reperiri non possent, quorum facies per omnia similes essent. In ipsa quoque tam minima facie, Deus omnes sensus corporis collocauit. Audientes autem omnes eius responsionem admirantes dixerunt: Vera & optima est quæstionis solutio.

lutio. Tunc mulier ait: Proponatur ſibi ſecunda quæſtio grauior, in qua melius poſſumus eius ſapientiam experiri. Quæratur ab eo, vbi terra ſit altior omni cœlo? Percunctatus de hoc peregrinus, reſpondit: In cœlo Empireo, vbi Chriſti corpus reſidet. Corpus enim Chriſti, quod eſt altius omni cœlo, eſt de noſtra carne formatum. Porrò caro noſtra quædam ſubſtantia terrea eſt, Cùm igitur Chriſti corpus ſuper omnes cœlos ſit, & de noſtra carne originem duxerit, caro autem noſtra de terra ſit condita, conſtat, quòd vbi corpus Chriſti reſidet, ibi proculdubiò à terra cœlo altior manet. Refert nuncius quæ reſponderat peregrinus, & ecce omnes reſponſionem approbant, & magnam ſapientiam eius laudant. Tunc iterum illa dixit: Fiat ei tertia quæſtio grauiſsima & occulta, ad ſoluendum difficilis & obſcura, vt ſic eius ſapientia tertiò approbetur, & dignus ſit, vt ad menſam Epiſcopi admittatur. Quæratur ergò, quantum ſpatium ſit à terra vſque in cœlum? Requiſitus de hoc peregrinus nuncio dixit: Vade ad eam, quæ te miſit ad me, & de hoc eam diligentius percunctare. Ipſa enim melius nouit, & ideò melius

tibi de hoc respondebit. Nã illa, illud spatium mensurauit, quando de cœlo in abyssum cecidit. Ego autem nunquam de cœlo cecidi, & ideò illud spatium nunquam taliter mensuraui. Non enim est mulier, sed Diabolus, qui se posuit in similitudinem mulieris. Audiens hæc nuncius vehementer expauit, & ea quæ audierat corã omnibus recitauit. Mirantibus itaque omnibus & stupentibus, antiquus hostis de medio eorum euanuit. Episcopus autem rediens ad seipsum, de perpetrata culpa veniam lamentabiliter precabatur. Misitque nuncium, vt peregrinus introduceretur, sed nequaquam amplius inuenitur. Tũc Episcopus populum congregauit, & ei euidenter exposuit ordinem gestæ rei, præcepitque vt omnes ieiunijs & orationibus insisterẽt, si fortè dominus alicui reuelare dignaretur, quis nam peregrinus ille fuerit, qui eum à tanto periculo liberauit. Reuelatum est autẽ ea nocte, quòd beatus Andreas fuerit, qui pro liberatione Episcopi se posuit in habitu peregrini. Cepit igitur Episcopus in deuotione beati Andreę crescere, ac eum exindè in reuerẽtia plus habere. Supradictæ autem narrationes diuersarum apparitionum, quæ per Dæmones factæ sunt, ad sensum exteriorem, diuersis

uersis hominibus, tàm iustis, quàm peruersis, imò & ipsi domino Iesu Christo, idcircò hîc aliquantulum diffusè introductæ sunt, vt euidentius appareat, imò & error manifestus & periculosus illorum, qui nimis attendentes ad ea, quæ de illusionibus interioribus hominum dicuntur illo cap. Episcopi. supraalligato. Putant autem, malè asserunt, quòd Dæmones non apparent hominibus ad sensus exteriores, quin potius, omnia huiusmodi Dæmonũ facta circa homines, asserunt esse illusoria, velut quædam somnia. Sicut enim pauca considerantes de facili in suis iudicijs decipiuntur. Ita prædicti fortè solùm attendentes ad ea quæ in prædicto cap. Episcopi dicuntur, & ignorantes vel non considerantes ea, quę diffusius in sacris scripturis, & doctrina sanctorum traduntur, de operibus & potestate Dæmonum, manifestè decipiuntur & in errorem labuntur, vt verbi gratia: Si quis legens quòd Diabolus Euam decepit per serpentem, indè crederet quòd Diabolus nunquam tentaret, vel tentare posset, ac decipere quenquam, nisi per serpentem, valdè esset insipiens, Ita qui nimis arrescant circa prædictum cap. Episcopi. faciliter errant & turpiter decipiuntur, credentes, quòd Dæmones aliter

non poſsint decipere vel apparere circa homines, niſi per interiores illuſiones & fantaſticas apparitiones, de quibus fit mentio in ipſo capit. Epiſcopi. Quemadmodum ſiquidem maligni ſpiritus, inimici ſalutis humanæ & fidei catholicæ, adinueniunt ſectas & hæreſes contra fidem & ſalutem hominum, ita procurant media ad aſſeruandum hæreſes & ſectas, & ſuſcitant callidè impedimenta ijs, qui conantur huiuſmodi ſectas & hæreſes extirpare. Vndè non immeritò creditur, quòd Dæmones, qui prædictam hæreſin & ſectam abominabilem faſcinariorum erexerunt, induxerunt prædictos aſſertores ad credendum, & pertinaciter aſſeuerandum, quòd ea quæ per maleficos faſcinarios fiunt in cultu Dæmonum non ſunt, niſi illuſiones dormientium. Hoc autem luce clarius patet, ex proceſſu facto cuidam Magiſtro in Theologia, ſuper huiuſmodi hæreſi & ſecta deprehenſo, qui ſpontè confeſſus fuit, & detexit, quomodo in cultu Dæmonis ipſe cum pluribus alijs complicibus realiter & pluries conuenit, quem Dæmonem inter eos vidit & coluit apparentem, quandoque in forma hominis, quandoque in forma hirci, vbi abnegauit Deum & fidem catholicam, beatam-

que virginem,& crucem. Prædictus autem Magiſter vocatus Magiſter Guilhelmus Adelme, Anno domini M. CCCC. LIII. die 12. menſis Septembris, in Capella Epiſcopali Ebroicenſi iudicialiter coram iudicibus fidei, cum lachrymis in terram proſtratus, exhibuit quandam ſchedulam, continentem ſua commiſſa, contra fidem in dicta hæreſi & ſecta, offerendo prædictis iudicibus abiurationem. Ipſa autem ſchedula continebat inter cætera, quòd quando ipſe fuit introductus ad dictam ſectam, Diabolus aſſerebat, quòd ipſe Magiſter Guilhelmus benè poſſet ſi vellet, augmentare eiuſdem Dęmonis dominium, præcipiendo eidem Magiſtro Guilhelmo prædicare, quòd huiuſmodi ſecta non erat niſi illuſio, & quòd hoc prædicaret, ad contendandum populum patriæ, vbi tunc morabatur ipſe Magiſter Guilhelmus. Hunc Magiſtrum Guilhelmum, ego qui hęc ſcribo, noui & frequentiſsimè vidi, antequam eſſet de hoc crimine ſuſpectus.

DE TRIBVS MODIS QVIBVS Dæmones ſolent ſe exhibere præſentes exterioribus hominum ſenſibus.

CAP. QVINTVM.

TRibus

TRibus aũt modis solent Dæmones se exhibere præsentes sensibus hominum exterioribus. Vno quidem modo, per aliquam rem, à Deo vel natura productam, quam rem Dæmones permittente Deo assumunt, vt eius medio aliquid agant, vel loquantur circa homines. Et hoc modo Diabolus per serpentem à Deo productum locutus fuit Euæ, & eam decepit, inducens ad transgresionem diuini mandati, in comestione fructus prohibiti. Gen. cap. 3. Hoc etiam modo Diabolus per quandam puellam loquebatur hominibus diuinando, quæ per hoc magnum dominis suis quæstũ præstabat, per quam puellã ipse Diabolus laudabat Paulum Apostolum, Sillam, & Lucam in ipsorum præsentia, quem Diabolum Paulus in nomine Christi ab ipsa puella eiecit, vt habetur Actor. cap. 16. vbi dicitur sic: Factum est autem nobis euntibus ad orationem, quandam puellam habẽtem spiritum pythonem obuiare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis diuinando, hęc subsecuta Paulum, & nos clamabat dicens: Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annunciant vobis viã salutis. Per hunc etiam modum Dæmones frequenter locuti

cuti sunt Christo per homines Dæmoniacos, vt patet ex decursu Euangelicorum. Secundo autem modo Dæmones quandoque se exhibent quibusdam hominibus præsentes ad exteriores sensus, per aliquas res artificio hominum factas, ad cultum & inuocationem ipsorum Dæmonum, sicut per Idola ad obsequium Dęmonum fabricata. In quibus quandoque Dæmones habitantes, dant responsa suis cultoribus, vt patet in legendis Sanctorum, Bartholomæi, Simonis & Iudæ, & quā plurimorum aliorum sanctorum. Hoc etiam modo Nigromantici, & cultores artium Magicarum fabricant imagines & annulos, & alia huiusmodi cum superstitiosis obseruantijs à Dæmonibus subtiliter adinuentis ad hominum deceptionem & ipsorum Dæmonum cultum, qui per tales fingunt se includi, & dant quandoque responsa artium magicarum cultoribus, quæ ab omni vero Christiano sunt abhorrenda, quoniam sinceritati fidei catholicæ sunt aduersa. In cuius fidei susceptione quilibet baptizatus abrenunciat Diabolo, operibusque & pompis eius. Et cùm secundum veritatem Euangelicam nemo posit duobus dominis seruire, patet quòd Christianus colens artem magicam nō colit Christum

ſtum veraciter, nec eſt Catholicus, quicquid aliundè faciat aut facere videatur circa cultum ritumque Chriſtianæ religionis. Tertio prꝫterea modo ſe exhibent hominum ſenſibus exterioribus, Dæmones præſentes, per aliquas res, non quidem à natura, vel hominum artificio factas, ſed per ipſoſmet Dæmones, qui poſſunt faciliter formare ſiue facere ſua naturali poteſtate, quando Deus permittit de materia elementali, ſubtiliter & faciliter aliqua corpora in diuerſis figuris, tàm hominum quàm beſtiarum, vel aliarum rerum, vt per hæc eorum præſentia hominibus innoteſcat, vel vt ſic conuenientius operentur vel loquantur circa homines, ad temptandum atq; decipiendum, prout diffusè in ſuperius narratis geſtis & exemplis liquidò apparere poteſt, & adhuc inferius cap. 14. dicetur.

QVOD CORPORA A DÆMOnibus formata & aſſumpta non ſint viua, licèt ſint ſenſibus exterioribus perceptibilia.

CAP. SEXTVM.

COnſide-

COnſiderādum tamen, quòd quamuis corpora à Dæmonibus formata & aſſumpta ſint hominum ſenſibus exterioribus perceptibilia, nō tamen ſunt corpora viua. Anima ſiquidem duo facit in proprio corpore, Nam primò viuificat ipſum, & ideò anima dicitur forma corporis, quia dat ei vitam. Secundò anima mouet corpus & eius membra. Non ſic eſt autem de anima reſpectu indumenti, quo corpus induitur, quia licèt anima moueat indumentum, non tamen dat vitam veſtimento, ſed ſolummodò mouet ipſum, ſicut & nauta mouet nauem, non tamen viuificat eam. Dæmones itaque vtuntur corporibus formatis per eos & ipſa mouent, & per ea operantur circa homines, & in eis formant voces, & verba intelligibilia, faciuntque per ea operationes ſimiles operibus vitæ, quamuis huiuſmodi corpora non viuant, vnde ſtatim poſtquam Dæmones ea dimittunt, reſoluuntur & euaneſcunt in ſuam, vnde facta ſunt materiam priſtinam. Nec mirum ſi dicatur, quòd corpora formata & aſſumpta per Dæmones non ſunt viuentia, nec per ea exercent opera vitæ, ſed ſunt duntaxat opera,

opera, quæ videntur similia operibus vitæ, quia etiam corpora assumpta & formata à sanctis Angelis, quando hominibus apparent ad ipsorum ædificationem non sunt viuentia, nec per ea Angeli sancti exercent opera vitæ, sicut patet de sancto Angelo Raphaële, qui in forma hominis aliquandiu fuit cum Thobia iuniore, & conduxit eum per longam viam, & per plures dies conseruando cum ipso continuè. Qui tandem manifestās se esse Angelum, inter cætera dixit ipsi Thobiæ, & alijs eius domesticis hæc verba: Etenim cùm essem vobiscum, per voluntatem Dei videbar quidem vobiscum manducare & bibere, sed ego cibo inuisibili, & potu qui ab hominibus videri non potest, vtor. Thob. 12. Ex quibus verbis elicitur, quòd quamuis sanctus Raphaël videretur in corpore per ipsum assumpto manducare & bibere, non tamen realiter manducabat & bibebat. Nec tamen fuit in hoc falsitas, aut deceptio, quia hoc faciebat ad ædificationem & instructionem Thobiæ, ostendēdo, quòd, quandiu sumus in hac mortali vita, tanquam viatores, debemus cum moderamine ad subleuamen naturæ vti rebus à Deo nobis datis cum gratiarum actione, & Dei benedictione, sicut Raphaël suo exemplo osten

debat

debat Thobiæ, quãdo videbatur commedere, & bibere. Dęmones autem in ſuis apparitionibus per aſſumpta corpora, ſemper intendunt decipere, & ad malum homines, quibus apparent, inducere, & perditionem finalem. Quamuis autem vt dictum eſt huiuſmodi corpora non ſunt realiter viua, ſunt tamen ſenſu perceptibilia, viſibilia, & palpabilia, ab his quibus Dæmones per ipſa corpora ſe exhibent præſentes. Et ideò ſunt ſemper eorum facta ficta & fallacia. Circa dictas itaque Dæmonum exterioribus hominum ſenſibus apparitiones, aliquid eſt illuſoriũ & aliquid reale. Eſt enim illuſorium, quia huiuſmodi corpora his quibus apparent, vidẽtur eſſe viua, & tamen non viuunt. Eſt etiam in hoc illuſio, quantum ad finem, quem Dæmon intendit, quia eius peruerſa intentio eſt illudere, id eſt, decipere homines, quibus apparent, ad hoc vt peccent, & Deũ offendent, & tandem damnentur. Et ad hunc finem Dæmon apparendo quandoq; promittit, temporalia, vt auferat ſpiritualia & impediat cœleſtia. Sic enim Chriſto promittebat dare omnia regna mundi & gloriam eorum, ſi adoraret ipſum, vt ſcribitur Matth. 4. capit. Aliquando etiam Dæmon aliqua confert his quibus apparet, vel pro

eis aliquid facit, quod eis placet, vt vindictas inimicorum, sicut dixit Lex. Multi. capit. de Math. & ma. Sic enim restituit Theophilum, vt superius recitatum fuit. Est autem reale in huiusmodi apparitionibus, hoc quod non fiunt per somnia, sed per realem sensibus exterioribus apparitionem, & realiter per huiusmodi apparitiones Dæmones in corporibus assumptis, quoniam circa homines quibus apparent & loquuntur & operantur. Vndè & beatus Augustinus lib. 15. cap. 21. de ciuit. Dei, refert quosdã Dæmones mulieribus esse improbos, circa actus venereos, ita dicens: Creberrima fama est, multiq; se expertos, vel ab eis qui experti essent, de quorum fide dubitandum non esset, audiuisse confirmãt Siluanos & Phannes, quos vulgò Incubos vocãt, improbos sæpè extitisse mulieribus, & eorum appetisse concubitũ, & quosdam Dęmones, quos Drusios Galli nuncupant, assiduè hanc immunditiam tentare & efficere plures, talesq; asseuerãt, vt negare impudentis videatur. Nonnulli quoque prætereà Doctores & Glossæ tractantes materiam, de generatione Gigantum, de qua loquitur sacra scriptura Genesis cap. 6. opinantur, quòd Gigantes generati sunt opere Dæmonum, de quo beatus Thom.

prima parte, quæst. art. 3. sic dicit: Si ex coitu Dęmonum aliqui interdum nascantur, hoc non est per semen ab eis decisum, aut à corporibus assumptis, sed per semen alicuius hominis ad hoc acceptum, vtpotè, quòd idem Dæmon, qui est Succubus ad virum fiat, Incubus ad mulierem, sicut & aliarum rerum semina assumunt, ad aliquarum rerum generationem, vt Augustin. 3. lib. de ciuitat. Dei dicit, vt sic ille qui nascitur non sit filius Dęmonis, sed illius hominis, cuius est semen acceptum. Ex his itaque patet, quòd Dæmones quandoq; formant & assumunt sibi vera corpora, non tamen sunt viua nec humana, sed humanis corporibus similia, vel etiam similia corporibus bestiarum. Potest igitur Dæmon in forma corporis muliebris se supponere viro lubrico, qui credit esse veraciter mulierem, & tunc Dæmon receptum semen viri illius aliquandiu in suo vigore asseruare potest, & post hoc potest Dæmon ipse formare & assumere corpus in forma corporis virilis, & sic aliquam mulierem lubricam aptam cõceptui sibi supponere, quæ putat illũ esse realiter virum, & permittit se ab eo supponi, & tunc Dæmon acceptum & conseruatum semen à viro infundit corpori mulieris suppositæ,

& fit conceptio & generatio hominis, Infans tamen ſic generatus nō eſt filius Diaboli, qui fuit mediator generationis illius viri, à quo fuit ſemen deciſum, vt dicit S. Thom. Quoniam plures etiam cultores ſectæ & hæreſis, faſcinariorum vtriuſq; ſexus ſpontè confitentur, quòd in congregatione ipſorum quam vocāt Synagogam vel concilium in præſentia & apparitione Dæmonum non ſolùm inuicem, ſed etiam cum Dæmonibus voluptantur carnaliter, adeò vehementer, quòd aliqui ex eis aſſerunt ſe poſtmodum vno vel duobus diebus valdè corporaliter fatigatos & feſſos ex ipſa voluptatis nimia vehementia.

DE DIFFERENTIA INTER ſectam & hæreſin faſcinariorum modernorum, & illuſionem mulierum de quibus loquitur c. Epiſcopi.

CAP. SEPTIMVM.

EX dictis & ſtatim dicendis facilè deprehēdi poterit, quàm grandis ſit differentia, inter ſectam & hæreſin maleficorum faſcinariorum, in qua Dæmones ſenſu exteriori perceptibiliter apparentes coluntur à faſcinarijs, & illam

de qua

de qua narratur in capit. Episcopi. quòd mulieres quædam illusæ dormiendo, putabant se transferri in obsequium Dianæ vel Herodiadis. Primò quidem, quia experientia manifestè docet, quòd operationes Venereæ & passiones carnalis voluptatis perfici siue consumari non possunt à dormientibus, etiam si per illusiones aut turpes fantasias inchoentur dormiendo. Cùm itaque ferè omnes hæreses & sectæ maleficorum siue fascinariorum cultores, quorum plures ex eis, vtriusque sexus, hoc spontè, & cum signis erubescentiæ fateantur, asserant, quòd in congregatione sua, quam faciunt ad cultum Dæmonum, ipsi cum Dæmonibus apparentibus, quandoque ad inuicem inordinatè carnaliter voluptantur, adeò vehemēter, vt prætactum est, quòd plures ex eis indè posteà per aliquot dies manent afflicti & debilitati. Manifestum est, quòd huiusmodi apparitiones fiunt realiter, non à somniantibus, sed à vigilantibus. Hoc etiam compertum est quandoque à domesticis eorum, qui post processus & cōfessiones reipsa manifestata retulerūt prædictos fascinarios sibi domesticos certis diebus veneris manere in lecto afflictos, & cùm causam prius ignorarent, postmodum facta & audita confes-

sione fascinariorum, qui diebus Iouis nocte frequentant dictam congregationem, siue Diabolicam Synagogã, cognouerunt eos in regressu, vno vel diebus plurib. manere vexatos & afflictos, quamuis ipsi sic afflicti, non redderent aliquam rationabilem causam suæ afflictionis, quæ semper eodem tempore contingebat. Conuentio igitur prædictorum peruersorum fascinariorum non est fantastica illusio, sed realis & corporalis siue personalis exercitatio, in cultu & præsentia Dæmonum.Ettereà hoc idem patet ex hoc, quòd pleriq; fascinariorum ipsorum studiosissimè elaborant inducere ad ipsam sectam Diabolicã, personas quas ad hoc percipiunt aliquibus coniecturis esse inclinabiles, & aliquo modo dispositas, vtpotè, vel quia sunt leues moribus, vel curiosè ad velle videre noua vel insolita, vel quia sunt in tribulatione, vel quia habent aliquas inordinatas affectiones, ad voluptates, aut ad vindicationes aut huiusmodi. Tunc enim prędicti seductores fascinarij callidè, talibus personis aperiunt & offerunt modum ad complendũ sua desideria, & ad satisfaciendum suis affectionibus per medium & cultum ipsius hæresis & sectę. Quibus consentientibus, ducunt huiusmodi personas ad locũ

conuen-

conuentionis faſcinariorum certo & ſtatuto tempore,& Dæmonibus ibidem prę-ſentant,inſtruẽdo eos, ne quouis modo in ipſa congregatione ſignũ crucis faciant, vel deDeo loquantur,niſi vituperando,ſc. ipſum abnegando.Et poſtq̃ ibidem prędictas perſonas colligauerunt cum Dæmone,indè reducant eas,& aſſociant,tàm eundo,q̃ redeundo. Compertumq́; eſt, ꝙ huiuſmodi ſeductores multis diebus, & importuna ſollicitudine, operã dederunt ad hoc,vt quaſdã perſonas ad dictam ſectam & Diabolicam Synagogam deduxerunt. Contigit ẽt quandoq;, ꝙ hi,qui ad locum Synagogæ Diabolicæ fuerũt ducti ad præſentiam Dæmonum,cautè propter priſtinam cõſuetudinem fecerunt ſignum crucis,vndè Dęmones abſcedebant & euaneſcebant,& diſsipabatur Synagoga, & indè à ſuis ſeductoribus fuerunt grauiter reprehenſi,ſuper hoc,quòd ſignum crucis fecerunt,& impediuerunt perfectionẽ cultus, vel celebrationẽ Synagogę Diabolicæ. Ex quo manifeſtè patet, quòd hæc fiunt corporaliter,vigilando. Vndè differt hæc ſecta ab illa, de qua fit mentio in prædicto capit.Epiſcopi. vbi nil tale contigit. Hoc autem anno ſcilicet M. CCCC. LVIII. quidã iudicialiter ſpontè confeſſus fuit, ꝙ

cùm olim ipse esset iuuenis, scilicet quinq; vel sex annorum, mater eius ipsum cum quodam fratre eius paruulo, quem inter brachia portabat, & cum quadam eius sorore, duxit ad Synagogam fascinariorum, & ipsos tres liberos Dæmoni obtulit, apparenti in effigie cuiusdam hirci, instruendo eos, quòd ille esset eorum dominus & magister, qui eis multa bona facturus esset, & fecit ipsa mater dictos liberos tangere prædictum Dæmonem manu super caput effigiei prædictæ, & ipse Dæmō quem vocabant Tonyon omnes tres prædictos anteriori pede tetigit in eorum coxis, & eis signum impresit indelebile, quod signum prædictus ipse, qui hoc confitebatur, deferebat, apparens ad quantitatem vnius fabæ, qui & pluribus annis post prędictam introductionem perseuerauit in prædicto cultu sectæ, cum fratre & sorore supradictis: erat enim circiter sexaginta annorum, quando supradicta confitebatur spontè vt dictũ est. Gesta igitur & conuentiones huius hæresis & sectæ fascinariorum, non sunt fantasticæ illusiones, sed peruersæ & perfidæ vigilantium reales & corporales actiones, damnabilesque volentium & consentientium operationes, in obsequium malignorum spirituum exhibitæ.

hibitæ. Secundò, hoc idem patet ex parte Dæmonum huius ſectæ actorum & operationum indè prouenientium. In ea enim fantaſtica apparitione, ſiue illuſoria congregatione, de qua fit mentio in ſępedicto cap. Epiſcopi, nil aliud habetur, niſi quòd quædam mulieres illuſæ, putabant ſe ire in obſequium Dianæ vel Herodiadis, quæ ſunt fabuloſæ quædam & Poëticæ fictiones. In hac autem faſcinariorum ſecta ſiue Synagoga, conueniunt non ſolùm mulieres, ſed viri, & quod deterius eſt, etiam Eccleſiaſtici & Religioſi, qui ſtant & loquuntur cum Dæmonibus perceptibiliter, inter eos apparentibus varijs formis, & à quibus Dæmones faciunt ſe nominari proprijs nominibus, quos ipſi faſcinarij, genibus flexis & oſculis exhibitis adorant, & colunt, recipiendo eos in Dominos & Magiſtros, abnegando Deum & fidem catholicam, & fidei myſteria, quibus Dęmones ipſi promittunt patrocinia & auxilia, cùm ab eis inuocantur, quibus etiam ipſi Dęmones poſtmodum ab eis inuocati apparent quandoque de die, & in alijs locis, quandoque in Synagoga, & eis ſuffragantur frequenter ad nutum, quibus etiam ipſi Dæmones dant, veneficia & materias, ad maleficia perpetranda. Quæ quidem

materiæ veneficæ, frequenter ſunt ab alijs repertæ & viſæ. Nihil autem horum contigit in illa fantaſtica congregatione & illuſoria Dianæ aſſociatione, vnde fit mentio in capit. Epiſcopi. Patet igitur longam eſſe differentiam inter hanc faſcinariorum ſectam, realemq́; ipſorum cum Dæmonibus communicationem, & illam fantaſticam mulierum dormientium illuſionem. Cùm enim, vt ait dominus & ſaluator noſter, ex fructu cognoſcatur arbor, quia mala arbor, malas facit fructus. Mat. ca. 7. Eſt manifeſtum ex perpetratione innumerabilium maleficiorũ, quæ faſcinarij perpetrant Dæmonum patrocinio, quòd ipſi realem communicationem pactionemq́ue & confœderationem habent cum Dæmonibus. Hi namq; malefici faſcinarij conſcij & quodammodo certi de Dæmonũ promiſſo patrocinio, frequẽter his, quibus indignantur, inferunt cõminationes, de nocumentis inferendis, quandoq; p̃figentes terminum futurorum nocumentorum, & quandoq; exprimentes qualitatẽ nocumentorũ, infra terminum p̃fixum. Quandoq; verò ab ipſis contingentib. nocumẽtis ipſi malefici faſcinarij liberãt patientes nocumẽta, inducti precib., vel coacti terrorib. & quãdoq; verberibus. Nec apparet aliquis

aliquis modus naturalis vel artificialis prę dicta maleficia siue nocumenta inferendi vel auferendi. Constat aũt de p̃cedentibus cõminationibus & subsequentibus nocumentis, & quandoq; deliberationibus per ꝓcessus factos aduersus maleficos, quorũ plures quandoque conuicti, sine violentia confitentur, tàm ꝑ eos illata maleficia, siue nocumenta, q̃ liberationes eorũ. Nonnulli ẽt alij, non conuicti, sed statim ad primam interrogationẽ p̃dicta confitentur se perpetrasse, medio & patrocinio Dæmonum, quos in secta & hæresi prædicta colunt. Ex processibus prædictis, eorundemq́; fascinariorum confessionibus & factis, euidenter patet, eos inferre siue procurare infirmitates, languores, furias, impedimenta circa coniugia, mortes tàm hominum, q̃ pecorum, aborsus conceptiuam, & impedimenta conceptionum, & frugum & plurium rerum temporalium vastationes. Cùm igitur prædicta maleficia Dæmonũ inuocatione & patrocinio contingentia sint reales, & mali fructus maleficorũ fascinariorũ cultorũ & sectæ & hæresis prædictæ. Clarum est, quòd realiter & non fantasticè p̃dicti hæretici fascinarij confœderati sunt cum Dæmonibus & eos colũt, obsequunturq́;, eorumq́; Synagogas frequentant, in

quibus

quibus Dæmones cum eis perceptibiliter assistunt. Cùm enim cæteræ sectæ & hæresses ad suggestionem Dæmonum adinuentæ fuerint, medio tamen quorundam hominum in fide corruptorum, per quorum peruersam doctrinam traditæ fuerunt, & prædicate his, qui eosdem homines hæresiarchas secuti sunt, & per eos seducti, sicut patet de Manichæo, Arrio, Pelagio, & cæteris quorum sectatores & discipuli, dicti sunt Manichæi, Arriani, Pelagiani, & huiusmodi. Hæc pessima sectarum & hæresum nefandissima, traditur per ipsosmet Dæmones propter superabundantiam nimiam Christianorum peccatorum, domino Deo irritato & contempto iustè permittente. Nam iuxta saluatoris pręnunciatam infallibilem veritaté, mundo ad consummationem propinquante abundabit iniquitas, & refrigescet charitas. Et iuxta Prophetiam beati Ioan. Euangel. soluetur Satanas, qui per Christum fuerat ligatus. Apoc. cap. 20. Soluitur autem quando permittitur plus solito præualere super homines ad decipiendum & flagellãdum. Fuerat siquidem per Christum eiectus Satanas à principatu, quem vsurpauerat in mundo, vt dicit Christus: Nunc princeps mundi huius eijcietur foras. Ioh. capit. 12.

Cùm

Cùm aũt ſolutus fuerit, tunc iterato vſurpabit ablatum ſibi principatum ampliorem, ſuper volentes ſibi ſubijci, propter ſuas peruerſas voluntates ab ipſo adimplendas. Et tunc non per hæreſiarchas ſeducet, ſed per ſemetipſum, velut princeps, & ſuos ſubiectos & coapoſtaticos peruerſos Angelos, ſeducet & faciet homines à vero Deo & eius fide apoſtatare, & ſe coli & adorari iterum principatu reuſurpato. Hanc autem veritatem propheticè prænunciauit Apoſtolus Paulus, diuina fretus reuelatione: Spiritus (inquit) manifeſtè dixit, quòd in nouiſsimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis Dæmoniorum. 1. Timo. cap. 4. Ipſe autem Apoſtolus in pleriſq; paſsibus ſuæ doctrinæ aſſerit hæreſes & ſeductiones à fide inuentas & traditas, per Pſeudoapoſtolos & perfidos homines, ſeductores fidelium. Quibus velut verbis Apoſtolicis attendentes fideles, fuerunt ſeducti à vera fide. Hîc autem aſſerit, quòd homines nouiſsimis diebus diſcedent à fide & attendent, nõ quidem doctrinis hominum, ſed doctrinis Dęmoniorum & ſpiritibus erroris. Cùm autem, vt tradũt ſancti Doctores, ſacrarum prophetiarum expoſitores, facta, quæ temporibus ſtatutis contin-

contingunt, quandoque faciunt declarationes prophetiarum, & adimpletionis earum, sicut patuit in factis & gestis circa Christi aduentum, & Ecclesiæ fideiq; dilatatione & progressu. Ita ex consideratione gestorum & detestabilium factorum huiusmodi horribilis sectæ & hæresis fascinariorum, in qua eius cultores, attendunt & obediunt doctrinis Dæmoniorum, & spiritibus erroris, qui perceptibiliter eis vigilantibus, & consentientibus apparent, patet impleri in eis prophetiā beati Pauli præmemoratam. Sicut autem Christo prædicante, & opera magna & mira faciente, multi excæcati, non fuerunt digni credere. Ita nūc plures qui etiam manifesta maleficorum fascinariorum maleficia & confessiones etiam spontaneas eorum percipiunt, non solùm intelligere hanc pestiferam sectam recusant, sed etiam perturbāt & impediunt eos, qui nituntur succurrere & prouidere. Hoc autem Diabolo fit suggerēte, ad impediendum extirpationem, vel saltem repressionem suæ perfidiæ, qua & suos cultores, à fide catholica abalienatos damnare student, & fideles innumeris maleficijs & molestationibus, inuocati à suis cultoribus conturbent. Illæ autem mulieres, vt sæpè dictum est illusæ, de quibus

bus ſit mentio in dicto cap. Epiſcopi. nulla indè perpetrabant maleficia, neq; ad hæc perpetranda ſuſcipiebant aut reportabant vlla media. Tertiò apparet differentia inter illam fantaſticam mulierum illuſionem, de quo loquitur cap. Epiſcopi. ſæpedictum, & hanc maleficorum ſeu faſcinariorum ſectam & hæreſin, in qua realiter & corporaliter conueniunt prædicti hæretici, cum Dæmonibus viſibiliter apparentibus & loquentibus. Nam fide dignæ perſonæ, cum iuramento examinatæ, retulerunt ſe de nocte ambulando pro ſuis negotijs per aliquas vias cautè, vidiſſe & percepiſſe, DEO volente, congregationem ſiue Synagogam dictorum faſcinariorum, apparente inter eos aliqua luce, qua ſatis deprehendi poterant, atque ſe aliquas perſonas ibidem cognouiſſe, in quarum præſentia poſteà, me qui hæc ſcribo præſente, & iuramentum recipiente iudicialiter aſſeuerauerunt ipſæ perſonæ fide dignæ ſe vidiſſe dictas perſonas faſcinarias in dicta Synagoga exprimendo circumſtantias eorum, quæ ibidem gerebant. Vnde prædictæ fide dignæ perſonæ ex hora qua huiuſmodi Synagogam viderant, fuerant perterritæ, & aliquandiu poſtmodum corpora-

corporaliter grauatæ. Aliquę etiam ex huiusmodi personis fascinarijs de ipsa hæresi deprehensæ sponte asseruerunt, se vidisse, cùm essent in sua Synagoga & cognouisse prædictas personas fide dignas casu transeuntes, iuxta locum suę Synagogę, & propter hoc fuisse vexatas operatione Dęmonum præsentium. Non est autem mirandum, si prædictæ personæ fide dignæ non viderunt Dæmones cū fascinarijs existentes, quia sic in corpore assumpto, Dæmon potest alicui apparere, quod non apparet alteri personæ etiam præsenti. Sicut legitur, quòd mulier Pythonica videbat Diabolum in specie Samuelis, quam tamen Saul Rex præsens non videbat, sed solùm audiebat, sicut scribitur 1. Regum, cap. 28. Facilè est autem Diabolo creare lumen de nocte ad decipiendum. Nam, vt beatus August. narrat 22. lib. de ciuit. Dei. loquēs de quadam lucerna inextinguibili existente in quodam Phano seu templo Idolorū, dicit, quòd Dæmon potuit sua virtute facere huiusmodi lucernam, quæ nec vento, nec pluuia extinguebatur. Multò magis possunt Dęmones in suis & fascinariorum suorum Synagogis, aliquod lumen, quo se mutuò videant, creare: non sunt igitur illusiones dormiētium gesta huius nefandæ

sectæ,

ſectæ,ſed realiter corporales actiones ſunt vigilantium. Quartò quoque hoc patet per conſiderationem earum rerum, quas pręparatas faſcinarij,ad Diabolicas Synagogas deferunt.Dæmones ſiquidem vt offenſam & iniuriam diuinæ maieſtatis promoueant, vtq; homines grauioribus peccatis illaqueent,& vt ſuæ propriæ ſuperbię ſatisfaciant,homines, quos cultores obtinent,inducunt ad oblationes ſibi faciendas,quæ ſunt quędam proteſtationes ſubiectionis ſuæ obedientiæ & fidelitatis ſibi à ſuis cultoribus promiſſæ & exhibitæ, ſicut ſacrificia Deo facta & oblationes exhibitæ,ſunt quædam proteſtationes veræ fidei, ſiue deuotè ſeruientium, & obedientiæ eum ſincerè colentium, vt habetur Deuteron.cap. 26.vbi Moyſes dixit populo Dei:Cùm intraueris terram, quam Dominus Deus tuus daturus eſt poſsidendá, &obtinueris eam,atque habitaueris in ea, tolles de cunctis fructibus tuis primitias &pones in Cartallo,pergesq́ue ad locum, quem Dominus Deus elegerit, vt ibi inuocetur nomen eius. Accedesq́; ad ſacerdotem, qui fuerit in diebus illis, & dices ad eum:Profiteor hodiè,coram domino Deo tuo,quòd ingreſſus ſum terram, pro qua iurauit patribus noſtris, vt daret eam nobis,&c.

bis,&c. Et infrà. Dominum elegisti hodiè, vt sit tibi Deus, & ambules in vijs eius,& custodias ceremonias illius, & obedias illius imperio. Sic etiam peruersi Dæmones in cultu hæresis & sectæ fascinariorum volunt sibi oblationes fieri à suis cultoribus in protestationem perfidię & infidelitatis, quam faciunt & proferunt in obsequium ipsorum. Faciunt enim omnes fascinarij Dæmonibus professionẽ omninò contrariam professioni, quam in ingressu Christianæ religionis fecerãt Deo, Baptismum suscipiẽdo, qui est ingressus & ianua Christianæ religionis. Doctrina siquidẽ & vniuersalis ritus Ecclesiæ catholicæ, obseruat vbiq; quòd venientes ad baptismũ abrenuncient Diabolo operibusq; & pompis eius,& consequenter se offerunt & asserũt se credere in Deum. Hęc enim est professio Christianæ religionis, & fidei catholicæ. Quotquot aũt intrãt sectam & hæresin fascinariorum, Diabolo qui visibiliter apparet eis suggerente abrenũciant Deo & cultui eius, & venerationi sacrorum Ecclesiæ ministeriorum, puta crucis, aquæ benedictæ, & cæterorum huiusmodi cum verbis blasphemis,& quandoq; iniuriosis sacrorũ profanationib.,& consequenter perfidam Diabolo offerunt & proferũt fidelitatem,

adora-

adorationemq́;,& cultum genua flectẽdo & oscula præbendo turpia. Et ad protestationem huiusmodi apostaticę perfidię ipsi oblationes sibi parant, quas secũ ad locum Diabolicæ Synagogę deferunt, & offerunt Dæmonibus suis, & ibidẽ relinquunt, puta de domesticis volatilibus, pecoribus, granis vel alijs rebus, quas ipsi fascinarij penes se habent, secundum suas facultates. Nullas autem huiusmodi oblationum præparationes faciebant mulieres illusæ in somnijs, de quibus loquitur c. Episcopi.

QVOD DÆMONES SPECIALIter tria genera oblationum exquirunt à suis cultoribus, si ad hoc percipiant ipsos posse inducere.

CAP. OCTAVVM.

QVia verò de sacrificijs & oblationibus Dæmonum verbum factum est, considerandum est, ꝙ secundũ scripturam sanctam, Dęmones inducunt suos cultores, ad tria detestabiliora in sui venerationem perpetranda. Primum est prophanatio sacrorum, sicut legitur factũ de prophanatione, seu contaminatione, tẽpli Dei ędificati per Salomonem, qđ Diabolo instigante contaminauerunt per Idolatriã cultores Idolorũ in Ierusalẽ, ponentes

 &colen-

& colentes Idola in ipso, in obsequiũ Dæmonum tempore Ezechielis Prophetæ. Cui dominus super hoc nimium offensus, ostendit in templo prædicto cultum Idolatriæ eorum, prædicens propter hoc implacabilem vindictam diuinam super eos dicẽs ipsi Ezechieli, post prædictam offensionem: Nunquid leuè est hoc domui Iuda, vt facerent abominationes istas, quas fecerunt hîc, quia replentes terram iniquitate, conuersi sunt ad irritãdum me. Ergò & ego faciam in furore. Nõ parcet oculus meus nec miserebor, & clamauerunt ad aures meas voce magna, & non exaudiam eos. Ezech. capit. 8. Non enim sufficiebat prædictis Idolatris committere iniquitates suæ Idolatriæ in alijs locis, sed vt magis placerent suis Dæmonibus, ipsi cultum Idolorum faciebant in templo Dei, quo nil sanctius erat in antiqua lege. Secũdum circa quod plurimùm instãt Dæmones suis cultoribus, est crudelis innocentum oppressio in eorum Dæmonum obsequiũ, quod fecisse filios Israël sacra scriptura recitat, & punitionem diuinitùs additam dicens: Immolauerunt filios suos, & filias suas Dæmonijs, & effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum & filiarum, quas sacrificauerunt

sculptilibus

ſculptilibus Canaan. Et interfecta eſt terra in ſanguinibus, & contaminata eſt in operibus eorum, & iratus eſt furore Dominus in populum ſuum, & abominatus eſt hęreditatem ſuam, & tradidit eos in manu gentium, & dominati eorum qui oderunt eos. Pſal. 105. Tertium non ad ꝙ Dæmones inducunt ſuos cultores, eſt humani ſeminis vel ſanguinis oblatio. De ſeminis humani oblatione in obſequium Dęmonis, prohibitionem fecit Dominus populo ſuo per Moyſen dicens: Si quis dederit de ſemine ſuo Idolo Moloth, morte moriatur, & populus terræ lapidabit eum. Et ego ponam faciem meam contra eum, ſuccindamq́ue eum de medio populi ſui, eò quòd dederit de ſemine ſuo Moloth & cõtaminauit ſanctuarium meum, & polluerit nomen ſanctum meum. Quòd ſi negligens populus terræ, & quaſi paruipendens imperiũ meum, dimiſerit hominem, qui dederit de ſemine ſuo Moloth, nec voluerit eum occidere, ponam faciem meã ſuper hominem illum, & cognationem eius, ſuccidamq́ue eum & oẽs, qui conſenſerint ei, vt fornicaretur cum Idolo Moloth de medio populi ſui. Leu. cap. 20. Non feciſſet dominus hãc prohibitionẽ populo, niſi iam per aliquos Idolatras fieret huiuſmodi ſeminis ob-

 latio.

latio. Hoc autē intelligitur & de filiorum immolatione, & humani ſeminis emiſsione. Nam & legitur quoſdam Idolatras quandam obſeruātiam voluptuoſam erexiſſe, quam vocabant ſacra Priapi. 3. Reg. 15. De ſanguinis autem humani oblatione in obſequium Dæmonis refert ſacra ſcriptura, quòd quadam die in monte Carmeli præſentibus Achab rege, & Helia vero Propheta Dei coram vniuerſo populo quadringenti Prophetæ Baal, & quadringēti quinquaginta lucorum cultores Idolorum, in obſequium Dęmonis, quem colebant, de corporibus fundebant propriū ſanguinem, vt ſic prouocarent ipſum Dæmonem, ad faciendum ſignum mirabile coram populo. Sed oratione Heliæ, & Dei virtute impediente, nihil Dæmon potuit facere, ad inuocationem dictorum falſorum Prophetarum. Helias verò impetrauit à Domino magnum ibi miraculum fieri, ſcilicet ignem diuinitùs accendi, ad ſacrificium inflammandum, quod erat multa aqua perfuſum. Dicit igitur ſcriptura ſic, de prædictis falſis Prophetis, Dæmonumque cultoribus: Clamabant voce magna, & incidebant ſe, iuxta ritum ſuum cultris & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine. 4. Reg. 18. De his autem vt ibidem

dem subditur, præcepit populo dicens: Apprehendite Prophetas Baal, nec vnus quidem effugiat ex ipsis. Quos cùm apprehendissent, duxit eos Helias ad torrentem Cison, & interfecit eos ibi. Tūc iustitia debita de ipsis Idolatris sic completa, Deus eadem die pluuiam dedit abundāter, quia non pluerat tres annos & menses sex, scilicet vsq; ad prædictam diem, propter peccatum Idolatriæ, de quo peccato facta iustitia, Deus placatus, largitus est abundanter pluuiam, & cessauit afflictio siccitatis. Si itaq; secundum infallibilem veritatem diuinarum scripturarum, quibus impossibile est falsum cōtineri, Dæmones inducebant eos, à quibus in Idolis colebantur, supradicta tria scelera exercere in suo cultu. Quid mirum, si ipsi eadem exigunt, sibi fieri ab his fascinarijs, qui Dæmones ipsos colunt, non inuisibiliter habitantes Idola fabricata, sed perceptibiliter apparētes in formis siue effigieb. formatis ab ipsismet Dæmonibus. Quo. n. attinet ad sacrarum prophanationem quis sufficeret enarrare vituperia, quæ in veneratione Dæmonum fascinarij pfidissimi faciunt salutifero crucis signo, sputis & pedū conculcatione. Et quod horribile est auditu, sacrosanctū corporis domini, & saluatoris Sacramentum,

cùm furari possunt, aut ministratum reseruare, pede sacrilego, cum verbis perfidis conculcant. Nam & quandoque per inquisitionem diligentem conuicti sunt, illud in Pascha acceptum & ministratum sibi retraxisse manu propria ex ore. Et postmodum confessi sunt, se hoc ad mandatũ Dæmonis fecisse, & tandem pede cõculcasse, in ipsius venerationem & obsequium. Hoc anno scilicet 1458. quædam mulier huius sectę, confessa fuit spontè ac iudicialiter, & postmodum in publico sermone se pluribus diebus Paschæ sacram hostiam à sacerdote sibi ministratam ex ore clãdestinè retraxisse manu, & indè eandem vsq; ad subsecutam diẽ Iouis custodiuisse, qua die ad Synagogam fascinariorum ipsam hostiam portauit, & in cõspectu Dæmonis, sui Magistri pede sacrilego conculcauit. Anno præterito, scilicet 1457. Alia quædam mulier, de hac hæresi deprehensa, spontè ac cũ gemitu iudicialiter, & consequenter coram multitudine copiosa populi in publica prædicatione confessa fuit, similiter sacram hostiam triginta annis singulis diebus Paschæ susceptam reseruasse, clandestineq; retractam ex ore, eandẽ pede conculcasse. Nunc circiter præteriierũt viginti anni, quidam Sacerdos in ciuitate Niuernensi,

nensi, de hac hæresi & secta deprehensus, & degradatus, cùm duceretur ad locũ supplicij, astante domino Comite Niuernensi moderno transitum faciendo per quendã locum siue terminum, petens ibidem aliquandiu sisti, & genibus flexis rogauit prędictum Comitem, quatenus ob reuerentiam Dei, vellet facere erigi vnam crucẽ in ipso loco, asfignans causam suę petitionis, quia, scilicet, quadam vice in ipso loco in conspectu & veneratione Dæmonis, quem colueerat ipse, quandã hostiam, ab ipsomet consecratam & illuc apportatã pede conculcauit. De morte verò innocentum infantium, tàm sine baptismo, quàm post baptismum perpetrata, per fascinarios in obsequium Dæmonis, magis opus est lamentatione, quàm narratione. Quædam enim mulieres dictæ sectæ vsq; ad mortem publicè & cũ gemitu constanter asseruerunt, cùm essent obstetrices, multos iugulasse infantes, sine baptismo, inductiõe & obediẽtia Dæmonis, quarum vna tradita brachio seculari, asseruit, se diuersis locis 23. infantes perimisse sine baptismo. Sed de humani seminis oblatione non est opus vlterius declarare, cùm omnes huiusmodi sectæ cultores, quando in Diabolicis Synagogis eorum congregãtur ad inuicem,

& cum Dęmonibus brutaliter, inordinatè ac turpiter impudicissimeq; voluptentur in cultu Dæmonum, vt superius satis dictũ est. Et quod horribile est auditu, à paucis annis citra, quidam sacerdos & mulier in Ecclesia clàm carnaliter concubuerunt, vt semen eorum cum sacramẽto Crismate commisceretur. Et hoc retulit Inquisitor, qui nũc est generalis Magister ordinis Prædicatorum, & vocatur Magister Martialis Auribelli de Auinione, qui mihi hęc scribenti narrauit & asseruit esse verum. Hæc siquidem sunt Idolatrarum & Dæmones colentium studia, & opera quæ ab initio Idolatriæ Dæmones docuerunt suos Idolatras, & cultores ab eo tempore, quo in Idolis colebantur, prout clarius sacra scriptura commemorat dicẽs: Aut inquit, filios suos sacrificantes, aut obscura sacrificia facientes, aut insanię plenas vigilias habentes, neq; vitam neque nuptias iam custodiũt. Sed & alius alium per inuidiam occidit, aut adulterãs contristat, & omnia commixta sunt, sanguis, homicidium, furtum, & fictio, corruptio, infidelitas, turbatio & periurium, tumultus, bonorum Dei immemoratio, animarum inquinatio, natiuitatis immutatio, nuptiarũ inconstantia, inordinatio mœchiæ & impudẽtię. In-

fandorum

ſandorum enim Idolorum cultura, omnis mali cauſa eſt & initium & finis. Sap. ca. 14. Non eſt itaque mirum, ſi Dæmones ab antiquis temporibus tot & tanta ſcelera fieri per ſuos cultores procurauerunt in cultu Idolorum, in quibus Dæmones ipſi habitabãt, ſi modernis temporibus eadem, vel deteriora fieri procurent, ab ijs faſcinarijs, qui Dæmones ipſos colunt, apparẽtes viſibiliter, & cum eis familiariter communicantes. Sunt autem moderni Idolatræ faſcinarij deteriores & deteſtabiliores his Idolatris, de quibus fit mentio in ſupraallegata ſcriptura, propter tres cauſas. Prima quidem, propter dignitatem naturæ humanæ, quæ per incarnationem filij Dei eſt vnita diuinitati in vnitate diuinæ perſonæ, vndè tota natura humana accepit nõ modicam dignitatem, & exultationem, & de diabolica ſeruitute fuit liberata, & in libertate conſtituta, vt ſcribit Apoſtolus dicens, de Chriſto & fidelibus: Communicauerunt inquit pueri, carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem, vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, Diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti, Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed

ſemen

ſemen Abrahæ apprehendit. Hebr. cap. 2. Quantò ergò natura humana dignior eſt effecta beneficio incarnationis, tantò maior iniuria fit Deo, & maior ingratitudo illorum eſt, qui ipſam naturam vilisſimis & immundis ſpiritibus rurſus ſubijciunt, & in eorum vilisſimam redigunt ſeruitutem. Secunda ratio ſeu cauſa eſt, propter ſuſceptam fidem, & agnitionem de Deo à Chriſtianis, qui illum ſpontè, fidem & Deum abnegant, vt Diabolum colant. Quantò enim à Deo beneficia potiora ſunt, & amplior de ipſo conceſſa cognitio, tantò maior ingratitudo, & grauior culpa, ſi offendatur poſteà eius maieſtas. Hinc ſcribit beatus Petrus dicens: Si enim refugientes coinquinationes mũdi in cognitione domini noſtri & ſaluatoris Ieſu Chriſti his rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora, deteriora prioribus. Melius. n. erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum cõuerti ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato. 2. Pet. ca. 2. Ipſe etiam ſaluator de hoc pariter dixit ſic: Ille qui cognouit voluntatem domini ſui, & nõ ſe præparauit, & non fecit ſecundum voluntatem eius, plagis vapulabit multis. Lucæ cap. 12. Non inuenitur autem, quòd illi, de quibus dicitur

in ſu-

in ſupraallegata ſcriptura, circa Idolorum culturam, tanta flagitia perpetrauerunt, habuerunt tantam de Deo cognitionẽ aut fidem, nec quòd Deum expreſsè, aut eius fidem abnegauerunt, ſicut faciunt Chriſtiani, quando efficiuntur hæretici faſcinarij. Vndè cõſtat eos eſſe cunctis alijs Idolatris & infidelibus deteriores & deteſtabiliores. Tertia cã eſt, quia alij præcedẽtes Idolatræ, non habuerunt collata ſibi tot & tanta myſteria diuina. Et ſacrã quæ habent Chriſtiani diuinitùs ſibi conceſſa. Et ideò Idolatræ præcedentes nõ prophanauerunt ſancta, quæ non habuerunt, quæ tamen impij faſcinarij, quando opportunitas adeſt, ſtudẽt prophanare & polluere in obſequium Dęmonum, quos colunt, vt ſuperius dictum eſt. Sunt igitur hæretici faſcinarij cunctis infidelibus Idolatris & hæreticis peiores & execrabiliores.

DE CONSIDERATIONE CAVtè habenda circa illud c. Epiſcopi.

CAP. NONVM.

QVoniam autem frequenter verbum ſuperius factum eſt, de ca. quod incipit: Epiſcopi. quod Gratianus inter cætera inſeruit in ſuo libr. 26. q. 5. Ad quod

quod quidem c. Episcopi. quidam incautè & periculosè attēdentes, obstaculum non modicum præstant extirpationi sectæ & hæresis fascinariorum, vndè ipsa fauorem accipit & incrementum. Idcircò aliquid dicendum videtur, tàm circa autoritatem ipsius c. Episcopi, quàm circa ipsius tenorem. Circa verò eius autoritatem occurrit à quo dictum cap. Episcopi fuerat factū. Nam Gratianus asserit esse sumptum, ex concilio Acquirensi. Illud autem concilium Acquirense non fuit de generalib., vel vniuersalib. concilijs, sed fuit quoddam particulare concilium aliquorum Ecclesiasticorum, quapropter non est illius autoritatis, sicut generalia vel vniuersalia concilia, vel sicut sunt statuta vel doctrinę summorum Pōtificum, vel sanctorum Doctorum. Proindè siquidem Gratianus studuit, singulis capitulis sui libri, qui dicitur Decretorum, præponere ipsorū capitulorum autores, vt sciat prudens lector discernere & iudicare, siue etiam ponderare autoritatem singulorum capitulorum, quia non omnia dicta, siue capitula contenta in eodem libro, sunt paris ponderis siue autoritatis, Quia aliquod pondus autoritatis à suis autoribus allegatis, ab ipso Gratiano in principio cuiuslibet capituli, vndè etiam

iam quædam capita in eodem libro contenta, dicuntur paleę, quia non fulciuntur grauitate sufficientis autoritatis. Non est igitur prædictum c. Episcopi. tantæ reputationis, sicut pleraque alia eiusdem libri capitula, quoniam etiam ex ipsius tenore patet fuisse satis indigestè & leuiter, atque grossè factum, quod patet ex sequentibus. Ad probandum namque, quòd illa repręsentatio facta quibusdam mulieribus, de quibus ipsum c. loquitur, fuerit facta duntaxat in spiritu earum, scilicet in sola interiore fantasia, & non exteriorum sensuum corporali experientia, inducit duo exempla scripturę sacrę, scilicet Ezechielis Prophetæ & Pauli Apostoli dicens: Quis verò tàm stultus & hebes sit, qui hæc omnia, quæ in solo spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur, cùm Ezechiel Propheta visiones, quæ Domini sunt in spiritu, non in corpore viderit & audierit, sicut ipse dicit: Statim, inquit, fui in spiritu. Et Apostolus Paulus non audet se dicere in corpore, sed dicit: Siue in spiritu, siue extra corpus, nescio, Deus scit. Quicqd aūt fit de illusione facta mulierib. in solo spiritu, de quo loquitur prædictū c. Epi. hoc tamen efficaciter non probatur ex exēplo inducto de Ezechiele, qui

qui dicit se fuisse in Ierusalem in spiritu in visionibus. Si enim Ezechiel, ita fuit solùm in spiritu in visionibus in Ierusalem, quòd non potuit ibidem esse in corpore, nec illud corporaliter trãsferri de Chaldęa, vbi corporaliter tunc erat, vera esset probatio, quam dictum cap. Episcopi. intendit facere, scilicet quòd prædictæ mulieres solùm in spiritu & non in corpore fuerunt in suis visionibus, & quòd illusæ fuerint in somnijs. Sed ideò prædicta probatio est inefficax, quia licèt Ezechiel fuerit corpore in Chaldęa, quando spiritu fuit in Ierusalem, in visionibus Dei. Potuit etiam faciliter fieri incorporaliter, vt non solùm fuisset in Ierusalem in spiritu, sed etiam in corpore præsens illuc portatus & translatus. Sicut legitur de Abacuc Propheta, qui angelica virtute fuit translatus corpore de Iudæa in Chaldæam ad Danielem in lacum Leonum, & iterum indè restitutus in Iudæa, Daniel. capit. 14. vbi sic dicitur: Erat autem Abacuc Propheta in Iudæa, & ipse coxerat pulmentum, & intriuerat panes in alueolo, & ibat in campũ vt ferret messoribus. Dixitque Angelus ad Abacuc: Fer prandium quod habes in Babylone Danieli, qui est in lacu Leonum. Et dixit Abacuc: Domine Babylonem nõ vidi, & lacum nescio.

nescio. Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portauit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone super lacum in impetu spiritus sui. Et post pauca sequitur. Porrò Angelus Domini restituit Abacuc cõfestim in locum suum. Similiter etiam legitur beatũ Philippum, postquam in quadam via baptizauit quendam virum Eunuchum Candacis reginæ, à loco vbi eum baptizauit fuisse personaliter raptum à spiritu Domini, & positum in Azoto ciuitate, de quo sic dicit scriptura: Cùm autem ascendissent de aqua, spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus. Ibat. n. per viam suam gaudens. Philippus autem inuentus est in Azoto. Act. cap. 8. Possunt itaque visiones & apparitiones rerum fieri & spiritu solo, vel etiam corpore vidẽtis ad rerum præsentiam realiter translato. Vnde patet quòd exemplum de visione Ezechielis in spiritu est inefficax ad intentum supradictum cap. Episcopi. Ad hoc etiam minus seruit allegatio inducta de raptu Pauli superius recitata. Beatus enim Paulus non ignorauit se non fuisse corporaliter raptũ in cœlum, quia tribus diebus, quibus eius raptus durauit ipse corpore erat perceptibiliter in Damasco in vico qui dicitur re-

ctus, in domo Iudæ, vbi tribus diebus prædictis in corpore stetit, non manducans neq; bibens, nec etiam videns. Et hoc notorium erat illi Iudæ & eius domesticis, & Ananiæ illuc misso à Domino, qui post triduũ prædictum ibidem Paulũ baptizauit, vt scribitur Act. c. 9. Nec hoc ignorauit Paulus. Sed eo tẽpore, quo prædictũ suum raptum & cœlestem visionem recitauit, scilicet quatuordecim annis elapsis à tempore ipsius raptus suæ visionis. Ipse nesciebat, vtrùm in Christo raptu seu visione, anima eius fuerit à corpore extracta, & ad cœlos ducta, vel vtrùm anima manente, tunc in corpore fuerit sibi facta prędicta visio, quę dicitur raptus. In quo raptu siue visione, vt communiter sancti Doctores asserũt, beatus Paulus vidit facie ad faciem beatã Trinitatem. Vidit enim clarè diuinam essentiam quam sancti in cœlo vident, quam visionem ipse Paulus appellat raptum eius vsq; ad tertium cœlum. Potuit aũt hæc visio fieri vtroq; modo, s. anima trãslata realiter ad cœlum, vbi sunt animæ beatorum. Potuit ẽt fieri anima eius manente cũ corpore. Nesciuit itaq; Paulus narrãdo suum raptum siue visionem, vtrùm anima fuerit translata ad cœlum, vel an manserit in corpore, sed nõ ignorat se non translatũ corpore

pore in cœlum. Ex hoc faciliter pōt deprehendi, quàm inefficaciter, & impertinēter hæc Pauli recitatio fuerit inserta dicto ca. Epi. ad probandum ꝙ mulieres, quarum fit mentio in dicto ca. non fuerant corporaliter cū Diana. Quamuis. n. hoc ita contingeret, tamen ad hoc probandum, nihil facit allegatio raptus B. Pauli, qui non fuit corporalis. Consequēter in eodem c. Epi. positis duobus exemplis prædictis de Ezechiele & Paulo, ad probandū mulieres de quibus fit mētio in ipso capite, solo spiritu illusas, interius subiungitur immediatè, quibus ita publicè annunciandū est, ꝙ qui talia credit & his similia perdit. Hęc. n. verba satis ambiguè & cōfusè posita sunt. Qui n. credit ꝙ Diana sit aliqua res, cui insit virtus diuina, vel aliquid, vndè debeat sibi cultus diuinus aut reuerentia, siue obsequiū, ꝓut illæ mulieres credebant, ille fidē ꝑdit. Sed q credit Dęmones posse sensib. corporeis exterius apparere, ad tentandū, vel q credit, ꝙ Dæmones possunt corporaliter, quandoq; aliqs hoīes, vel mulieres de loco ad locū trāsferre, Ille ꝓpter hoc nō perdit fidē, qn potiùs in hoc habet rectā fidē & catholicā. Apparuit. n. Diabolus sensibiliter Christo, quē statuit supra pinnaculū tēpli, & rursus in montē excelsū valdè, vt referūt

ſancti Euang. Deindè dicitur circa finem eiuſdem c. Episcopi. Quiſquis igitur credit poſſe fieri aliquam creaturam, aut in melius aut deterius immutari, aut transformari in aliquam ſpeciem, niſi ab ipſo creatore & Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui omnia fecit, & per quem omnia facta ſunt, proculdubiò infidelis eſt, & Pagano deterior. Sunt quippè prædicta verba periculosè ſatis & generaliter cumulata, eſt & opus circa ea ſanè diſcernere & clarius reſoluere. Quamuis itaq; vt ſcribitur Eccleſ. cap. 1. Vnus ſit creator omnipotens, qui ſingula in proprijs naturis conſtituit, & proprias virtutes ſingulis rebus indidit, & dedit quas condidit, & omnia conſtituit in modo, ſpecie & ordine, vt dicit Auguſt. in lib. de natu. bon. Qui etiam ſolus poteſt ſecundum beneplacitum ſuum quæcunq; vult facere præter ordinem, quem in ſuis creaturis ſtatuit, vt mortuos ſuſcitare, cæcos illuminare, & ſubitò infirmitates ſanare. Nihilominus ēt multę res quas cōdidit poſſunt immutari per actiones & virtutes, quas alijs rebus ipſe Deus cōceſsit. Poſuit enim Deus ipſe in rebus ſuis ſecundum diſponentem ſuæ incomprehenſibilis ſapientiæ diuerſi modi, virtutes actiuas atque paſsiuas, quas B. Augu. vocat rerū ſemina,

seu seminales rationes, ex quarum virtute & applicatione ad inuicem ordine debito siue per natiuam siue per artem sequitur rerum immutatio & noua generatio. Hoc siquidem modo, cùm in cõspectu Pharaonis de mandato Dei proiecisset virgam suam in terram, & miraculosè conuersa fuisset in serpentem, malefici Aegyptij ab ipso Pharaone vocati, suas virgas singuli proiecerunt in terram coram Moyse, & similiter conuersæ sunt in serpentes, non quidem diuina virtute, miraculosè operante, sicut fecerat in conuersione virgarum Moysi, sed Dæmone cooperante, applicando subtiliter & imperceptibiliter quasdam res, virgis, quarum virtute sciebat naturaliter ex virgis generari posse serpentes. Nam & quandoque ex quibusdam lignis, & in ipsis lignis naturaliter generantur vermes, & in quibusdam lignis putrefactis loco medullæ quandoque serpẽs inuenitur. Sciunt enim Dæmones præ omnibus Philosophis, rerum naturas & virtutes actiuas & passiuas & qualitates. Sciunt vbi ipsæ res sunt & resident, sunt enim natura agillimi. Sunt etiam potentes vltra omnes res corporales, & idcircò multa faciliter possunt per applicationem supradictam realiter facere mira, quæ ignoran-

tibus causas rerum factarum putãtur miracula, vel fortè fantasmata. Vndè beatus Augustinus tractans materiam de conuersione virgarum in serpentes per Magos, vt habetur in gloss. super Exod. ca. 7. dicit: Insunt enim omnibus rebus corporeis per omnia elementa mundi quædam occultæ rationes, quibus data cùm fuerit opportunitas temporalis, prorumpunt in species debitas suis modis & finibus. Ibidem etiã alia glos. eiusdẽ dicit: Dæmones quamuis mali naturam suam non amiserunt, ideò dum per incantationem eorũ malefici aliquid efficere conãtur, discurrunt per mũdum, & subitò semina eorum, de quib. hoc agitur afferunt, sic, quòd ex illis, permittente Deo nouas rerum species producũt. Patet itaq; quòd Dæmonũ ministerio virgæ factæ sunt serpentes, & eodem modo fecerunt de aqua sanguinem & ranas. Dicũtur autem malefici talia fecisse, quia inuocauerunt clàm Dæmones, quos colebãt ad hoc faciendũ, sed Dæmones modo prętacto hæc fecerunt. De hoc siquidem scribitur Exod. cap. 7. Vocauit autem Pharao sapientes & maleficos, & fecerunt etiam ipsi, per incantationes Aegyptias, & arcana quædam similiter, proieceruntque singuli virgas, quę versę sunt in Dracones. Item in

eodem

eodem cap. Postquam ad tactum aquę, per virgam Moysi aquæ fuissent conuersæ in sanguinem, dicitur sic: Fecerũtq; similiter malefici Aegyptiorum incantationib. suis. Rursum cap. sequenti, post conuersionem aquæ in ranas Dei virtute dicitur sic: Feceruntq; malefici per incantationes suas similiter, eduxeruntque ranas super terram Aegypti. Et licèt conuersiones factæ ad sermonem Moysi fuerunt miraculosæ, nõ tamen illæ qui ministerio Dæmonum factæ sunt, vt patet ex supradictis. Prętereà secũdum doctrinam B. Augu. & aliorum sanctorũ DD. Dęmones sua naturali virtute, modo superiùs declarato, possunt de aëre, & elemẽtali materia formare aliqua corpora, in quibus apparẽt hominibus in diuersis formis. Et licèt huiusmodi corpora vera sint corpora, sensu perceptibilia, vtpotè, visibilia, palpabilia & odorabilia, sicut fecit Dæmon corpus visibile, quãdo apparuit Christo ad tentandũ, vt dicitur Matth. cap. 4. Non tamen sunt huiusmodi corpora viuẽtia, vt suprà dictum fuit. De hoc autem ipse beatus August. 3. lib. de Trinitate capit. 11. dicit sic: Facile est enim spiritibus nequissimis per aëra corpora facere multa, quæ mirantur animę terrenis corporib. aggrauatæ. Qui igitur credit, quòd modo

prædicto ministerio Dæmonum, res aliquæ possint de nouo immutari, aut etiam de nouo aliqua corpora formari, hic fidem non perdit, quin potius rectam & catholicam fidem tenet, quicquid dicatur in sępè dicto allegato c. Episcopi. Secundum itaque prædictam Dæmonum operationem formãtur ab ipsis corpora varijs modis, quibus apparent & communicãt cum hæreticis fascinarijs in suis conuenticulis & Synagogis execrabilibus, vt patebit infrà in cap. 14.

QVOD MAGNA SIT DÆMOnum potestas licèt sint à Deo reprobati.

CAP. DECIMVM.

SEcundum doctrinam beati Dionysij, quãuis Dæmonum siue malignorum spirituum voluntas sit deprauata, & à Deo per proprias eorum iniquitates auersa & peruersa, natura tamen Angelica, in qua à Deo creati sunt & potestas naturalis remanserũt integrè in ipsis. Vnde sicut Diabolus naturæ perfectione excellit omnes creaturas corporeas, ita etiam potestatis vigore excedit eas. Quapropter

propter de eo dicit ſcriptura ſacra: Nõ eſt, inquit, ſuper terram poteſtas quæ comparetur ei, qui factus eſt vt nullum timeret. Omne ſublime videt, ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Iob. cap. 41. Dominus etiam Ieſus Chriſtus ſe comparat Diabolo, ſicut forti fortiorem. Cùm enim quoddam Dæmonium ab homine muto Chriſtus eieciſſet, vnde turbæ percipiẽtes mutum loqui, mirarentur ſuper poteſtate Chriſti. Peruerſi autem ac inuidi Phariſæi dicerent, quòd in Beelzebub principi Dęmoniorum Chriſtus eijceret Dæmonia, quaſi dicerent, quòd ipſe non propria virtute, ſed per inuocationem Beelzebub magno Dæmoniorum principe eijciebat, minora Dæmonia & ſubiecta. Chriſtus volens aſſerere, quòd Dæmonia eijciebat ſua virtute, quę nimirum fortior eſt ad expellendum Dęmonia, quàm eorum virtus ad inuadendum ac obſidendum ſiue poſſidendum homines, dixit, loquens de ſe reſpectu Dæmonis: Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſsidet: ſi autem fortior ſuperueniens, vicerit eum, vniuerſa eius arma aufert, in quibus habebat fiduciam. Luc. ca. 11. Hoc autem loco Chriſtus atrium intelligit hominem à Dæmone poſſeſſum vio-

lentia fortitudinis Dæmonis, sed Christus fortior vicit & superauit Dæmonem eijciendo ab homine obsesso. Beatus quoque Paulus Apostolus considerans & salubriter declarans magnam Dæmonum aduersariorum nostrorum potestatem, respectu nostræ fragilitatis & debilitatis humanæ dicit: Non est nobis, inquit, colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus Principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ tela in cœlestibus. Ephes. capit. *6*. Propter hanc siquidem magnam Diaboli potestatem sacra scriptura comparat ipsum rebus terribilibus. Christus enim eum comparauit fulguri, dicens: Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Luc. cap. 10. Petrus verò Apostolus ipsum comparat Leoni, dicens: Vigilate, quia aduersarius vester Diabolus tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide. 1. Petri cap. 5. Sed beatus Ioannes ipsum comparat Draconi, dicens de Christo sub nomine Angeli: Ipse apprehendit Draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus & Satanas, ligauit eum, &c. Apoc. 20.

DE

DE EXERCITIO POTESTATIS Dæmonum circa homines tentando de peccatis.

CAP. XI.

ASſidua neceſſariaq; meditatione dignum profectò verbum paulòante ſcriptũ beati Petri Apoſtoli, cunctis in huius mundi periculoſa peregrinatione degentibus, quo dicitur: Sobrij eſtote, &c. Quotquot enim tentando inducit Diabolus ad conſenſum peccati mortalis, tot deuorat, & ſibi incorporat, ac membra corporis iniquitatis facit, cuius caput ipſe eſt. Niſi enim cum peruerſa voluntate poteſtatem haberet ad tẽtandum, beatus Petrus fruſtrà dixiſſet ei reſiſtẽdum eſſe in fortitudine fidei. Et quia fragilis ac debilis eſt humanæ naturæ conditio, ideò inter neceſſarias petitiones Deo porrigendas dicitur in oratione Dominica: Et ne nos inducas, id eſt, induci permittas in tentationem, id eſt, in conſenſum tentationis imminentis. Sunt enim Dæmones aduerſarij callidiſsimi & fortiſsimi, vt patet per hoc, quòd Apoſtolus dixit, vt prętactum eſt: Non eſt nobis colluctatio, &c. Ad videndum itaq; ſaltem perfunctoriè qũo Diabolus

Diabolus potest homines tentare, cõside-randum videtur, quòd quamuis anima humana, secundum suam essentiam & substantiam sit indiuisibilis, ipsa tamen secundum potentiam & operationem distinguitur in partem superiorẽ & inferiorem. Pars autẽ superior, continet cognitionem intellectualem, quæ quandoque dicitur ratio, & etiam comprehendit voluntatem liberam, quæ quandoquę vocatur appetitus intellectiuus. Hęc autem superior pars humanæ animæ vocatur à verbo antiquo animus, quando dicit Dæmones, non credimus per operationem substantialiter illabi animis, in libro de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 51. Aliquando autem vocatur ab eodem mens humana, in qua solus Deus habet immediatè potestatem, vt ipse Augustin. dicit in eodem lib. scilicet, quòd solus Deus illabitur mẽtibus humanis. Et ideò dicitur Prouerb. 21. Cor hominis in manu Dei ad quodcunque voluerit vertet illud. Vnde in hanc partem animæ humanæ nec Diabolus nec alius habet potestatem directè, nec potest cogi ad aliquid consentiendum, nisi à solo Deo, cùm merè sit libera. Et propter hoc omne peccatum, malus siue inordinatus consensus voluntatis, est voluntarium. Hinc beatus Augustinus

ſtinus in libr. de libero arbitrio: Nulla, inquit, alia re fit mens hominis ſerua libidini, niſi propria voluntate. Ibi autem vocat libidinem, omnem iniquitatem, quia pro voluntatis libito committitur. Secundum itaque hanc animæ partem ſuperiorem: Diabolus directè tentare non poteſt homines, quia nec immutare nec cogere poteſt hominum voluntates directè operando, ſiue applicando ſuam poteſtatem in ipſas voluntates. Alia verò pars animę, quę eſt inferior, dicitur ſenſitiua ſiue ſenſualitas, in qua homines communicant cum beſtijs ſiue brutis. Animæ enim brutorum propter ſuam imperfectionem, ſunt totaliter immerſæ, ſuis corporibus, ſiue materiæ corporali, & ideò nullam habent operationem, niſi cum corpore. Sed animæ humanæ, propter ſuam perfectionem, nō ſunt totaliter immerſæ materiæ, ſiue corporibus ſuis, & idcircò habent ſuperiorem partem intellectiuā, de qua parte dictum eſt, cuius operationes exercentur omnes, ſine quocunque organo ſiue inſtrumento corporeo, quamuis ſenſitiua pars animæ, ſicut & cæterorum animalium, nō niſi per corpus & cum corpore, habeat ſuas actiones & paſsiones, vt dictum eſt. Hæc autem pars inferior continet fantaſiam & appe-

titum sensitiuum. Omnis igitur operatio ad tentandum, quam interius Dæmon facit hominibus, fieri videtur operando, vel circa fantasiam procurando, siue proponendo repræsentationes quasdã. Vel circa appetitum sensitiuum incitando & mouendo ad aliquid, vndè inclinetur voluntas ad malum & consensum inordinatum. Dęmõ itaq; non põt hoĩes inducere ab intra ad peccatum, quod cõmittitur à voluntate, nisi per viam inclinationis & persuasionis. Secundum autem doctrinam sanctorum, Diabolus operatur circa res istas inferiores, per motum localem, vnde beatus Thomas dicit, quòd Diabolus omnia illa potest creare, quæ ex motu locali corporum inferiorum prouenire possunt, nisi virtute Dei reprimatur. prima secundæ q. 80. articulo 2. Et quia repræsentationes quandoque fiunt in fantasia naturaliter, sicut dicit Philosophus in libro de somno & vigilia, vt superiùs dictum fuit: ideò Diabolus, per commotionem humorum & spirituum siue dormiendo siue vigilando potest in fantasia hominum plures repræsentationes causare. Appetitus etiam sensitiuus excitatur ad aliquas passiones naturaliter, secundum aliquem determinatum motum cordis & spirituum, quem

quidem

quidem motum Diabolus cauſare poteſt, vndè fit vt ſimul Diabolus & repræſentationes aliquarum rerum in fantaſia procuret, & ad eas appetitum ſenſitiuum fortiter ac vehementer excitet ad id quod in fantaſia repræſentatur. Indeque contingit frequenter, quòd homo vehemēti paſsione incitatus iudicet & pariter conſentiat illud proſequendum, & ſic fit conſenſus in operatione & tentatione Diaboli, ſiue in præſentia obiecti, ſicut videndo rem delectabilem, ſiue etiam in eius abſentia. Et hoc modo Diabolus tentauit Dauid de ſuperbia, quando fecit numerare populum regni ſui, ad vanā gloriam, vt appareret, quòd homines ad arma & bella aptos poſſet colligere, ſi vellet. Fuerat enim Dauid antea in magnis tribulationibus & periculis, & aliquando à regno ferè deiectus, & habuit multa bella, fuit tamen diuinis auxilijs liberatus, & tandem DEVS dedit ſibi vndique pacem, & dilatauit regnum eius, & ſubiecit ſibi inimicos, & Diabolus volens perturbare ipſum & regnum ſuum, ſcilicet regnum Iſraël, tentauit eum de ſuperbia & inani gloria, quam Deus non diu ſine punitione toleraret. Et de hac tentatione dicit ſcriptura: Conſurrexit

autem

autem Satan contra Israël, & concitauit Dauid vt numeraret Israël. 1. Paralip. cap. 21. Reduxit enim ad memoriam & fantasiam ipsius Dauid victorias quas habuerat, quamuis quandoq; habuisset multos inimicos, tunc autem habebat regnum totum subiectū, & inde cogitare cepit quantam copiam robustorum posset colligere regno suo pacifico & dilatato, & incitauit vehementer, ad sciendum numerum suorum, quem extenuabat maximum. Nam cùm in regno Israël essent duodecim tribus, inuenti sunt in vna sola tribu, scilicet tribu Iuda, trecenta & octuaginta millia bellatorum, & in septem alijs tribubus mille millia & centum millia. Duæ enim tribus non fuerunt numeratę, quia numerator deputatus, scilicet, Ioab, inuitus hoc faciebat, sciens, quòd in hac inani gloria offendebatur Deus, & sine graui punitione nō cederet, sicut nec cessit. Secuta enim fuit grauissima punitio, vt ibidem recitatur, Deo valdè offenso, per huiusmodi peccatum superbiæ & inanis gloriæ. Dæmon sic tentauit Theophilum, de quo dictum fuit suprà, de indignatione suæ deiectionis, & de elatione & ambitione dignitatis amissæ, propter quod ad Diaboli subsidiū recurrit, qui Diabolus Episcopum ad affe-

ctionem Theophili excitauit & inclinauit. Sic etiam Diabolus tentauit Iudam de auaritia, frequenter reducens in eius fantasiam repræsentationem pecuniæ, quā portabat, de his quæ Christo dabantur. Et Inuitabat Diabolus eius affectum & appetitum ad amorem pecuniæ, & ideò libenter retinebat & non libenter distribuebat, & quia quandoque oportebat, quòd aliquid indè distribueret, Christo iubente, ideò partem indè furabatur ad satisfaciendum appetitui suo, delectato in pecunijs, & deindè reduxit ei ad fantasiam memoriam Diabolus, odium Iudæorum, aduersus Iesum, & voluntatem firmatam ad ipsum capiendum, si modum opportunum inueniret. Indè Iudas auaritia corruptus, Diabolo suggerente, imaginatus fuit, quòd Iudæi darent libenter pecuniam illi, qui opportunè traderet illis Iesum, & consensit suggestioni, & accedēs ad Iudęos Christum precio vendidit, à Diabolo instigatus. Lucæ cap. 22. Textus enim dicit: Intrauit autem Satanas in Iudam, qui cognominabatur Scharioth, vnum de duodecim, & abijt & locutus est cum principibus sacerdotum, &c. & Matthæi 26. dicitur, quòd ipse dixit eis: Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? Iste autem

introitus, de quo refert Lucas, est illa operatio, quam Diabolus indè fecit interius, mouendo subtiliter eius fantasiam & appetitum sensitiuum. Et hoc modo intelligitur illud quod August. lib. de diuinatione Dæmonum, loquens de Dæmonibus: Suadent (inquit) miris & ineffabilib. modis, per illam subtilitatem corpora hominum non sentientium penetrādo seq; cogitationib. eorum per quędam imaginaria visa immiscendo, siue dormientiū siue vigilantium. Notanter autem dicit imaginaria visa, quia Dæmones non habent potestatem in voluntatem humanā, quę pertinet ad aīæ partem superiorem, sed duntaxat super inferiorē, ad quā pertinet imaginatiua & fantasia, vt dictum est. Prędicto etiam modo tentauit Satanas Ananiam & Zaphiram cōiugem suam, fraudem facere volentes coram Apostolis de precio cuiusdam agri venditi, & super hoc mentiri ex auaritia. Vndè Apostolus Petrus dixit Ananiæ: Anania cur tētauit Satanas cor tuū mentiri te Spiritui sancto & fraudare de precio agri. Acto. cap. 5. Sic etiam tentauit aliquos de iracundia, ad eorum fantasiam reducendo repræsentationem illorū, quibus indignantur, deindè mouendo fel, & etiam sanguinem circa cor, incitat ad vindictam,

dictam, propter quod dicit Psalmista: Irascimini & nolite peccare, sol non occidat super iracundiam vestram, nolite locum dare Diabolo. Ephe. ca. 4. Per hunc ẽt modũ tentat de alijs vitijs, tantò periculosius, quantò inperceptibilius, quia inuisibiliter & inperceptibiliter, vt suprà dictũ est à beato Augustin. corpora hominum non sentientium penetrat. Nec aduertunt plurimi hominum Diaboli præsentiam, qui non agit, nisi vbi ipse præsens est. Est autem efficatio Dæmonis, operatio ad concitandum aut commouendum humores & spiritus, ad passiones siue affectiones peccatorum in præsentia obiectorum exteriorum, quam in eorum absentia, sicut virum in præsentia fœminæ, & econtrà. Et ideò multi cautè fugerunt mundi conuersatio nem, & habitauerunt in heremis, & locis à populo remotis, & adhuc plurimi intrant religiones solitudinis & claustra, vbi obseruatur vita regularis, quia, vt scribitur 1. Iohã. 5. totus mundus in maligno positus est, & hoc est propter præsentiam & frequentem occursum obiectorum, ad peccata attrahentium, quibus mediantibus Diabolus vehemẽtius & frequentius tentat. Vndè Augu. li. 83. quęst. 12. dicit: Agite, inquit, ô miseri mortales, agite, ne vnquã

polluant hoc domicilium maligni ſpiritus, ne ſenſibus inceſtet, id eſt, violet animæ ſanctitatem, lucemq́; mentis obnubilet. Serpit hoc malum per omnes aditus ſenſuales, dat ſe figuris, accommodat coloribus, adhæret ſomnis, latet in ira, in fallacia ſermonis, odoribus ſe ſubijcit, infundit ſaporibus, ac turbidi motus illuuie tenebroſis affectionibus obtenebrat: ſenſus quibuſdam nebulis implet, omnes meatus intelligentiæ, per quos expandere lumen rationis radius mentis ſolet, &c. Modus itaque quo Dæmon interius homines tentat, eſt per commotionem humorum & ſpirituum, ſiue ad repræſentationes in fantaſia faciendas, ſiue concitando appetitum ſenſitiuum, ad aliquas paſsiones, vndè hominis voluntas inclinatur & allicitur, ad proſequendum paſsionem, & ad præbendum cōſenſum proſecutioni eius.

DE EXERCITIO POTESTATIS Dæmonum ad inferendum infirmitates, dolores, languores, vexationes & impedimenta vſus membrorum hominibus ab interius duntaxat operando.

CAP. XII.

ATtento

ATtento operationis diabolicæ modo prædicto, quo ſubtiliter & imperceptibiliter penetrando hominũ corpora, mouet Diabolus hominis inferiora, faciliter poteſt deprehẽdi, quomodo poteſt ſuam poteſtatẽ, ſi Deus permiſerit, infirmitates, dolores, languores, & etiam freneticas paſsiones & alienationes ſenſuum cauſare per interiorem commotionem, etiam abſque alicuius exterioris rei appoſitione ſiue applicatione, ſed ſola interiori operatione, corpus penetrando, & commotiones interius excitando, vbi tamen Deus ſecundum ordinem ſuæ incomprehenſibilis prouidentiæ permittit iuſtiſsimis iudicijs, quamuis nobis incomprehenſibilibus & incognitis, niſi quatenus nobis dignatus eſt reuelare. Cùm enim ſanitas conſiſtat in adęquatione ſiue proportione & conuenienti diſpoſitione humorum, & valetudine membrorum, Diabolus, ſi à Deo permittatur, ſua poteſtate corpus penetrando humores & ſpiritus mouere poteſt, vt dictum eſt, & interiora etiam membra attingere manifeſtè apparet, quòd ipſe poteſt facere in corpore, inordinatas commotiones, vndè ſtatim ſequitur indiſpoſitio & perturba-

tio sanitatis & trãquillitatis membrorum interiorum. Indè quãdoq; sequitur dolor & lãguor, vel infirmitas aut corporalis vexatio grauissima. Sicut habetur de hoc clarè exẽplum in scriptura de Saulo Rege, exagitato & vexato à Diabolo, sicut dicitur 1. Reg. 16. quòd spiritus nequam exagitabat eum. Exagitatio autem est quædã violenta siue vehemens commotio. Non autem exagitabatur continuè, sed aliquotiens. Beatus etiã Paulus dixit de seipso: Ne magnitudo, inquit, reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphiset. 2. Corinth. 12. Super quo verbo, dicit glossa, quę sumpta est de beato Augustino, vbi dicit: Vt me colaphizet, incutiendo tribulationes & dolores. Nam dolore capitis quodã traditur vehementer exagitatus. Dolores autem corporum plerunq; immittuntur ab Angelis Satanæ, sed hoc nõ possunt nisi permissi. Præmittitur huic gloss. alia glossa sumpta de libro contra Faustum, eiusdem August. in qua sic dicitur: Adeò traditus erat iustus colaphizãdus Angelis Satanæ, quæ per eum tradebatur iniustos ipsi Satanæ. Ad hoc idem confirmandum facit historia Euangelica, quam sanctus recitat Lucas cap. decimo tertio. Ad cuius intel-

intellectum opus eſt præmittere, quòd ſpiritus malignus quandoque accipit nominationem à ſuo effectu, vndè quandoque vocatur ſpiritus mutus, vel etiam ſurdus, quando ſcilicet aliquam perſonam, quam poſsidet, mutam vel ſurdam facit. Sicut patet Marci capit. 9. Vbi Chriſtus expellendo quendam malignum ſpiritum à quodam obſeſſo, dixit: Surde & mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo. Similiter etiam Diabolus ſpiritus infirmitatis, quando cauſat infirmitatem. Hoc itaque ſuppoſito, recitanda eſt hiſtoria Euangelica præmemorata. Refert enim, quòd in quadam Synagoga, vbi erat Ieſus docens Sabbato. Erat ibidem mulier, habens ſpiritum infirmitatis, octodecim annis, & erat inclinata, nec poterat omninò ſurſum reſpicere, quam Ieſus imponendo manus perfectè ſanauit. Vndè Archiſynagogus indignatus fuit, quia hãc ſanauerat die Sabbati, in quo non licebat operari. Cui reſpondit Chriſtus: Hypocritę, vnuſquiſque veſtrum Sabbato non ſoluit bouem ſuum aut aſinum à præſepio & ducit ad aquam, Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit Satanas, ecce octodecim annis non oportuit ſolui

à vinculo die Sabbati. Ex verbis Chriſti patet, quòd infirmitas & inclinatio ſeu corporalis incuruatio huius mulieris, erant cauſatæ poteſtate Dæmonis, qui ita eam vinculis infirmitatis, & violentę inclinationis alligauerat. Ipſe etiam Euangeliſta aſſerit eam habuiſſe ſpiritum infirmitatis. Qui ergò aſſerunt, Dæmones non poſſę cauſare corporales infirmitates, manifeſtè deuiant à veritate Euangelica & doctrina Chriſti. Nec ſolùm infirmitates cauſantur Dæmones, ſed etiam ſenſuum abalienationes & furias, quod cuilibet intelligenti & frequentanti audientiam Miſſarum eſt notiſsimum ex Euangeliorum quamplurium pronunciatione. Idcircò circa huius rei declarationem nõ eſt opus vlterius immori. Poſſunt & eadem ratione Dæmones ab intra accelerare infirmitates in corporibus, in quibus præeſt aliqua diſpoſitio ad ipſas. De impedimento autem vſus membrorum, iam paulò antè dictum eſt, quòd Dæmon, quem Chriſtus eiecit à quodam obſeſſo, faciebat ipſum mutum & ſurdum, quia impediebat linguam & loquelam & aures ab auditu, & pari modo poteſt facere circa viſum oculorum, & vſum aliorum membrorum, ſicut habetur in legenda ſancti Iacobi Apo-

ſtoli,

ſtoli, qui Dæmones immobilitauerunt Philetum, & impediuerunt vſum tibiarum & pedum eius, ſic quòd nullo modo poterat ambulare: quem beatus Iacobus ab huiuſmodi impedimento liberauit. Non fruſtrà ſunt condita Iura de frigidis & maleficiatis. Dicuntur autem maleficiati, qui diabolica operatione malefica, impediuntur à copula carnali, quamuis à natura ſint ad hoc apti. Compertum eſt autem hoc impedimentum maleficij cõtingere duobus modis: vno quidem modo per ſubſtructionem vel nimiam debilitationem poteſtatis exercendi actum carnalem, manente tamen affectione impediti ad alterũ coniugum. Vndè frequenter contingit, quòd manẽte amore partium ad inuicem, nihilominus corporalis copula inter eos fieri non poteſt. Sicut enim Dæmon commotione põt excitare appetitum, & membra ad actum Venereum, ita etiam poteſt retrahere, vel retinere ſpiritus, & cætera pertinentia ad actum carnalem, ne perueniant vel fluant huic paſsioni deſeruiẽtia. Alio autem modo grauiori contigit maleficium, vt frequenter, qui hæc ſcribo vidi, quia ſcilicet, perſona maleficata nõ poteſt tollerare præſentiam vel ſocietatem alterius partis, quia quotiẽs perſonæ ma-

leficatæ appropinquat altera pars, etsi non videatur à patiẽte, maleficium statim tamen torquetur, & toto corpore interius vexatur, & cogitur ex vehementia vexationis fugere, quandoq; cum validis clamoribus. Huiusmodi autem vexatio fit operatione & commotione Dęmonis sæpè dicto. Quoniam verò infirmitates, dolores & lãguores, aliæq; vexationes passionum, sunt quædam viæ & dispositiones ad mortem. Frequẽter mors hominum ex huiusmodi supradictis oppositionibus Dæmonum sequitur. Non est dubium Dæmones ita & eodem modo posse operationẽ prædictam circa pecora & bruta exercere, inferendo infirmitates, languores, dolores, & mortem, sicut personis humanis.

DE EXERCITIO ET EFFEctu potestatis Dæmonum inferendo infirmitates, languores, dolores, & cætera nocumenta in hominibus ab exteriori.

CAP. XIII.

DVobus modis Dæmones possunt affligere homines ab exteriori. Vno quidem modo manifesta violentia, sicut legitur in passione sanctorum Cosmæ

Coſmæ & Damiani, quòd Liſias Præfectus eos vocauit maleficos, & ſtatim ſubditur: Et hoc dicto, ſtatim duo Dæmones affuerunt, & eum in facie grauiſsimè ceciderunt. In legenda quoque beatæ Agnetis dicitur, quòd cùm Præfecti filius ipſam tentaret irruere, priuſquam eam manu contingeret, cecidit in faciem ſuam, & ſuffocatus à Diabolo, expirauit. Sacra etiam ſcriptura, de Sara virgine deuota ſic refert: Quoniam tradita fuerat ſeptem viris, & Dæmonium nomine Aſmodeus occiderat eos, cùm ingreſsi fuiſſent ad eam. Thob. ſecundo capit. Cauſam autem huius Angelus Raphaël aſsignauit fuiſſe eorum corruptam & libidinoſam intentionem, vt ibi dicitur capit. duodecimo. Nec ſolùm ſuper peccatores homines, ſed etiam ſuper iuſtos legitur Diabolum exercuiſſe ſuam poteſtatem ab exteriori, Deo tamen non ſine cauſa permittente, quemadmodum ſuperiùs recitatum fuit, de flagellatione beati Anthonij, facta per Dæmones perceptibiliter. De iuſto etiam Iob ſcribitur: Egreſſus itaq; Satan à Domino, percuſsit Iob vlcere peſsimo, à plãta pedis vſq; ad verticẽ, qui teſta ſaniẽ radebat, ſedẽs in ſterquilinio. Iob. 2. c. Alio aũt modo Diabolus ſuã ab exteriori, circa homines,

affligendo

affligendo exercet potestatē, non quidem apertè sed occultè, & imperceptibiliter, vtpotè apponendo sibi venenata, sicut homines venefici subtiliter intoxicant homines, siue cibis vel potibus, siue intoxicādo aliqua quæ homines tangunt, puta vestimenta, vel sedilia, sicut à quibusdam narratur, quòd Auerrois intoxicauit Auicennam, ponendo toxicum super folia libri, quem Auicenna solitus erat contrectare. Potest prætereà Diabolus faciliter aërem homines circumstantem, diuersimodè & ad diuersos & peruersos effectus infirmitatum vel languorum aut dolorum, siue vexationum seu etiam mortis inficere. Ex quo sic infecto, homines respirantes, facillimè corrumpi, vel infirmari, aut affligi vel etiam mori possunt. Hinc beatus August. in lib. de diuinatione Dæmonum, capit. 6. dicit: Accipiunt plerunque potestatem, morbos immittere, & aërem ipsum viciando morbidum reddere. Vbi igitur Dæmon diuino iudicio permittitur circa aliquam personam, maleficium facere, & sua vti potestate, potest circa huiusmodi personam die vel nocte aërem circumstātem, vt dictū est inficere & corrumpere, ex quo aëre infecto necesse est huiusmodi respirando interius attrahere, vndè incurrit infirmitatem

firmitatem vel aliquod corporis detrimentum. Constat enim naturaliter, quòd sunt quædam infirmitates contagiosæ. Vndè per aspirationem corrũpitur aër circumstans personas patientes huiusmodi infirmitates, ex quo infecto aliæ personæ præsentes inficiuntur, sicut patet de lepra & peste, quæ vulgariter nuncupatur Epidimia siue Pestilentia. Itaque prædicto modo infirmitates plures, & quandoq; mortem, domino Deo iustè permittente, possunt causare Dæmones. Vndè valdè stultè se iactant nonnulli ignari, asserẽtes, se non timere Dæmones vel maleficos, nec eorũ maleficia, nisi malefici ipsi appropinquantes personaliter huiusmodi se iactantibus aliquam rem venenatam eis ministrauerint, in potu vel cibo, vndè lædi possint. Possunt enim Dæmones hoc inuisibiliter facere per seipsos.

QVOD HOMINES MVLTIpliciter per diuinam prouidentiam præseruantur & proteguntur aduersus Dæmones.

CAP. XIIII.

DIuina

Diuina prouidentia diſponente, quæ nouit humanam fragilitatem & imbecillitatẽ, & Dæmonũ malitiam, fit, quòd quamuis Dęmonum grandis ſit poteſtas, non tamen poſſunt tot & tanta mala facere, vt volunt & cupiunt. Eſt enim eorum legata poteſtas per diuinam prouidentiam, qua tamen poteſtate permittuntur quandoque vti, ab ipſa diuina prouidentia, quæ etiam, quamuis ſolo nutu poſsit Dæmones coërcere & reprimere, ſecundum ordinem tamen incomprehenſibilis ſapientiæ conſtituit tàm miniſterio Angelorum, quàm exercitio hominum, circa ſpiritualia & diuina myſteria, impedire Dæmones hominum crudeles aduerſarios, & aduerſus eos præmunire & eis reſiſtere, tanquam indutos ſpiritualibus armis à Deo conceſsis hominum fragilitati. Hinc beatus Paulus fideles admonens ſuper ſollicitudine Dæmonum ad nocendum, dicit: Induite vos armaturam Dei, vt poſsitis aduerſus inſidias Diaboli reſiſtere, quia nõ eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mũdi rectores tenebrarum harũ, contra ſpiritualia nequitiæ tela in cœleſtibus, propterea

accipite armaturã Dei, vt poſsitis reſiſtere in die malo. Ephe. cap. 6. Præter aũt diuerſarum armaturas ſpiritualium virtutum, quas ibidem ſubiungit Apoſtolus, ſunt & aliæ armaturæ fidelibus diuino munere datæ, contra nequitiam Diaboli. Quarum vna eſt deuotus recurſus, ad diuinum auxilium, qui recurſus fit per diuerſam orationem, ſiue vocalem ſiue mentalem. Multæ ſiquidem, vt dicit Dauid, miſericordiæ omnibus Deum inuocantibus, Pſalm. octuageſimo. Ideò in oratione Dominica dicitur, libera nos à malo, quod non immeritò intelligitur de malitia etiam Diaboli. Non ſolùm opus eſt fideles orare DEVM, ſed etiam requirere orationes ſanctorum porrigi apud DEVM, & præſertim beatiſsimæ virginis Mariæ, cuius virtus & patrocinium efficaciter & ſingulariter valet, ad conterendum virtutẽ inimici. Vndè in eius Hymno dicitur: Maria mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege. Item frequenter dicitur in eius officio: Dignare me laudare te, virgo ſacrata, da mihi virtutem contra hoſtes tuos. Sunt enim Dæmones hoſtes genitricis Dei, per quam humanum genus eſt liberatum de eorũ ſeruitute, quod per Euam fuerat eorum ſeruituti obnoxium factum.

factum. Secunda armatura contra Dæmonum insultus est deuotè & frequēter præmunire siue signare se signo sanctæ crucis, per quod Christus Dæmones debellando eos deuincit, vt dicit Apostolus Ephes. ca. 2. Ideò Diabolus multùm timet signum sanctæ crucis, deuotè assumptum, quia Christus in ea affixus virtutem ei concessit, contra Dæmones, iusto iudicio, quia procurauerunt eū in ea affigi. Vndè in eius laudibus dicitur: Ecce crucem Domini, fugite partes aduersæ. Hinc est quod cùm fascinarij, quando introducuntur ad sectam & Synagogam, prohibentur facere signum crucis. Pleriq; etiam eorum spontè cōfessi sunt, quòd cùm primitus introierunt ad Synagogam, videntes rem insolitam subitò & impræmeditatè, propter pristinam se signandi consuetudinem, tūc se signauerunt, quo facto statim Dęmones euanuerunt, & Synagoga eorum dissipata fuit, quod valdè cedit ad firmitatem fidei catholicę, virtutemq́ue eius & dignitatem commēdandam, & ad honorem passionis domini nostri Iesu Christi, quam in cruce consummauit, & ad sanctæ crucis gloriam ac venerationem & deuotionem, fiduciamq́ue catholicorum fidelium excitandam. Si enim his, qui peruersi sunt à fide,

vtpotè,

vtpotè, corde & consensu, & eundo ad locum, vbi suam perfidiam facto & verbis perficere satagunt cum Dæmonibus, signum crucis fortuitu factum, tantam habet efficaciam aduersus Dæmones, quanta credenda est ipsius crucis virtus & defensio in his, & pro his, qui deuotè & fideliter super se faciunt eam. Huius rei gratia exempla sequētia pauca, de multis hîc inserere duxi de libris Ecclesiasticis & Catholicis. Refert beatus Gregor. in lib. Dialogorū quandam historiam in hunc modum: Ad memoriam venit, quid erga Andream Fundanæ ciuitatis Episcopum diuina misericordia fecerit, hic namque vir, cùm vitam plenam multis virtutibus duceret, seq; in continentiæ arce custodiret, quandam sanctimonialem, quam secum prius habuerat, noluit ab Episcopij sui cura repellere, sed certus à sua, eiusq; continentia secū hanc permisit habitare. Ex qua re actū est, vt antiquus hostis, apud eius animum aditum tētationis exquireret. Nam cœpit speciem eius oculis mentis illius imprimere, vt illectus nefanda cogitaret. Quadam verò die quidam Iudęus ex Campaniæ partibus Romam veniens Capuæ iter carpebat, Qui ad Fundanum cliuum perueniens, cùm die iam aduesperascente

cerneret, & quo declinare posset, minimè reperiret, iuxta Apollinis templum fuit, ibique ad se manendum contulit. Qui impium loci illius sacrilegium pertimescens, quamuis fidem minimè haberet, tamen crucis signo se munire curauit. Nocte autem media ipse sollicitudinis pauore turbatus peruigil iacebat. Et repentè conspiciens, vidit malignorum spirituum turbam, quasi in obsequium cuiusdam potestatis præire. Eũ verò qui præ cæteris præerat in eius gremio loci cõsedisse. Qui cœpit singulorum spirituum obsequentium sibi causa & actus discutere, quatenus vnusquisque, quantum nequitię egisset annumeret. Cumque singuli spiritus ad inquisitionem eius exponerent, quid operati cõtra bonos egissent, vel fuissent, vnus in medium prosiluit, qui in Andreæ Episcopi animum, speciem sanctimonialis fœminæ, quæ in Episcopio eius habitabat, quantam tentationem carnis commouisset, aperuit. Cùm verò malignus, qui præerat spiritus inhianter audiret, & tantò sibi facto lucro crederet, quantò sanctioris viri animum ad lapsum perditionis inclinaret, Ille spiritus, qui hæc eadem fatebatur adiunxit, quia ad hoc quoq; die præterito vespertina hora eius mentem traxerit

vt in

vt in terga alapam eiusdem sanctimonialis fœminæ blandiens daret. Tunc malignus spiritus & humani generis antiquus hostis exhortatus hunc blandè est, vt perficeret quod cœperat, quatenus ruinæ illius singularem inter cæteros palmam teneret. Cumque Iudæus qui aderat, hæc vigilans cerneret, & magnæ formidinis anxietate palpitaret, ab eodem spiritu, qui cunctis illis obsequentibus præerat missum est, vt requirerent, quisnam esset ille, qui iacere in templo eodem præsumpsisset. Qui maligni spiritus pergentes subtilius intuentes crucis mysterio signatum, viderunt & mirantes dixerunt: Væ, væ, vas vacuum, sed signatum. Quibus hoc renunciantibus cuncta illorum malignorum spirituum turba disparuit. Iudæus verò qui hæc audierat illicò surrexit, & ad prædictum Episcopum cum festinatione peruenit. Quem in Ecclesia sua reperiens, seorsum tulit, & qua tentatione vrgeretur, inquisiuit. Cui confiteri Episcopus tentationem suam verecundatus noluit.

Cùm verò ille diceret, quod in illa die tali, famula praui amoris oculos iniecisset, & adhuc Episcopus negaret, adiunxit dicēs: Quare negas quod inquireris, qui ad hoc

vespere hesterno es perductus, vt posteriora eius ferires. Ad quæ nimirum verba deprehensum se Episcopus intuens, humiliter est confessus, quod prius pertinaciter negauit. Cuius ruinæ & verecundiæ idem Iudæus consulens, qualiter hoc cognouisset, vel ea quæ in conuentu malignorum spirituū de eo audiuisset indicauit. Quod ille cognoscens, sese in terram protinus in orationem dedit, moxq́; de suo habitaculo non solùm eandem Dei famulam, sed & omnem quoq; fœminam, quæ in eius illic obsequijs habitabat, expulit. In verò templo Apollinis beati Andreæ Apostoli repentè oratorium fecit, & omni illa tentatione carnis caruit. Iudæum verò cuius visione & increpatione saluatus est, ad æternam salutem traxit. Legitur quoq; in conuersione S. Cypriani martyris, qui à pueritia fuerat in arte Magica & Dæmonum cultura edoctus, & exercitatus, de quo refertur in Speculo histo. libr. 13. cap. 122. Hic Cyprianus in quo Dei misericordia sic relucet, vt cùm spurcissimus & nefandissimus esset peccator, qualis nullus vnquam fuisse legitur, Sic tandem conuersus est, vt etiam pro Christo martyrium sustineret. Nam cùm septem esset annorum à parentibus Diabolo consecratus, modis omnib.

Diabolo

Diabolo ſeruiẽs, & in libris Magicis, imagines cum officijs trecentorum ſexaginta quinq; Dæmonum pictas habens, multos pueros, virgines, matronas & peregrinos Dæmonibus immolauit, latro cum latronibus theſauros hominum rapiebat, & in omni cœno luxuriæ volutatus, oẽs Chriſtianos conuicijs, detractionibus, & diuerſis iniurijs infeſtabat. Deniq; cùm omnia faceret, vt Diabolo placeret, & ipſos quoq; Dæmones in impietatibus ſuperaret, precibus & promiſsis Iuſtinam virginem per dies 80. tentauit. De occiſione etiã & modo tentationis dicitur in eodem lib. ca. 19. Quòd quidam Acladius nomine concupiuit dictam Iuſtinam habere in vxorem, ſed illa quæ virgo propter Deum permanere ſtatuerat, coniugium recuſauit. Ipſe verò acceſsit ad Cyprianum maleficum, vt arte Magica eã inclinaret, promittens duo auri Talenta & argenti. Ob hoc Cyprianus pluribus vicibus diuerſos Dæmones inuocatos ad eam miſit. Sed beata Iuſtina ſigno ſanctæ crucis fideliter oppoſito, cunctis tentationis Dæmones fugauit. Tandem Cyprianus Dæmonium ſibi familiarem principem inuocatum miſit, qui in ſpecie puellæ, ad Iuſtinam accedens, & ſedens ſuper eius lectum, dixit: Hodiè miſſa

ſum à Chriſto ad te viuere in caſtitate, multùm autem te video vexatam abſtinentia. Sancta virgo dixit: Merces autem multa, labor verò modicus. Dixit Diabolus: Deus in Paradyſo benedixit Adam & Euam, dicens: Creſcite & multiplicamini. Puto ergò ſi in virginitate permanſerimus, in iudicium incidimus, quia verbum Dei contemnimus. Tunc virgo turbata & per ſpiritum ſenſit, quis eſſet qui ei loquebatur, & ſigno crucis ſe ſignans Diabolum exſufflauit. Legitur quoque de ea in aurea legenda, quòd etiam ipſe Dæmon in ſpecie iuuenis viri, ad ipſam Iuſtinam intrauit ſuper eius lectum ſatagens & eam oſculari, & ad libidinis conſenſum inclinare, ſed ipſa ſignum crucis opponente, ille euanuit. Tandem Cyprianus inquirens à Dęmone cauſam tantę repulſionis eius & impedimenti: Reſpondit, quòd propter ſignum crucis, quod eſt ſignum Chriſtianorum, quo Iuſtina ſe muniebat. Ipſe cum tota ſua virtute non poterat in ipſam præualere. Vndè Cyprianus meritò & inſtructione beatæ Iuſtinæ conuerſus & baptizatus, conſequẽter factus Epiſcopus, meruit pro fidei Chriſti confeſsione, martyrio coronari. Non eſt mirandum, ſi Dæmones quandoque dicunt veritatem, circa

diuina

diuina myſteria, quia ſecundum ordinem diuinæ prouidentiæ aliquando ad hoc per bonos Angelos coguntur, ad honorem fidei, quam odiunt, & ad eorum confuſionem, iuſtitia diuina in hoc eos debitè premente. Narrat prætereà beatus Gregorius in Dialogorum libr. quòd ſanctimonialis quædam, ingreſſa hortum, videns lactucam, guſtauit, & mox à Diabolo arrepta grauiter vexata fuit, quam ſanctus Aequicius liberauit, hanc autem inuaſionem beatus Gregorius aſcribit, quia Monialis ſignum crucis oblita fuit facere. Non igitur ſine cauſa inoleuit inter Chriſtianos, laudabilis, imò & ſalutaris conſuetudo, vt nihil guſtetur, niſi præmiſſa benedictione, cum conſignatione ſigno ſanctæ crucis, quæ tamen conſuetudo apud populares ferè nunc obliuione ſepelitur. Tertiò prætereà multum obeſt malitiæ & poteſtati Dæmonum aſperſio aquæ benedictæ, cum inuocatione diuini nominis, quia aquæ benedictio eſt inter cætera ſpecialiter inſtituta, contra Dæmones, & eorum cunctas malignas operationes, vt patet in tenore formæ benedictionis eius. In exorciſmo enim ſalis, quod aquæ miſcetur, dicitur ſic: Diſcedat ab eo loco, quo aſperſum fueris,

 omnis

omnis fantasia & nequitia Diabolicę fraudis, omnisque spiritus immundus adiuratus. Item in eiusdem salis benedictione sic dicitur: Quicquid ex eo tactum vel respersum fuerit, careat omni immunditia, liberetur à noxa, omniq; impugnatione spiritalis nequitiæ. Item in exorcismo aquæ dicitur sic: Fias aqua exorcisata, ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradiare & explantare valeas, cum Angelis suis apostaticis. Item in eodem loco: Ad abijciendos Dæmones, morbosque pellendos, diuinæ gratiæ sumat effectum. Et infrà: Quicquid in domibus vel in locis fidelium hæc vnda resperserit, careat omni immunditia, liberetur à noxa, non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens, discedant omnes insidiæ latentis inimici. Item in fine benedictionis aquæ dicitur sic: Implorando diuinam clementiam, vt vbicunque fuerit aspersa, per inuocationem tui sancti nominis omnis infestatio immundi spiritus abijciatur, terrorq; venenosi serpentis procul pellatur. Quòd verò in quodam benedictionis loco dicitur, morbosq; pellendos, intelligendum est, præcipuè de morbis, quæ maleficio cõtingere possunt opere Dæmonis. Cùm autẽ Ecclesiæ mysteria

sint

ſint à Spiritu ſancto introducta, patet aquam benedictam contra Dęmonum malignitatem, magnam habere virtutem, & pro fidelibus magnam tutelam. De virtute autem huius ſacratæ aquæ, patet per hiſtoriam, quæ narratur in Spec. libr. 18. cap. 56. vbi dicitur: quod ſanctus Marcellus aggreſſus eſt deſtructiōe magni templi Iouis, in quo erant columnæ ingentes, & altitudinem templo habentes æqualem. Singulorum verò circulus columnarum erāt ſexdecim cubitorū. Porrò natura petræ fortiſsima, quæ non facilè quibuſlibet ferramentorū generibus rumperetur, Has verò per circuitum ſuffodiens, & ſub earū baſibus fortia ligna ſupponens, immiſit ignem, quo facto non poterat ligna naturaliter ignis accendere. Dæmon etenim quidam deterrimus apparuit, qui flammā vires ſuas prohibebat operari. Cumque frequenter hoc faceret, & molitionem ſuam explere non poſſet, nunciauerūt Pontifici meridie dormienti. At ille repentè ad Eccleſiam concurrens, & aquam in vaſculo portari præcepit, & quendam Diaconū ſuum ſumere iuſsit aquam, & velociter currere cœpit, & confidēter ſpargere, ignemq; ſupponere. Quod dum fuiſſet factum fugit Dæmon, nō ferens aquæ virtutem illius. Hac aūt de

causa salubriter, in plerisq; fidelium locis statutum est, & practicatur, quòd in singulis domibus, in vasculis mūdis iugiter habent aquam benedictam, quam singulis diebus dominicis de Ecclesia afferunt, & euntes ad lectum, ipsum & singulas ferè partes camerarum in quibus pausant & semetipsos aspergunt, & cunas vbi infantes positi sunt. Quartò contra Dæmonum insultus & potestatem, plurimùm confert sanctorum locorum, & ministeriorum diuinorum dum celebrantur, vt est audientia Missæ & cæterorum huiusmodi frequētatio. Hoc etiam patet ex quodam exemplo, quod tempore beati Macharij contigit, vt recitatur 18. li. c. 70. historialis Speculi. Cùm enim quidam vir Aegyptius vehementer arderet in amorem alienæ coniugis, nec ad effectum concupiscentiæ suæ peruenire posset, eò, quòd ipsa nimis amaret virum suæ virginitatis. Ipse Aegyptius accessit ad quendam maleficum, cum pecunijs, rogans quatenus eam ad eius amorem inclinaret, aut saltem à viro suo repudiari faceret. Maleficus igitur sua arte & inuocatione fecit eandem apparere oculis viri sui & suorum vicinorum tanquam iumentum siue equam. Vir autem valdè turbatus, quia vxor non dabat responsum,

ſum, & videbatur iumentum, alligans eam more iumenti, & adduxit eam ad ſanctum Macharium in heremo habitantem. Sanctus autem Macharius diuina reuelatione ſuper hoc illuſtratus, aqua benedicta infuſa, & oratione deſtruxit figmentum & operationem diabolicam factam circa eandem mulierem, & apparuit ſicut verè erat mulier, quæ tamen triduo non comederat. Eam igitur refici iuſsit, & cum viro ſuo reuerti fecit, dicens hæc verba: Nunquam à communione ſanctorum myſteriorum, nec ab Eccleſiæ oratione diſcedat. Hæc enim idcircò perpeſſa eſt, quia per quinque ſeptimanas diuina myſteria non attigerat. Igitur Eccleſiæ, quæ locus ſanctus eſt, & Dei & ſanctorum Angelorum habitaculum & ſanctorum myſteriorum ſacrarium, ſuffragiorum ſalutarium apotheca deuota & aſsidua frequentatio & Dæmonibus reſiſtit, & fidelibus nō modicum contra Dæmones proficit. Potuit aūt Dæmon faciliter ſua virtute, Deo tamē permittente, facere formam ſeu effigiem iumenti circa mulierem prędictā, in quam habuit poteſtatem, propter defectum ſpiritualis armaturæ. Dicit nempè B. Thom. prima parte. q. 114. c. 4. loquens de ſeductione, qua Dæmon homines quandoque

per

per mira ſeducit. Cùm enim ipſe poſsit formare corpus ex aëre cuiuſcunq; formæ & figuræ, vt illud aſſumens in eo viſibiliter appareat, poteſt eadem ratione circumponere cuicunque rei corporeæ, quamcunque corpoream figuram, vt in eius ſpecie videatur. Secundum itaque hanc conſiderationem Dæmon circa corpus prędictæ mulieris formauit & circumpoſuit formam & figuram iumenti, vt videretur mulier eſſe facta iumentum. Quintò præpediuntur operationes Dæmonum circa homines miniſterio & cuſtodia bonorum Angelorum. Mittuntur enim à Deo ſancti Angeli ad homines, non ſolùm ad miniſtrandum ipſis ea quæ ad eorum ſalutem pertinent, ſed etiam ad eorum cuſtodiam, contra Dæmonum malignitatem. De miniſterio ſiquidem eorum dicit Apoſtolus: Nonnè, inquit, omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſsi, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. Heb. cap. 1. Hinc beatus Auguſtin. loquens Deo: Diligunt (inquit) Angeli ciues ſuos, per quos ſuæ ruinæ ſciſſuras inſtaurari expectant. Ideoque magna cura & vigilanti ſtudio aſſunt nobis, omnibus horis & locis ſuccurrẽtes, & neceſsitatibus noſtris prouidentes, & ſollicitè diſcurrentes inter

nos,

nos, & ad te Domine gemitus noſtros & ſuſpiria referentes ad te, vt impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propiciationem, & referant ad nos deſideratam tuæ gratiæ benedictionem. Ambulant nobiſcum in omnibus vijs noſtris, intrant & exeunt nobiſcum attentè conſiderantes, quam piè, quam honeſtè, in medio prauæ nationis conuerſamur, quantoque deſiderio quæramus regnum tuum & iuſtitiam eius, quantoque tremore & timore ſeruiamus tibi, & exultemus in lętitia cordis. Adiuuant laborantes, protegunt dormientes, & quieſcentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudentes nobis gaudentibus, compatiuntur nobis patientibus, pro te, inquam, patientibus, grandis enim eſt cura eis de nobis & manus dilectionis erga nos, & hoc totum propter honorem tuę inexiſtimabilis charitatis, qua dilexiſti nos, diligunt quos tu diligis, cuſtodiunt quos tu cuſtodis, oderunt quos tu oderis. lib. Soliloquiorum id dicitur, cap. 29. De cuſtodia autem Angelorum dicit ſcriptura diuina populo Dei: Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. Pſ. 70. In hac enim mortali vita, & via periculoſa, & vbi innumerabiles & hominibus fortiores ſunt

hominum

hominum inimici maligni spiritus, deputat diuina prouidentia singulis hominibus, hunc mundum intrantibus singulos Angelos ad custodiã. Vndè super illo verbo Euangelico, Angeli eorum semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est, Matth. cap. 18. Beatus Hieronymus dicit: Magna (inquit) est dignitas animarum, vt vnaquęque habeat ab ortu natiuitatis suę, Angelum à Deo sibi ad custodiam delegatum. Non permittunt itaq; sancti Angeli hominum custodes, quòd eis Dæmones, quantum volunt, noceant, neque quouis modo eos perturbent, nisi quantum & quando ipsi Angeli Deo eis familiariter reuelante Deum ipsum velle permittere cognoscunt, tunc duntaxat & tantùm permittunt. Sic enim per Angelum Domini fuit impeditus Balaam, ne per inuocationem Dæmonum noceret filijs Israël, vt scribitur, Numer. cap. 22.

QVOD DÆMONES ET EOrum cultores malefici se mutuò iuuant in maleficiorum perpetratione.

CAP. XV.

DVplici

DVplici de causa in suis operationibus circa homines vtuntur ministerio suorum cultorum Dæmones. Prima quidẽ est, quia vt ex præcedentibus patet, Dæmones multipliciter & frequenter impediuntur in exercitio suæ potestatis, & prohibentur siue arcentur ab hominibus, vel Angelorum ministerio, vel alijs diuinis armaturis supradictis, & quandoque quod per seipsos non possunt facere hoc, faciunt per suorum cultorum maleficorum ministerium, qui hominibus sine difficultate propinquare, & ad eos facilius accedere possunt, quib. maleficis Dæmones quandoq; tradunt venenata clàm propinãda hominibus maleficiandis. Omnes enim malefici communiter, prę sertim hęretici fascinarij sunt proditores & fictionibus assueti in maleficiorum perpetratiõe, ne vel impediãtur, vel ne deprehẽdantur, & cùm hoc etiam sunt maximi tàm verbis quàm factis vtplurimùm Hypocritæ. Secũda causa, propter quam Dęmones vtuntur ministerio & maleficorum est, vt per hoc attrahant ad suum cultum, & in eo conseruent homines, quibus sic vtuntur, & sic subtrahendo cultum debitum applicare faciant suæ superbiæ, in offensam Dei,

Dei, & grauiùs faciant peccare & damnari eos, qui sibi obtemperant. Propter quam etiam causam multa promittunt & dare & facere in ipsorum hominum fauorem, vt per hoc alliciãt ad suum cultũ. Sicut patet in tentatione Christi, cui Diabolus promisit dare omnia regna mundi & gloriam eorum, si cadens adoraret eum, vt referunt Matth. & Luc. cap. 4. Hæc est enim principalis Dæmonum intentio auertere homines à Dei cultu, & sibi diuinum cultum applicare, in perditionem animarum. Ideóque frequenter multa faciunt, quæ hominibus placent, secundum carnem vel circa commoda tẽporalia, vel ad impletionem suorum prauorum desideriorum, vt damnificent & perdant animas. Nam quandoque quarundam mulierum animos inclinant ad voluptatem & libidinem maleficorum, vel virorum ad maleficos recurrentium, aut animos virorum ad maleficas mulieres, seu etiam ad alias eis recurrentes, prout dicit lex Ciuilis: Eorum, inquit, scientia est punienda, & seuerissimis legibus vindicanda, qui magicis artibus agniti contra hominum salutem moliuntur, aut animos pudicos in libidinem reflexisse deprehenduntur. C. de math. & Manich. l. eorum. Quandoque etiam promittunt

sunt, & faciunt vindictam de inimicis in personis vel bonis. Vndè lex alia dicit, q̄ multi magicis artibus vsi, audent ventilare, & suos quisq; malis artibus conficiant inimicos. C. eod. tit. l. Multi. Quandoque etiam reuelant suis cultoribus quædam secreta quasi diuinando. Vndè beatus Augustinus dicit, quòd Dæmones plerunque ea, quæ ipsi sunt acturi, reuelant hominibus, de quorum moribus certi sunt, quòd sint eis suadentibus consensuri. Aliqui autem non quæ faciunt, sed quæ naturalibus signis futura prænoscunt, quæ signa in hominum sensus venire non possunt, antè prædicunt. lib. de diuinatione Dæmonũ. cap. 6. Scribitur Actor. cap. 16. quòd quædam puella erat Philippis, habēs spiritum Pythonicum, quæ magnum quæstum præstabat suis dominis diuinãdo, de qua Paulus eiecit spiritum malignum, & perijt spes & quæstus eorum. Propter hanc etiam curiositatem, sciendi occulta & secreta, vel etiam futura, multi inclinantur ad artes magicas addiscendas, quæ nil aliud sunt, nisi quidam subtilis cultus Dæmonum & animarum perditio, quia vt dicit beatus August. lib. 3. de Trinitate, cap. 7. quòd per Dæmones, magicę artes possunt quicquid possunt. Et idcirco meritò legibus diuinis

& ciuilibus reprobantur & damnantur cum suis actoribus & sectatoribus, tãquam Deo & fidei orthodoxæ aduersantes. Vndè Aug. libr. de ciuit. Dei: Hæc vanitas Magicarum artium, ex traditione malorum Angelorum, in toto orbe terrarum, plurimis seculis inualuit, per quandam scientiam, &c. Vt igitur Dęmonum cultores prędicta subsidia, aut eorum aliqua aut his similia consequantur Dæmonum patrocinio, Dæmones ipsi inducunt eos ad frequentem inuocationem, & volunt & efficiunt ipsos inuocatores esse quodammodo cooperatores maleficiorum diuersimodè, vel offerendo eis sacrificia, aut preces, vel suscipiendo ab eis venenata, aut quasdam res congruas cooperationi Dæmonum. Et in applicatione, seu vsu harum rerum & venenatorum, malefici, seu Dæmonum cultores, sunt quodammodo ministri maleficiorum, & coadiutores Dæmonum. Et per hos Dæmones manutenẽt & firmant eos in sua perfidia, & frequẽtius peccant, & grauius damnãtur. Sicut enim ministri diuinorum & homines catholici, ex frequentia orationum apud Deum, & oblationum, & susceptionis diuinorũ ministeriorum & sanctorũ operum efficiuntur Deo deuotiores, & firmiores in eius fide, & plura

& plura merita & abundãtiorem gloriam consequuntur. Ita ex continuatione recursus ad Dæmonũ præsidia, siue per inuocationẽ, siue per oblationem, siue per cooperationem in obsequium Dæmonum, eorũ cultores efficiuntur obstinatiores in perfidia sua, & grauiora atq; plura cõmittunt scelera, & ampliorẽ acquirunt damnationem. Valdè aũt considerandum est, ꝙ Dæmones, vt ait Aug. sunt fallaces & decipiũt aĩo decipiendi, & idcircò quandoq; fingũt se posse includi in aliquibus rebus, puta annulis, vel imaginibus aut vasculis artificiosè, cum nonnullis ceremonijs & prauis obseruantijs, à cultoribus artis magicæ ad inuentis, ad obsequendum eis, dando respõsa, & instructiones curiosas, vt per ipsas obseruãtias, & cęrimonias subtiliter attrahant eos, & occupare faciant circa cultum huiusmodi artium, quod sine perfidia diuinæ maiestatis & iactura fidei catholicæ à quocunq; Christiano fieri non põt, cùm in susceptione fidei abrenuncient Satanæ, omnibusq́; operib. & põpis eius. Et vt cautiùs & subtiliùs decipiant, dicũt se esse spiritus benignos, cũ absq; dubio sint spiritus maligni. Cùm enim secundum veritatem fidei catholicæ, nulli sint spiritus, nisi spiritus boni, vel spiritus maligni. Boni

autem dicuntur Angeli sancti, Spiritus verò maligni dicuntur Dæmones. Sanctos autem Dei Angelos constet nõ includi, ab huiusmodi peruersis hominibus, constat si aliqui spiritus includi videantur modo prædicto, sunt Dæmones maligni, & fallaces seductores, & dãnati & aduersarij humanæ salutis. Quandoq; prætereà fingunt ipsi Dæmones quędam maleficia, nõ posse fieri, nisi cum adminiculo, quarundam rerum, vel sine perpetratione quorundam operum, quæ mala sunt, vt per hoc inducãt suos cultores ad perpetrationem huiusmodi operum malorum, quatenus, medio huiusmodi malæ perpetrationis perueniant ad optata & petita maleficia. Et vt huiusmodi perpetratione amplius placeant suis Dæmonibus, & eos reddant eis amplius propitios & fauorabiliores. Vndè frequenter contingit deteriores eorum cultores quandoq; furari Sacramentum Eucharistiæ, & alia sancta diuinaq; mysteria, & eadẽ prophanare & vituperare procurant, & quandoq; mortem innocẽtium & infantium. Vndè compertũ est à viginti annis citra, quendam Magum Baronem in Gallijs clam iugulasse circiter viginti pueros, vt de eorum sanguine quendã librum scriberet in obsequium Dæmonum. Qui

super

ſuper hoc deprehenſus, publicè punitus fuit. Quòd autem huiuſmodi crudelitates & prophanationes & vituperationes Dæmones exigant à ſuis cultoribus ſatis conſtat, non ſolùm experientia, ſed etiam autoritate ſcripturæ ſacræ ſuperiùs alligatæ cap. 7. huius operis, quæ autoritas ſic incipit: Aut filios ſacrificãtes, &c. quæ ſumpta eſt de lib. Sapien. ca. 14. Certum eſt autem maleficos ſine patrocinio Dęmonum nulla poſſe maleficia. Alioquin opera eorum non eſſent maleficia.

QVOMODO DÆMONES NON ſemper indigent miniſterio ſuorum cultorum, ſiue inuocatorum, ad maleficiorum perpetrationem.

CAP. XVI.

ET quamuis Dæmones quandoque vtãtur auxilio vel miniſterio ſuorum cultorum ad maleficia perpetranda, vel ſuas quaſdam operationes exercendas, hoc tamen nõ eſt propter defectum poteſtatis eorum, quia ſine auxilio cultorum ſuorum poſſent ea facere, niſi deſuper diuina prouidentia impediretur. Quia modis ſuperiùs dictis cap. 13. arcẽtur quandoq; ab hominum inuaſione & mo-

lestatione. Possunt enim Dæmones sui naturali potestate, per se etiam, ab interiori multa circa homines operari. Vndè sequũtur in ipsis hominibus varia incommoda, vt ex supradictis multipliciter patet, nisi fuerint impediti desuper. Hoc autem deduci potest ex sacra scriptura, quæ tractat de operatione cuiusdam malefici maximi, qui dicebatur Balaam. Dicebatur autem Balaam ariolus, quia arioli sunt inter maleficos pessimi. Dæmonibus enim ædificant aras, id est, altaria, & sacrificant Dæmonibus in eis. De hoc itaque refert: Misit ergò Balaac nuncios ad Balaam filium Beor Ariolum, qui habitabat super terram filiorum Amon, vt vocarent eum, & dicerent: Ecce egressus est populus ex Aegypto, qui operuit super faciem terræ sedens contra me. Veni ergò & maledic populo huic, fortior qui me est, si quomodo possim percutere, & eijcere eum de terra mea. Noui enim, quòd benedictus sit, cui tu benedixeris, & maledictus in quam maledicta congesseris. Num. capit. 22. Certum est autẽ, quòd maledictio à Balaam nõ habuit efficaciam à potestate naturali Balaam ad nocendum, sed ad eius inuocationẽ quam faciebant per modum maledictionis Dæmonis quos colebat, & quibus sacrificabat

bat operabantur maleficia, quę contingebāt post congestam siue prolatam maledictionem & inuocationem factam cum sacrificijs opportunis.

DE VSV ET EFFECTV DÆmonum circa Elementa & res corporales inferiores.

CAP. XVII.

NOn solùm autem circa homines, sed etiam circa Elementa, & cæteras res corporales inferiores possunt Dæmones suam naturalem potestatem, cùm Deus permisit, exercere. Hoc enim valdè prouidè & salubriter dixit lex Ciuilis, pœnam debitā statuens cōtra Dæmonum cultores, qui suis inuocationibus & malis artibus ad hoc concitāt Dæmones, Cuius quidem legis tenorem, quoniam valdè salutaris est, duxi hîc inserere: Multi, inquit, magicis artibus vsi, Elementa turbare, & insontium vitas labefactare non dubitantur, & manibus accitis audēt ventilare, vt quisq; suos malis artibus conficiat inimicos, hos quoniā naturæ peregrini sunt, ferialis pestis absumat. C. de Manich. & mat. l. multi. In hac lege præter pœnam mortis, quam in fine ponit, multa notanda

cõtinet. Nam dicit artes Magicas esse malas, cùm dicit, malis artibus. Deindè notat illas Dæmonum inuocatione, patrociniòque exerceri, cùm dicit, manibus accersitis, id est, Dijs infernalibus inuocatis, vt dicit glossa. Dij autem infernales sunt Dęmones. Consequẽter exprimit maleficia, quæ per huiusmodi maleficium, & inuocationem Dæmonum, fiunt circa duo hominum genera. Primò circa insontes, id est, innocentes, quorum vitam labefactãt, labefactatur autem vita humana, vel per infirmitatem vel per mortem. Et hoc dictũ huius legis optimè consonat, verbo scripturæ sacræ, superiùs allegatæ, de sacrificio, quod quandoq; Idolatræ faciunt Dæmonibus de infantibus. Secũdò circa homines, quibus indignantur malefici, cùm dicit, vt malis artibus conficiat, id est, inficiat inimicos. Vlterius continet ipsa lex potestatem Dæmonum circa Elementa, quando dicit, Elementa turbare, & rursus audent ventilare, id est, commouere. Hos autem effectus potestatis Dæmonum sacra scriptura multipliciter cõtinet, & tradit. Circa enim ignem exercuit Satan suam potestatem in flagellatione Iob, vndè scribitur: Ignis descendit de cœlo, & cunctas oues, puerosque consumpsit. Iob. 1.

cap. Et ſimiliter operatiōe poteſtatis Diabolicæ, traditæ fuerunt igni, poſſeſsiones Aegyptiorum, vt ſcribitur Pſalm. 77. Tradidit poſſeſsionem eorum igni, & ſequitur infrà, per Angelos malos. Circa verò aërem exercuit Satan poteſtatem in perſecutione Iob, quando filijs eius, & filiabus veſcentibus & bibentibus vinum, in domo fratris ſui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſsit quatuor angulos domus, quæ corruēs, oppreſsit liberos & mortui ſunt. Iob. 1. Dæmones quoque, vt ſuperiùs oſtenſum eſt, poſſunt ex aëre faciliter corpora cuiuſcunque formæ & figuræ, & in eis apparere, & ex eodem aëre formare voces intelligibiles, ſicut Diabolus fecit, quando viſibiliter Chriſto apparens, locutus fuit ſibi, vt rèferunt ſancti Euang. Matth. & Luc. prout ſæpiùs dictum eſt. Circa autem aquam, hanc poteſtatem Dæmones exercuerunt, quando in conſpectu Moyſi & Pharaonis conuerterunt aquam in ſanguinem coram Pharaone, dicit enim ſcriptura ſacra ſic: Feceruntque ſimiliter malefici Aegyptiorum incantationibus ſuis. Exod. cap. 7. Dicuntur autem malefici feciſſe, quia ad eorum inuocationem, hoc fecerunt Dæmones, quos colebant. Augu.

quoq; libro 18. cap. 18. de ciuit. Dei. Refert quandam historiam ciuitatis Athenarum, vbi dicitur, quòd Athenien. habita deliberatione Mineruam elegerunt sibi in Deam suam, derelicto de Neptuno. Tunc Neptunus iratus marinis fluctibus æstuantibus, terras Atheniensium depopulatus est. Addidit autem August. hæc verba, quoniam, inquit, latiùs spargere quaslibet aquas difficile Dęmonibus non est. Prędictam itaq; depopulationem, terrarum Athenien. & bonorum earum, procurauit Dæmon Neptunus motione fluctuum maris, quos per terras Athen. abũdanter sparsit, quod non est difficile Dæmoni, Neptuno, fortassis adiuuantibus ipsum alijs Dęmonibus. Legitur quoq; in vita S. Germani, quòd dum transiret de Francia in Angliam per mare aduersus hæreticos Pelagianos, maligni spiritus excitauerunt vehementem tempestatem & conturbationem in mari, ita vt penè submergetur nauis. Tunc B. Germanus cognoscens ipsam tempestatem maris fieri per Dæmones, eos coniurauit, & compulit veritatem ipsam confiteri, videlicet, quòd ipsi nitebãtur commotione tempestatis ipsum submergere, ne destrueret hęresin, quam erexerant. Ad generationem tempestatis, scilicet grandinis & fulgoris

simul

ſimul concurrunt quatuor Elemēta, Nam fulgur generatur ex ſicca exhalatione terræ,& inflammatur ſiue ignitur. Grādo aūt generatur,ex materia aquoſa,& cōgelatur in aëre frigidiſsimo. Dæmones verò legū-tur in terra Aegypti & ignem & grandinē p̄dicto modo feciſſe,Domino iuſtè permittente, propter ſcelera Aegyptiorum,vt recitat diuina ſcriptura: Tradidit, inquit, grandini iumenta eorum,& poſſeſsionem earū igni. Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem & iram & tribulationem immiſsiones per Angelos malos. Pſ. 77. Exercuerunt prætereà Dęmones ſuam poteſtatem mirabiliter coram Moyſe & Pharaone, quādo virga Moyſi ab ipſo proiecta in terram, conuerſaq́; in Draconem fuit. Tunc magi ſiue malefici conſimiliter fecerunt. Vndè ſcribitur: Vocauit autem Pharao ſapientes & maleficos,& fecerunt & ipſi per incantationes Aegyptias & arcana quædam ſimiliter. Proiecerúntque ſinguli virgas ſuas, quæ conuerſæ ſunt in Dracones. Exod. cap. 7. Nec fuerunt prædicta Dæmonum opera fantaſtica, vt dicit beatus Thomas in par. 9. capit. 14. artic. 4. allegans beatum Auguſt. de operibus quibuſdam Dęmonum, quæ quandoque ſunt fantaſtica, quandoque verò non. Sunt, inquit,

inquit, tamen quandoque veræ res, sicut magi Pharaonis, per virtutem Dæmonum, veros serpentes & ranas fecerunt, & quando ignis descendit de cœlo, & familiam Iob, cum gregibus pecorum vno impetu consumpsit, & turbo domum euertens, filios eius occidit, quæ opera Satanæ fantastica non fuerunt, vt dicit August. lib. 20. de ciuitat. Dei. Non fuit res illusoria, quando dæmonia imperio Christi, à quodã Dæmoniaco eiecta, intrauerunt in duo millia porcorum, ipsius Christi permissione. Porci verò magno impetu abierunt & præcipitati in mare submersi fuerunt, vt scribitur Matth. cap. 5. ac Luc. cap. 8.

QVOD IVSTE DEVS PERmittit fascinarios decipi & peruerti à malignis spiritibus.

CAP. XVIII.

IVstitia diuina rectè dictante plerunque contingit, quòd aliquod peccatum ab homine posterius commissum, sit quodãmodo pœna, aut pars punitionis peccati prius, ab eodem peccatore commissi. Iustè siquidem peccator consensu peccati, Deum cui peccatum displicet cõtemnens, priuatur & destituitur

Dei

Dei auxilio, & debilior redditur ad resistendum superuenientibus tentationum insultibus, & pronior casui & ruinę peccatorum imminentium ex pondere præcedentis peccati. Peccatum, inquit beatus Gregorius, quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere, ad aliud trahitur. Propheta quoque in persona peccatoris de iniquitatibus loquens: Quoniam, inquit, iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue, grauatæ sunt super me. Et post pauca sequitur: Miser factus sum, & curuatus, &c. Et rursus sequitur: Dereliquit me virtus mea, & lumẽ oculorum meorum, & ipsum non est mecum. Psal. 37. In his equidem verbis caput significat liberam hominis voluntatẽ, qui per iniquum peccati cõsensum, se iniquitati submittit, quæ nomine ponderis in scriptura sacra significatur, tùm quia inclinat ad aliam iniquitatem, tùm quia premit & præcipitat vsque ad infernum. Vndè Isaias loquens de anima peccatrice, ait: Grauabit eam iniquitas sua & corruet. Isa. cap. 14. Anima etenim peccatrix iustè derelicta à diuini auxilij virtute, faciliter ad impulsum tentationis corruit, de peccato in peccatum, & de peccatis tandem ad infernum. Et hoc modo peccatum sequens

fit secũdum diuinam iustitiam, pœna præcedentis peccati, iustè subtracto auxilio diuinæ gratiæ. Quæ subtractio iustè fit, quia peccator Dei contẽptor hoc meruit. Sicut cùm de nocte, qui cum lumine ambulans viam ignotam & tortuosam, & obstaculis seu offendiculis repletam, si lumẽ eius extinguatur, de facili cespitat & cadit: Ita per viam seu peregrinationem huius mundi, homo pergens, dietim ad terminum mortis, si sibi subtrahatur lumen gratiæ diuinæ, sua exigente culpa, facilius cespitat in peccatum ad obstaculum cuiuslibet tentationis occurrentis. Prętereà cùm peccatorũ remissio dicatur absolutio, consequens est, ꝙ peccatum sit quoddam vinculũ seu ligamẽ, quo peccator ligatur peccãdo, vndè scribitur: Iniquitates suæ capiunt impiũ, & funibus peccatorum suorum cõstringitur. Prou. 5. Iusto aũt Dei iudicio fit, vt qui spreto Deo obtẽperat Diabolo, peccatum suggerẽti, fiat Diaboli seruus & captiuus, propria captus iniquitate, ligatusq; iuxta id quod scribit beatus Petrus dicens: A quo enim quis superatus est, huius & seruus est. 2. Petr. 2. cap. Vndè quandoque contingit, quòd aliqui peccatores ex malitia Diabolica peccantes, tenentur à Diabolo vincti & ligati, proprio iniqui-

tatis vinculo, quos vt vult, ad deteriora peccata faciliter pertrahit. Et secundum hanc considerationem loquitur Apostolus de quibusdam dicens: Qui, inquit, resistunt veritati, nequando Deus det illis pœnitentiam, ad cognoscendã veritatem, vt resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad eius voluntatem. 2. Tim. cap. 2. Hoc itaq; modo quidem Christiani varijs peccatis nimis affecti, & ex hoc à Diabolo, cuius suggestioni peccando consenserunt, captiui & ligati, iusto Dei permittente iudicio, eius gratiæ auxilio destituti, faciliter ad apertum & expressum Diaboli cultum & adorationes, & Dei ac fidei susceptæ abnegationem pertrahuntur & inducuntur, & exindè ad perpetrationẽ grauissimorũ, & quandoq; crudelissimorum maleficiorum. Sic. n. Apostolus reddidit raõem, super hoc quòd Romani olim vilissimæ Idolatriæ subiecti fuerunt, & consequẽter penè innumeris scelerib. & flagitijs detestabilib. Quia, inqt, cùm Deũ cognouissent, non sicut Deũ glorificauerunt, aut gratias egerũt, &c. Et infrà. Propterea tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciunt ea, quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate. Dicitur autem in prædictis verbis, DEVM Romanos tradidisse

in

in reprobum ſenſum, propter iuſtam ſub-
tractionem ſuę gratię & auxilij, in pœnam
peccati commiſsi. Vndè à Diabolo miſsi
ſunt in reprobum ſenſum, id eſt, peruer-
ſum cōſenſum & rationi aduerſum etiam,
vſque ad peccatum contra naturam. Hac
etiam cauſa aſſerit idem Apoſtolus quoſ-
dam, tempore Antichriſti eius erroribus
credituros, Eò (inquit) quòd charitatem
veritatis non receperunt, vt ſalui fierent,
ideò mittet illis Deus operationem erro-
ris, vt credant mendacio, vt iudicentur o-
mnes, qui non crediderunt veritati, ſed
conſenſerunt iniquitati. 2. Theſſal. cap. 2.
Attentis magnis beneficijs à Deo conceſ-
ſis populo Chriſtiano, per incarnationē,
viſitationemq́; & paſsionem domini no-
ſtri Ieſu Chriſti, & quæ in Eccleſia ſua con-
fert, eidem populo in ſacramētorum gra-
tiæ & ſalutis, aſsidua diſpenſatione, & eiuſ-
dem populi ad fidei & Dei notitiam, & ad
cœleſtem beatitudinem vocatione. Pec-
cata Chriſtianorum ſunt grauiora, & plus
offendunt diuinam maieſtatem, & magis
reddunt Chriſtianos peccando ingratos,
quàm peccata cęterarum quarumcunque
nationum, & ampliorem punitionem in
ſeculo futuro & in hoc pręſenti merentur,
vt ſaluator ipſe dixit: Ille, inquit, qui co-
gnouit

gnouit voluntatem domini, & se non pręparauit, & non fecit secũdum voluntatem eius, plagis vapulabit multis. Luc. 12. Et B. Petrus: Melius, inquit, erat non cognoscereviam iustitię, quàm post cognitam retrò conuerti, ab eo quod illis traditum est sancto mandato. 2. Petr. 2. Non est igitur mirum, si iustus Dominus DEVS permittit quosdam Christianos peccatis suis eum irritãtes, & eius ingratos beneficijs in profundum peccatorum Diabolo suggerente demergi, vt non solùm in seculo futuro acriùs puniantur, qui nequiùs peccauerũt, sed etiam in hoc seculo aliquem suorum scelerum pœnam debitam ferãt, cùm vt dictum est, & à Diabolo subijciuntur, & peccatis posterioribus priora vtrunq; puniuntur. Quo autem modo sequens peccatum sit, prioris pœna cõsiderari potest, ex historia superiùs recitata de Theophilo, qui quamuis fuerit vir eximiæ virtutis pluribus annis, persecutionem tamen sibi illatam in sui beneficij ac dignitatis ablatione & sua deiectione non ferens, vitium grauis impatientię Diabolo instigante incurrit, indignatus nimis in sua cogitatione, quòd honor, quo solebat gaudere, fuerit sibi subtractus, & quod confusibilis existimauit se ab alijs reputari, sua pristina

merita, putans honore digna. Hinc igitur superbiæ spiritu maligno instigatus, concupiuit reexaltari, & pristinos honores recuperare. Quocirca nimis affectus cùm nõ pateret sibi via humano sensu parata Diabolo, qui eum vinculis impatientiæ & superbię captiuum tenebat, subtiliter & imperceptibiliter deducente ad eiusdẽ Diaboli apertum & manifestum confugit auxilium, quem coluit & Deum negauit, vt optatum susciperet subsidium. Deus enim ab ipso Theophilo, propter eius superbam ambitionem, qua Deum ipsum ingratum beneficijs pristinis grauiter offendit, auxilium gratiæ suæ iustæ subtraxit, & indè in grauiora incidit scelera, in pœnam prioris offensionis. Hoc etiam modo dicit Apost. cupidos incidere in tentationem & laqueum Diaboli. 1. Tim. cap. vlt. qui vt cupiditati suæ satisfaciant, Diabolum colũt, & similiter iracundi, vt vindictam obtineant, & lubrici propter voluntatem, aliqui autem propter superbiam. Vndè & B. Augus. vt habetur cap. Nec mirum. 26. q. 5. His ergò portentis per Dęmonum fallaciam humana curiositas, quando id impudenter homines appetunt scire, quòd nulla ratione eis cõpetit inuestigare. Item ibid. Instigante, inqt, maximo curiositatis vitio, &c.

QVO-

QVOMODO NON EST MIrandum super hoc, quòd Deus quamuis summè bonus & omnipotens permittit in populo suo grauia & multa maleficia perpetrari, per maleficos, & fascinarios Hæreticos, Dæmonum operatione & patrocinio.

CAP. XIX.

MIrum videtur plerisq;, & ideò incredibile, summè bonum & omnipotentem Deum permittere, tot & tanta maleficia perpetrari per maleficos fascinarios, quot & quãta asseruntur perpetratu per eos. Consurgit aũt admiratio secũdum Philosophũ primo lib. Methaphis. ex cõsideratione alicuius effectus occurrentis, cuius causa ignoratur, & in ipso effectu aliquid apparet, quod aliter videtur debere esse. Contingunt verò in his rebus inferiorib. & circa homines sub gubernatione diuinæ prouidentiæ multa, quorum causæ naturali hominũ cognitione nõ apprehẽduntur, & indè consurgit admirãda materia. Et qm̃ secundum Apostolũ Rom. cap. 11. Incomprehensibilia sunt iudicia, & inuestigabiles viæ eius. Et in 35. Psalm. dicitur: Iudicia Dei abyssus multa. Valdè

 pericu-

periculosum est inordinatè & indiscretè inquirere causas iudiciorum diuinorum, quæ sunt abyssus magna. Sicut periculum est submersionis, homini incautè ingredi profundam aquam. Ita plerique indiscretè & stolidè circa diuina iudicia se exercentes, pondere propriæ præsumptionis pressi, submergunt semetipsos quandoque in profundum malæ hæsitationis, vel incredulitatis aut erroris. Sunt enim nonnulli intantum de sensu proprio aut sciētia præsumentes, vt firmiter sic esse de quacunq; re putent, sicut de ipsa sentiunt, ac si nihil notitiam eorum latere posset. Quicquid autem non suo comprehendūt intellectu, iudicant vel non esse, vel impossibile esse. Hoc enim modo Iudæi, infideles cæci, asserunt hostiam à catholico sacerdote consecratam, nil aliud, nisi panem esse, sicut ante cōsecrationem, quia eorum intellectus non comprehendit, quomodo Christus Deus & homo in cœlo residens sit realiter & integer in ipsa hostia cōsecrata. Et idem asserunt de mysterijs incarnationis benedictæ & fide, beatæ Trinitatis. Indeque mirantur, quòd nos Christiani prædicta credimus, & sic veneramur & adoramus. Vndè Christus volens Nicodemum præseruare ab hac mala & periculosa admiratione,

tione, dixit eidem: Non mireris, quia dixi tibi, oportet vos nasci denuò. Ioh. 4. Christus enim loquebatur de necessitate baptismi, per quem oportet homines saluandos spiritualiter renasci & regenerari, qđ Nicodemus non capiẽs, quasi impossibile esse, respondit obijciendo: Quomodo, inquit, homo potest renasci cùm sit senex. Nunquid iteratò potest in ventrem matris suæ introire & renasci. Tunc Christus ei dixit verba supradicta, scilicet, non mireris, &c. Ita profectò nunc plerisque contingit circa considerationem hæresis & sectæ fascinariorum & maleficorum innumerabiliũ, quæ per ipsos, patrocinio Dæmonum dietim perpetrantur, diuina prouidentia rationabiliter permittente. Quia enim sacras scripturas non nouerunt, in quibus quamplurima circa Dæmonum potestatem, & diuinam prouidentiam diuinitùs reuelata salubriter tractantur. Idcircò credunt & asserunt, vel esse impossibilia gesta & maleficia, quæ per fascinarios fieri asserunt, vel credunt Deum non debere hæc fieri permittere, & malè mirantur cæteros hoc credere & asserere. Mirandum potiùs videtur de eorum admiratione, cùm ipsi non videntur mirari de quibusdam sibi notis operationibus Dæmo-

num, quæ multò sunt grauiores, quàm operationes, quas ad inuocationem fascinariorum facere Dæmones ipsi asseruntur. Quarum grauiarũ operationum duas ad præsens tangere duxi. Prima quidem operatio est illa, quam Diabolus operatus fuit circa Euam, eidem per assumptum serpentem loquẽdo, & eam ad superbiam callidè alliciẽdo, & ad transgreſsionẽ diuini mandati. Vndè secuta est mors nõ solùm ipsius Euæ & Adę viri eius, sed ẽt oĩm hominum, quicunq; in hoc mundo fuerunt & modò sunt, & vsq; ad finem mũdi futuri sunt, nec ipsimet, qui de operatione Dæmonũ circa maleficia malè mirantur, euadere poterũt. Quòd aũt operatione Diaboli mors contigerit, sacra scriptura expreſsè testatur dicẽs: Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suę fecit eum. Inuidia autem Diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Sap. c. 2. Quod autem grauius est, non solùm primi parentes, Diabolo tentãte mortui sunt in anima consensu peccati mortiferi. Verùm omnis eorũ generatio peccati obnoxa atq; maculata, fit & cœlesti beatitudine indigna, & terrestris Paradysi amœnitate exclusa, & ad inferni miseriam neceſsitata, Oẽs (inquit Apostolus) in Adam peccauerunt, &

egent

egent gloria Dei. Romã. 4. Et rurſus: Omnes eramus natura filij iræ. Epheſ. 2. Iram autem hîc vocat iuſtitiã Dei, propter prædictam primorum parẽtum vniuerſalem. Deniq; ex hac primorum parentum culpa contagioſa omnis eorum progenies ſubſecuta, non ſolùm originale vitium contraxit, ſed etiã velut laxato inordinati humani fomitis freno, ad cæterorum peccatorum lapſum tàm vehementer inclinata, & velut quodã põdere preſſa fuit, vt ſecundum veram aſſertionem B. Augu. in lib. de nat. & gratia. Excepta virgine Maria. Si oẽs ſancti & ſanctæ dum hîc viuerent, interrogati fuiſſent, vtrùm ſine peccato eſſent, oẽs vna voce clamaſſent: Si dixerimus, ꝙ peccatum nõ habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, excepta inquã hac ſancta virgine, de qua, propter honorẽ Domini cùm de peccatis agitur, nullã prorſus volo quæſtionẽ habere. Quis neſciat nunꝗ malũ tàm grandè toti humano generi, ex ꝗbuſcũq; maleficis ſeu faſcinarijs cõtigiſſe. Secunda aũt operatio grauior, quã Dæmones exercent, aſsiduè & vbiq; circa oẽs hoĩes, eſt operatio in tentãdo de peccatis ſubtiliſsimè & callidiſsimè & inſtantiſsimè alliciẽdo, ad innumerabilia peccata omne genus hoĩum, quibus peccatis animæ fre-

quenter consentientes mortẽ multò periculosiorem morte corporis, & indeterminabilem incurrunt perditionem & sempiternorum tormentorum importabile iudicium. Vt enim dicit Propheta Dei: Anima quæ peccauerit ipsa morietur. Ezech. cap. 18. Et beatus Iacobus ca. 1. Peccatum, inquit, cùm consummatum fuerit, generat mortem. Nihil enim reputantur corporalia vel temporalia mala & nocumenta, imò nec corporalis interitus siue à natura, siue à maleficio proueniant, respectu vnius solius peccati mortalis. Vndè Saluator: Quid, inquit, prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur, aut quam dabit homo cõmutationem pro anima sua. Matth. cap. 16. Petro Apostolo prædixerat Christus: Simon, inquit, ecce Satan expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum. Et item: Antequam gallus cantet, ter me negabis. Luc. ca. 22. Tentauit Satan Petrum, Christum negauit & peccauit. Colaphizauit Angelus Satanæ Paulum, dolorem corporis immittendo, & ipse profecit. Cùm, inquit, infirmior, tunc fortior sum & potens, nam virtus in infirmitate perficitur. 2. Cor. 12. Peior itaque & periculosior fuit Petro immissa Satanæ tẽtatio, quàm Paulo

Angeli

Angeli Satanæ procurata colaphizatio. Quidam verò cautiùs de diuinis iudicijs considerationem suam moderantes, circa occurrentes euentus varios, quorum causas non capiunt, ita mirantur, vt nihilominus firmiter credant nihil in mundo contingere, quod diuinę prouidentię ordinatissimam rationem effugiat, iuxta quod dicit sacra scriptura: Nihil, inquit, fit in terra sine causa. Iob. cap. 5. Intantum itaq; deferendum est diuinæ prouidentiæ, vt cuncta per eam optimè, & rationabiliter disponi credatur, & si ab alijs causa dispositionis rationabilis nesciatur. Non est autem reprehensibile his, qui de rebus occurrentibus, de quibus primo aspectu rationes diuinæ prouidentiæ siue causas nesciunt, si fide syncera manente, humiliter ac deuotè tantum inquirere studeant, quantum ad suorum consolationem fidelium Deus dignatus est reuelare, in sanctis scripturis nobis ab eo concessis. Hoc modo loquebatur Deo Dauid: Mirabilia, inquit, testimōia tua, ideò scrutata est ea aīa mea, declaratio sermonum tuorum illuminat & intellectum dat paruulis. Ps. 118. Hoc siquidem loco paruulos vocat humiles, ab omni pręsumptione, vel perfida hęsitatiōe immunes. Igitur iuxta prædictam

regulam, & menſuram diuinarum ſcriptu rarum nobis traditam, ac ſanctorũ doctrinam quaſdam cauſas inſerere declarareq; duxi, per quas pateat non incõgruè, quin potiùs rationabiliter diuinam prouidentiam permittere Dæmones ſuas exercere operationes, circa homines, non tantùm malos aut reprobos, ſed etiã bonos & electos, ſiue ad tentationes, ſiue ad flagella in corpore vel bonis exterioribus. Cauſarũ autẽ huiuſmodi B. Auguſtinus 4. aſsignat in lib. de natura boni, dicens: Per poteſtatem, inquit, datam Diabolo, & Iob probatus eſt, vt iuſtus appareret: & Petrus tentatus, ne de ſe præſumeret: & Paulus colaphizatus, ne ſe extolleret: & Iudas damnatus, vt ſuſpenderet.

QVOD DEO SALVBRITER permittente Dæmones quandoq; ſuam poteſtatem exercent circa homines etiam bonos ad eorum probationem ſalutarem.

CAP. XX.

PRouida diſpenſatione, quandoq; permittit Deus Dæmones ſuam exercere poteſtatẽ & operationem circa electos in hoc ſeculo homines, ad eorum

rum vtilem probationem, qua Deus illos probat. Non autem Deus probat quenquam experimentum aut veritatem alicuius occultæ aut incertæ rei quærendo: Sicut faciebat Isaac, qui cæcus audiens filium suum Iacob dicentem, se esse Esau filium primogenitum ipsius Isaac, & percipiens vocem Iacob, dubitauit in verbis Iacob, dicentis se esse Esau. Vndè subiunxit Isaac: Accede, inquit, huc, vt tangam te fili mi, & probẽ vtrùm tu sis filius meus Esau, an nõ. Gen. 28. Omnia enim nuda sunt & aperta oculis Dei, vt scribitur Heb. 4. Probat verò Deus sanctos, perficiendo & persecutione augendo & illã cæteris manifestando. Perficiuntur autem sancti in hoc mundo magna sibi merita acquirẽdo, quibus magna gloria in cœlis correspondeat, vt dicit Apostolus: Vnusquisque mercedem recipiet, secundum laborem suum. 1. Cor. 3. Maxima autem & perfecta merita, sunt tolerantiæ magnarum tribulationum, inter quas maiores sunt corporales, quàm perditiones temporalium rerum. Quibus ergò Deus maiorem gloriam parauit, illis nũc permittit cõtingere maiores tribulationes, sicut fecit beatis martyribus, de quibus scribitur: Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, scilicet corporali

passione.

passione. Apoc. cap. 7. Perficiuntur itaque electi per patientiam, in magnis tribulationibus, iuxta doctrinam beati Iacobi: Omne, inquit, gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis, scientes, quòd probatio fidei nostræ patientiam operatur. Patientia autem perfectum opus habet, vt sitis perfecti & integri, in nullo deficientes. Iacob. primo. Hoc itaque modo dicit beatus Augustin. quòd per potestatem datam Diabolo probatus fuit Iob. Cuius etiam perfectio patientiæ cunctis cognita fulget, & exemplum salutare præbet. Fuit igitur perutilis operatio Dæmonis ipsi Iob, qua non solùm in bonis & filijs, sed in proprio corpore ipsum tàm grauiter flagellauit. Nō prouenit autem sibi hæc vtilitas intentione Diaboli flagellantis, qui potiùs intendebat Iob inducere ad impatientiæ culpam. Sed prouenit ex diuinæ prouidentiæ dispositione, quæ nouit de malis bona elicere. Si autem velit quis obijcere, quòd Deus aliundè, quàm per Dæmonis operationem, potuit illam persecutionem ipsi Iob permittere. Respondetur. Iob non habuisse hominem inimicum, qui intātum sibi aduersaretur, quòd vellet tam crudeles molestias aduersus eum exercere. Deus autē non est odio-

rum

rum ſiue inuidiarum ſuſcitator. Ne igitur Iob tantis meritis & gloria careret, permiſit fructuoſiſsimè Deus ipſum grauiſsimè à Satan flagellari, & placuit Deo patientia Iob probata, quãuis ſibi non placeat Diaboli ſiue Satanæ flagellãtis malignitas. Ita etiam beato Paulo profuit Satanæ colaphizatio, qui rogans ter Dominum, vt diſcederet ab eo Satanæ colaphizatio, Audiuit reſpõſum: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. 2. Cor. 12. Vt enim ſuperiùs dictum eſt, Paulus infirmitatem corporis patiebatur, ab Angelo Satanæ ſibi immiſſam. Similiter etiam, vt ſuperiùs recitatum fuit, permiſit Deus beatum Anthonium multitudine Dæmonum corporaliter flagellari, qui indè audire meruit, à Domino Ieſu Chriſto. Quia, inquit, fortiter dimicaſti, faciam te in toto orbe nominari. Hæc autem dimicatio fuit patientiæ ipſius, aduerſus Dæmonum flagella exhibitio Deo accepta. Proficiunt prætereà quandoque iuſti per operationes Dęmonum, quas circa ipſos exercent, non quidem violenter, ſicut prędictis Iob, Paulo, & Anthonio, ſed alliciendo ad peccata per tẽtationes ſubtiles. Reſiſtẽdo.n.& cõſenſum claudẽdo merita ſibi cumulant, quibus cœleſtis gloria in mercedẽ dabitur copioſior.

QVOD

QVOD DEVS QVANDOQVE permittit Dæmones suam potestatem exercere circa homines peccatores ad eorum correctionem.

CAP. XXI.

SAlubriter permittit nonnunquam Deus homines peccatores operatione Dæmonum flagellari corpore, aut bonis exterioribus, vt anima eorum à peccatis liberetur. Nam pius dominus & misericors rectissimè inducat non parcendum corpori, siue huiusmodi bonis exterioribus pro salute pereuntis animæ. Hac siquidem consideratione benè instructus sanctus Paulus, quendam virum scandalosè fornicarium, incestuosum & obstinatũ, tradidit Satanæ corporaliter vexandum, vt derelicto peccato & castè viueret, & cæteris quos scandalizauerat, cederet in exemplum & ædificationem. Efficacior siquidem fuit hæc disciplinæ correctio facta Satanæ ministerio, tàm viro fornicario prædicto, quàm cæteris, quia humana fragilitas plus formidat & abhorret incidere in manus potestatemque Satanæ. De prædicto

dicto etenim viro fornicario, scribit idem Apostolus: Iudicaui, inquit, huiusmodi tradere Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat. 1. ad Cor. 5. Super quo verbo dicit gloss. Interitum, inquit, carnis, id est, vt corporaliter vexetur. Idem quoque facit ipse Apostolus, de alijs duobus seductoribus prædicatoribus & blasphemis, scilicet Alexandro & Hymeneo: Quos, inquit, tradidi Satanę, vt discant nō blasphemare. prima Timoth. cap. 1. Vbi glossa dicit: Quia illo scilicet Satana, ad correctionem hominum vtebatur ipsa potestas Apostolica. Et infrà. Quod idem fecit Apostolus, non vt pereant, sed vt sic correcti, discant non blasphemare, & intelligant se pœnis astricti, quia blasphemauerunt. Ita etiam permisit Deus quandam sanctimonialem Dæmone corporaliter vexari, quia ingresso hortum, lactucam comedit, oblita signum crucis facere. Impetuosè volens satisfacere suo inordinato & guloso appetitui, quod non decet vitam & abstinētiam personarum religiosarum. De qua sanctimoniali refert B. Greg. in Dialogo, vt suprà recitatum fuit. Frequenter itaque sic legitur in Chronicis factum pluribus personis, quæ pro diuersis peccatis

à Diabolo

à Diabolo vexatæ, correctionem ſuſcepe-runt, non quidem Dæmonis peruerſa intentione, ſed diuina prouidentia benè diſponente. Et adhuc fieri nunc in pleriſque eſt credibile, eorum qui corpore vel bonis, vel etiam in perſonis coniunctis ſiue cōſanguineis, Dæmonum operatione flagellantur, ad cæterorum correctionem, ad quorum notitiam huiuſmodi flagellatio deuenit, Deus tales Dæmonum operationes permittit. Ad hunc prętereà correctionis effectum permittit Deus operatione Dæmonum, homines de ſe præſumentes tentari, ad peccata, non quidem violentia, ſed perſuaſione, vt poſt peccatum humilientur, non quòd Deo placeat peccatum, in quod de ſe præſumens cadit per tentationem, ſicut nec peruerſa voluntas tentatoris, ſed humiliatio & timor pœnitentis & à peccato Dei gratia reſurgentis. Et hoc modo intelligendum eſt verbum beati Auguſtini ſuperallegatum dicentis, quia per poteſtatem datã Diabolo, Petrus fuit tentatus, ne de ſe præſumeret. Nam & Chriſtus eidem hoc prædixerat, dicens ei:

Simon, ecce Satan expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum.
Luc. cap. 22.

QVOD

QVOD DEVS PROVIDE QVANdoque permittit operationem Dæmonum homines in corporibus, vel bonis temporalibus flagellari, propter præseruandas eorum animas ab imminentibus peccatis & perditione.

CAP. XXII.

PRouidè etiam quandoq; permittit rector hominum Deus, quosdam suos dilectos, per Dæmonum operationem flagellari, aut corpore, aut exter nis bonis, vt animæ quas prędiligit, ab imminentibus peccatis, præseruentur, & indè à damnatione peccatis debitè. Videt ipse Deus ea quæ animas circumstant, & quæ animabus imminent, quæ ipsæ animę non vident, aut non considerãt. Tollit misericorditer occasiones peccandi, & sicut ait ipsius scriptura, ipse ponit imò anteponit offendicula & obstacula sua electis, ne viam ducentem ad peccata progrediãtur. Corporis etenim valetudo, aut rerũ prosperitas exteriorum, plerunque ad iniquitates fomenta & occasiones ministrãt. Febricitans cui defecit vini appetitus non ebriatur. In quo secundum Apost. Eph. c. 5.

est luxuria. Febris itaque carnis ab infirmitate præseruat spiritum. Leprosus non superbit de agilitate vel decore corporis. Mendicus Lazarus electus Dei, vlceribus plenus, prę penuria famelicus non gloriabatur, sicut diues indutus purpurea & bysso. Non epulabatur quotidiè splendidè, sicut gulosos & diues. Mortuus est diues, vt dicit Christus dominus, & sepultus est in inferno. Mortuus est & mendicus Lazarus, & portatus est ab Angelis in sinu Abrahæ. Luc. cap. 16. Paupertas & infirmitas Lazarum præseruauerunt. Non minùs est benè quod à malo imminenti præseruat, quàm quod à malo opprimente releuat. Nō minoris gratiæ fuit in Paulo, quòd eum Deus à superbiæ extollentia præseruauit, quàm quòd Petrum à præsumptione, quia malè in se confidebat, sanauit & præseruauit & subleuauit. Dixit namque de se Paulus: Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet. 2. Corinth. cap. 12. Optima fuit colaphizatio per Angelum Satanæ immissa Paulo, per quam sua fuit illæsa conseruata humilitas, sine qua saluus esse non poterat. Vndè Beda dicit: Apostolus hanc tentationem, qua tribulabatur ab Angelo Satanæ,

tanæ, ad custodiam humilitatis acceperat, quia si hac caruisset, saluus esse non posset. Ita etiam nunc quamplurimi, vtriusque sexus, varijs infirmitatibus, doloribus, & prolixis languoribus, Dæmonum operatione & ministerio fascinariorum flagellati, ab innumeris peccatis & sceleribus, diuina benè disponente sapientia præseruantur. Non tamen ob hoc debent tollerari aut foueri, aut impunè transire fascinarij, qui maleficia procurando Dęmones colunt, & inuocant, & Deum suum & omnium conditorem eius ingrati & indigni beneficijs, irritant, & blasphemando abnegant & detestantur, & in proximorum molestia peruersè lætantur. Maleficos, inquit Dominus ad Moysen, non patieris viuere. Præseruatio igitur saluatoris, qua maleficiati præseruantur à multis peccatis, non procedit ex peruersa maleficorum voluntate, aut intentione quæ conformis est voluntati & peruersitati Dæmonum quos colunt, sed procedit ex diuina bonitate & sapientia, quæ attingit à fine vsq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.

Sap. cap. 7.

QVOD DEVS IVSTE QVANdoque permittit Dæmones effectum ſuæ poteſtatis exercere ſuper homines impios, propter eorum peccata vindicanda.

CAP. XXIII.

IVſtus Dominus in omnibus vijs ſuis, & ſanctus in omnibus operib. ſuis, cùm ſit ſanctus, ſanctos vult eſſe quos ad imaginem & ſimilitudinem ſuam condidit, & ad ſanctitatem æternam vocauit. Sed cùm ſit iuſtus, iuſtè vult ſanctitatis contemptores, ſiue violatores & iniquitates, quæ ſanctitati aduerſantur cultores puniri, ac per eos quos habuerũt ad iniquitatem inſtigatores, & quibus ad iniquitatem cõſenſerunt, ſpreto Deo ſanctitatis amatore & largitore, flagellari. Diuina etenim ac æterna lege iuſtiſsimè decretum eſt, vt per quæ quis peccat, per hęc & torqueatur. Sap. cap. 11. Humani generis primi parentes legẽ diuini ac ſancti mandati, ſuadente Diabolo, tranſgreſsi ſunt, iniuſtè Deum offendentes. Iuſtè autẽ, permittente Deo offenſo, Diabolus ipſe durum & iniquum principatum ſuper eos, & vniuerſam eorum ſtirpem vſurpauit,

donec

donec Dei filius homo factus est, & vt dicitur in collecta seu oratione, pro nobis crucis patibulum subijt, vt inimici à nobis expelleret potestatem. Et vt secundum doctrinam Apostoli, per mortē tolleret mortis imperium, id est, Diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis, per totam vitam obnoxij erant seruituti. Hebr. cap. 2. Super quo dicit glossa: Incideramus enim in principē huius seculi, qui per medium Euæ & Adam, & seruum fecit, & cœpit nos tanquam vernaculos possidere, sed venit redemptor, & victus est seductor. Quoniam verò effectus passionis & mortis saluatoris non proficit, nisi habentibus fidem in eũ, cuius fidei susceptio fit in baptismo. Idcircò super cunctos non baptizatos adhuc stat imperium Diaboli, etiam super infantes Christianorum non baptizatos. Idcircò in ministratione baptismi Sacerdos cum adiuratione & exorcismo congruè institutis Diabolum expellit à baptizando, dicens: Adiuro te Satana siue immunde spiritus, exi ab eo, & da locum aduenienti spiritui sancto. Grauior multò est operatio potestatis Dæmonum iusto Dei iudicio, super cunctos damnatos, non solùm qui baptismum non susceperunt, sed super Christianos omnes, qui in pec-

cato mortui sunt & morientur, cùm mortui fuerint, quos ipse, qui eos creauit, & redemit, & suæ fidei, & Sacramentorum suorum sanctorum participes fecerat, tortoribus Dæmonibus in æternum fortiùs cruciandos iustus Iudex tradet, vt illos habeant pœnarum tortores, quos secuti fuerunt iniquitatum incentores & persuasores. Vndè super illo verbo Euãgelico: Iratus Dominus, tradidit eum tortoribus. Matth. capit. decimooctauo. dicit Remigius Doctor magnus. Tortores autem dicit Dæmones, qui semper ad hoc parati sunt, vt perditas animas suscipiant, & in pœnam æternæ damnationis eos torqueant. Sunt tamen omnes tàm homines damnati, quàm Dæmones eorum tortores semper in manu & in conspectu summæ boni & pijssimi omnipotentis Dei, à quo nunquam sunt misericordiam liberationis consecuti, quamuis solo eos nutu faciliter de manu potestatis, crudelium principum tenebrarum eripere poßit. Dęmonum suggestione Pharao rex Aegypti cum sibi subiectis Aegyptijs populum Dei flagellauit, nedum corporum vexatione & rerum penuria, sed etiam suorum paruulorum crudeli interemptione, vndè Deus iustè ratus, ipsorum Dæmonum potestate

teſtate & operatione permiſit, & grandinis abundantia & fulguris ignea tempeſtate, tàm iumenta & pecora, quàm poſſeſsiones conſumi & vaſtari. Atque in cunctis totius regni Aegypti domibus Aegyptiorum, omnia primogenita, tàm hominum quàm pecorum, vna nocte interfici, vndè ſcribitur de huiuſmodi iuſta DEI permiſsione: Tradidit iumenta eorum grandini, & poſſeſsionem eorum igni. Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem & iram, tribulationem, immiſsionem per Angelos malos. Viam fecit ſemitæ ſuæ, & non pepercit à morte animarum eorum, & iumenta eorum in morte concluſit. Et percuſsit omne primogenitum in terra Aegypti, primitias omnis laborum eorum. Pſalm. ſeptuageſimo ſeptimo. Vbi Gloſſa. Poſſumus, inquit, ſine dubitatione malis Angelis attribuere mortes pecorum, mortes Aegyptiorum, & obdurationem Aegyptiorum. Huius autem interfectionis primogenitorum, & obdurationis Aegyptiorum per malos Angelos, iuſta permiſsionis cauſa fuit, puerorum populi DEI occiſio iniuſta, per eos Aegyptios Diabolo ſuadente facta. De qua primogenitorum interfectione ſcribitur: Factum eſt autem

in noctis medio, percussit Deus omne primogenitum in terra Aegypti à primogenito Pharaonis, qui sedebat in solio eius, vsque ad primogenitum captiuæ, quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum. Surrexitque Pharao nocte, & omnes serui eius, cunctaq; Aegyptus, & ortus est clamor magnus in Aegypto. Neq; enim erat domus in qua non iaceret mortuus. Exod. ca. 12. Cùm autem in prædictis verbis dicitur, quòd Dominus percussit, intelligitur, quòd Deus iustè percutere permisit per malos Angelos, vt alia priùs allegata scriptura Psalmi dicit. Hoc etiam patet ex verbis, quæ de ipsa persecutione Aegyptiorum, & præseruatione populi Dei, à percutientis potestate dicuntur, scilicet, Dominus non sinet percussorem ingredi domos vestras & lædere. Ex quo elicitur, quòd percussor libenter ingressus fuisset, domus populi Dei, quem Deus ipse diligebat & visitabat & liberabat. Non fuit igitur bonus Angelus percussor. Iustè quoque permisit iustus Deus Pharaonem & Aegyptios, qui Diabolica suggestione operãte, persecuti crudeliter fuerant populum Dei, intantum à Diabolo excæcari & indurari, vt præsumerent ipsum populum insequi, atque in mare miraculosè diuisum

uisum ingrederentur, vbi omnes ſubmerſi perierunt cum exercitibus ſuis, Domino iuſtè iudicante. Vndè gloſſa ſuper verbis Pſalm. 77. præallegati dicit: Iudicio itaque Dei hæc facta ſunt in illis per Angelos malos, fiuntque in malis hominibus in hoc mundo malo. Iuſtè regem Saulum permiſit Deus arripi & exagitari à ſpiritu maligno, quia non compleuit præceptum Domini cõtra regem & populum Amalechitarum, vndè ſcribitur: Receſsit ſpiritus Domini à Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam à Domino. 1. Reg. ca. 16. Iuſtè permiſit Deus ſpiritu mendacij decipi regem Achab Iſraël, vt per ſuum cultorem Idolatram, tanquam per Prophetam, cui credendum eſſe volebat, ſeductus intraret confidenter bellum imminens, ſpreto veri Prophetæ oraculo, qui ſibi prædixerat interitum ſuum. Libenter enim audire conſueuerat diuinationes Idolatrarum, cùm eſſet ipſe Idolatra. Veros autem Dei Prophetas & odiebat & ſpernebat. Dixit itaq; ei ſanctus Propheta: Ecce dedit Dominus ſpiritum mendacij in ore omnium Prophetarum tuorum. Præmittitur autem quod ipſe ſpiritu prophetico viderat & audiuerat malignum quendam ſpiritum dicẽtem coram Domino: Egrediar, & ero

ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum Achab. 2. Paralip. cap. 18. ſuper quo Gloſſa dicit: Achab dignus erat tali deceptione damnari, vt qui volens ceciderat in culpam, quoniam nolẽs caperetur ad pœnam. Iuſtè datus licentia malignis ſpiritibus, vt quos in peccati laqueos volentes in peccati pœnam etiã nolentes trahant. Fuit autem ipſe Achab in ipſo bello percuſſus à ſagitta quadam in mentum emiſſa, & indè mortuus, vt in eodem cap. ſcribitur. Iuſtè permiſit Deus ſeptem viros à Dęmone, qui Aſmodæus dicitur, occidi, quia carnali concupiſcentia principaliter incitati, coniugium cum Sara virgine contrahebant. Tradita quippè fuerat ſeptem viris & Dęmonium nomine Aſmodæus occiderat eos, cùm ingreſsi fuiſſent ad eam. Thob. 1. De quo etiam facto, Angelus Raphaël dicit: Qui ita, inquit, coniugia ſuſcipiunt, vt Deum à ſe, & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, quibus nõ eſt intellectus, habet ſuper eos Dęmonium poteſtatẽ. Ibidem cap. 6. Iuſtè Iudæos qui dicebant ſe exorciſtas tempore prædicationis Apoſtolorum, qui à quodam Dæmoniaco per inuocationẽ nominis Chriſti fraudulenter tentauerunt Dæmonium expellere, Deus permiſit ipſum

Dæmo-

Dæmonium eoſdem Iudæos exorciſtas inuadere, & pro ſua fraude flagellare, vt ſcribitur in actibus Apoſtolorum, vbi dicitur: Tentauerunt autem quidam de circumueniẽtibus Iudæis exorciſtis inuocare ſuper eos, q habebant ſpiritus malos, nomen domini noſtri Ieſu Chriſti dicẽtes: Adiuro vos per Ieſum, quem Paulus prędicat. Erãt aũt cuiuſdam ſcenę Iudæi principis ſacerdotum ſeptem filij, qui hæc faciebant. Reſpondẽs autem ſpiritus nequam, dixit eis: Ieſum noui & Paulum ſcio, vos autem qui eſtis. Et exiliens homo in quo erat Dæmonium peſsimum, & dominatus amborum, inualuit contra eos, ita vt nudi & vulnerati effugerent de domo illa. Act. 19. Duo enim de prædictis ſeptem filijs tunc tentabant illud Dæmoniũ expellere prædicto modo. Iuſtè permiſit Deus multos Tyrannos manifeſtè à Diabolo arripi & vexari vſque ad mortem, cùm ſanctos multos varijs tormentis ipſo ſuggerẽte Diabolo flagellatos occidiſſent. Sic. n. legitur in paſsiõe B. Bartholomæi, quem ad inſtigationem pontificum Idolorum Aſtrages rex occidi fecit, quòd Aſtrages & pontifices prędicti, arrepti à Dæmone, venerunt ad tumulum Apoſtoli & confitentes eius apoſtolatum ſic mortui ſunt. Similiter quoque in paſsione

ſancti

sancti Vrbani Papæ legitur, quòd Carpasius, qui ipsum decollari fecerat, correptus à Dæmone & Deos blasphemans & Christianos inuictos prædicans, suffocatus est post paululum. Sic etiam scribitur in passione sancti Felicis & sociorum eius, quòd cùm Lucretius, qui eos fecerat occidi, & eorum bona cepisset, & in quodam magno suo conuiuio martyribus prædictis insultaret, Infantulus quidam lactens, de gremio matris suæ, cunctis audientibus exclamauit, dicens: Audi Lucreti, occidisti & inuasisti, ecce datus es in manibus Satanæ. Et statim arreptus à Diabolo, & per tres horas vexatus in ipso conuiuio expirauit. Similiter legitur de Decio Imperatore & Valeriano eius Præfecto, postquam beatos Laurentium & Hypolitum interfici iusserunt: Arreptus autem à Dæmone Decius exclamauit: O Hypolite, vinctum cathenis asperis me ducis. Valerius autem clamauit: O Laurenti, cathenis me igneis trahis. Et statim præsente Decio expirauit. Decius autem per triduum vexatus mortuus est. Multa itaque huiusmodi leguntur in gestis sanctorum Martyrum, diuinæ iustitiæ iudicia per Dæmones impleta.

QVOD

QVOD DIVINA SAPIENTIA permittit Dæmones & eorum cultores maleficos faſcinarios multa maleficia perpetrare circa homines, ad eruditionem fidelium, quamuis Deo diſpliceant, tàm malefici, quàm ipſorum maleficia.

CAP. XXIIII.

EX operationibus & maleficijs Dæmonum & faſcinariorum conſurgit eruditio, circa tria apud eos, quibus huiuſmodi operationes & maleficia innoteſcunt. Prima ſiquidem eruditio eſt, de Dæmonum inimicorum ſalutis humanæ aſsidua malitia & periculoſa peruerſitate. Sicut enim ſi quis ſciat ſe habere capitales inimicos, frequentiùs de ipſis recolit, & cautiùs ſibi prouidet contra eos, quando frequenter percipit aliqua eorum ſtudia ſiue opera vel machinamenta, aut incurſus ſibi ab ipſis attentari, quàm ſi multo tempore nihil de huiuſmodi percipiet. Ita cùm homines percipiunt ex perpetratione maleficiorum, frequenter contingentium per Dæmones, & eorum cultores faſcinarios, aſsiduam malitiam & peruerſa ſtudia,

ſtudia, indè tunc ſpecialiter erudiuntur & recordantur, tenatius ſtatum & diſpoſitionem Dæmonum, aduerſus homines, quib. Dæmones, tanquam aduerſarij libenter ac indeſinenter mala & nocumenta inferũt, quando poſſunt. Quorum malitia quodammodo paſcitur de humanis malis, & perditionibus & deceptionibus eorum, quos ad ſuum cultum attrahunt vt dãnentur. Qui etiam ſuis cultoribus aliqua temporalia obſequia proſtant, vel corporalia ſubſidia, vt ſpiritualia & æterna bona perdant. Erudiuntur itaq; homines per huius maleficia conſiderata, quantam vexationem faciunt Dæmones in inferno, hominibus, quos his ad nutum traditos ſciunt ſine remedio cùm in hoc mundo, vbi non eſt ſuper homines plena poteſtas permiſſa Dæmonibus. Nihilominus tàm crudelia maleficia in eos percipiuntur exercere. Ex hoc igitur prudentes ſalubriter erudiuntur, & vigilantiùs ſtudent ſe obſeruare à tentationibus & malignitate Dæmonum. Vndè Apoſtolus Petrus: Sobrij, inquit, eſtote, & vigilate, quia aduerſarius veſter Diabolus circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide. 1. Petr. cap. 5. Homines prudentes cognoſcentes ſuam fragilitatem & periculum contra Dæmonum aſtu-

astutiam & insidias, se orationibus quærunt protegi deuotis. Hinc Ecclesia in Hymno beatæ virginis Mariæ clamat: Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & in hora mortis suscipe. Secundò fideles per maleficia & opera fascinariorum ac Dæmonum erudiuntur de excellentia fidei catholicæ. Cùm enim Dęmones sint aduersarij salutis humanæ, quæ prouenit ex cultu veræ fidei catholicæ, quia scriptum est: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Matth. cap. vltimo. Idcircò ante omnia nituntur Dæmones inducere suos cultores Christianos ad abnegationem fidei catholicæ, detestationemque ac profanationem sacrorum fidei mysteriorum, sicut sacræ crucis, quam conculcant & conspuunt, & quandoque sacrosanctum corporis Christi sacramentum, & prohibent cætera fidei catholicæ mysteria & etiã has venerari. In quo euidenter erudiũtur fideles, ipsam fidem & eius mysteria veneranda fore & salutaria, quæ Dæmones tantùm odiunt, qui cuncta bona Deo grata & hominum vtilia persequuntur. Quamuis enim inueniuntur Iudæi & pagani, malefici cultores Dæmonum, nunquam tamen Dæmones inducũt eos ad abnegationẽ legis vel sectę
suæ,

ſuæ, quam tenent & colunt, ſed tantùm à Chriſtianis hoc exigunt, vt euidenter apparet ex geſtis circa Theophilum Chriſtianum, de quo ſuperiùs mentio facta fuit. Cùm enim quidam Iudæus maleficus vellet eum ducere ad quẽdam locum vt Diabolum inuenirent, pro obtinendo ab ipſo ſubſidium optatum, dicit ipſi Theophilo Iudæus: Signum crucis nullo modo tibi imponas, & cùm eſſent in conſpectu Dæmonis, & eidẽ Iudæus præſentaſſet Theophilum, dixit eidem Iudæo Dæmon: Abneget filiũ Mariæ & ipſam, quia mihi odio ſunt. Cùm igitur omnes faſcinarij, ſiue fuerint deprehenſi, ſiue ſpontè venientes ad Eccleſiaſticam diſciplinam, confiteantur, quòd Dęmones inducunt omnes ſuos cultores Chriſtianos modo prædicto fidẽ abnegare, & eius ſancta myſteria deteſtari, Hinc manifeſtè apparet, vt dictum eſt, dignitas & virtus ſalutiferæ fidei catholicæ & myſteriorum, quod cedit ad eruditionem verè Catholicorum fidelium & ad augmentum deuotionis eorum. Tertiò autem per operationes & geſta faſcinariorũ, quæ patrocinio Dæmonum fiunt, prouenit eruditio perutilis, de qua dicit Apoſtolus: Oportet eſſe hæreſes, id eſt, vtile eſt eſſe hæreſes. Cùm enim hęreſes inſurgunt,

tunc

tunc qui per Hæreticos flagellantur, ad meritum patientiæ exercentur, & cæteri ad sapientiam incitantur, vt Hæreticorum & suorum tantorum erroribus & falsis colleratisq; defensionibus, & astutis excusationibus, per veritatis catholicę regulas & diuinas scripturas respōdeat, arrepto deuoto studio. Alij verò digni habeantur diuersis modis se vel sua exhibere, in obsequium fidei & defensionis eius, quo obsequio nullum preciosius aut Deo acceptibilius est. Multi enim sunt in fide feruētes secreto cōscientię sinu, qui tunc fiunt manifesti, cùm insurgunt hæreses, quia tunc feruenter & viriliter consurgunt pro suo modulo, ad fidei defensionem, dātes operam posibilem. Alij verò econtrà putātur magnæ fidei, qui tamen tempore persecutionis eius dissimulant, & quod deteriùs est, Hæreticis fauent, ac impedimēta quandoq; præbent extirpationi hæresum. Frequenterq; qui in sacris scripturis videbantur docti, apparent indocti. Sicut nuper contigit, de quodam qui asserebat in materia Hæresis fascinariorum, nūquam esse Dęmoni credendum, quando aliquē conjuratus accusat esse fascinarium, allegādo illud Christi verbum de Diabolo, dicens: Ipse est mendax & pater eius. Ioh. c. 8. Permisit

misit autem Christus prædictis verbis hæc verba, scilicet: Cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur. Quando enim Diabolus ex sui industria & malitia loquitur, tunc ex suis proprijs mendacium loquitur, vel si verum quãdoque loquitur, facit hoc astutè, vt indè tandem mendacio decipiat & fallat. Nec etiam semper est certũ, quando verum loquitur, vel si verum falso misceat. Idcircò Diabolo, cùm ex proprijs loquitur, quia mendax & fallax est, credendum nõ est. Quando autem non loquitur ex proprijs, diuina virtute tunc cogitur, quandoque contra eius voluntatem loqui aliquo casu veritatem, ministerio seruorũ Dei, quibus secundum doctrinam Euangelicam dedit potestatẽ super Dæmonia, tunc non loquitur Diabolus ex proprijs. Deus.n. ad suam gloriam, & fidei suæ exaltatiõem, ac fidelium ædificationẽ, & ipsius Diaboli confusionẽ sapienter ac potenter vtitur, quandoq; peruersis atque reprobis hominibus & malignis spiritibus, ad veritatem salutarem pronunciandam. Cui veritati fides est exhibenda, non propter hominum vel Dæmonum conditionem, sed propter diuinam autoritatem. Tunc enim Dæmones non loquuntur ex proprijs, sed quasi alienis compulsi, scilicet Dei virtute,

& ho-

& hominum Dei seruorũ ministerio, quibus, vt dictum est, Christus Deus concessit potestatem super Dęmonia, in eius nomine, non solùm eijciendi, sed etiam calcãdi, vt scribitur Luc. ca. 10. Ille autem propriè calcatur, qui suppeditatus cogitur aliquid dicere vel facere contra eius voluntatem, potestate calcantis eum coactus. Sic enim beatus Bartholomæus coëgit coram rege & populo Indorũ, paganis Diabolũ quendam in Idolo existentem fateri meram & indubitatam fidem catholicam & suam propriam fraudem. Vndè ipse rex cum omni populo conuersi sunt ad fidem, quem tamen Dęmonem de Idolo, & alia Dęmonia de obsessis corporib. pariter expulit. Quòd autem Ecclesię ministris sit potestas super Dęmones concessa, patet non solùm in plerisq; locis, vbi Dæmones cõiurati de corporibus obsessis freq̃uẽter eijciuntur, sed ẽt in quotidiano mysterio, circa baptismũ vbi sacerdos volens oblatũ baptizare, expellit iã aggressum Dæmonẽ super non baptizatũ, cui sacerdos in nomine domini pręcipit, vt recedat à baptizãdo, qđ nullus catholicus verus credit frustrà & infructuosè ab Ecclesia circa tantum & tàm necessarium Sacramentum fuisse institutum & ordinatum. Quid autem mi-

rum, sacerdos per se exerceat super Dæmones potestatem. Cùm ipse sacerdotali ministerio, aquam cum sale benedicat, dicendo inter cætera hæc verba: Discedat ab eo loco, in quo aspersus fueris, omnis fantasia vel versutia & nequitia Diabolicæ fraudis, omnisq; immũdus spiritus adiuratus. Rursus in exorcismo benedictionis aquæ dicitur sic: Vt fias aqua exorcisata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare & explãtare valeas cũ Angelis suis apostaticis. Ex qua quidem aqua cęteri credentes, qui nõ sunt sacerdotes, se aduersus Dęmões efficaciter præmunire possunt, & eosdem multipliciter debellare & coërcere valent. Non enim frustratoriè exprimitur multiplex effectus aquæ benedictæ, in forma benedictionis eius contra Dæmonum potestatem & nequitiam. Magna siquidem est Sacerdotum orthodoxorum & sublimis dignitas, & mirãda potestas, ne dum super homines, sed etiam super Angelos malos. Nam & Apostolus 1.Cor. 5. redarguens quosdam Corinthios, super hoc, quòd coram iudicibus infidelibus euocabant suos creditores fideles, dicit: An nescitis, quòd Angelos iudicabimus. Gloss. autem August. ibidẽ dicit: Iudicabimus Angelos apostatas. Quan-
do ita-

do itaq; Dæmoni casu aliquo cõtingente, in corpore alicuius Dęmoniaci, cum inuocatione nominis Christi per ministros Ecclesiæ, debitis seruatis circumstantijs, pręcipitur vt veritatem fateantur. De his quæ in ipso casu concernunt honorem Dei, ac fidelium ędificationem, & ipsius Dęmonis peruersam detegendam machinationem, tunc ea quæ de prædictis fatetur sunt credenda, nõ quia Dæmon ex se ea dixerit, sed quia coactus Dei virtute, veritatem tunc celare, & mendacium dicere non potuit. Est enim in eo casu instrumentum spiritus veritatis, qui quandoq; sicut peruersis hominibus, ita & malignis spiritibus, vtitur ad finem salutarem. Cùm enim hoc Dæmonis coactio non sit, sine miraculo diuino, quia naturali virtute homines nõ possunt quoscunque spiritus sibi subijcere, quamuis se fingant per Necromãticos includi ad eorum deceptionem & damnationem. Idcircò hæc Dæmonis compulsio ad veritatem dicẽdam, semper est miraculo, & ideò huiusmodi veritati, tanquam diuino roborate miraculo fides, meritò est adhibenda. Alioquin multùm detraheretur dignitati Christianæ religionis, & honori atq; virtuti fidei catholicę, imò & promissioni Christi, qui suis ministris hominibus

 fidelibus,

fidelibus, & Ecclesiæ suæ sponsæ subiecit Dæmones homo factus, prout duodecim Apostoli, vsum potestatis super Dæmones à Christo sibi traditæ, efficaciter percipientes se practicasse dixerunt ipso Christo: Domine etiam Dæmonia subijciuntur in nomine tuo nobis. Luc. 10. Iusto itaq; iudicio Deus homo factus, fidelib. hominibus eius ministris Diabolum subiecit, sua qui callida fraude super homines imperium mortis vsurpauerat, à cuius seruitute durissima, Christus hoĩes liberauit, per suam mortem, Diaboli malitia procuratam. De his siquidem sacratissimo humanæ salutis mysterio, scribit Apostolus loquens super cõicatione filij Dei & hominum in se credentium: Cõicauerũt, inquit, carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdẽ, vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperiũ, id est, Diabolũ, & liberaret eos, qui timore mortis per totã vitam obnoxij erant seruituti. Nusquam. n. Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Heb. 2. Conueniens quippè ac dignum fuit humanæ naturæ à Dei filio assumptę, vt & cunctos in se credentes hoĩes, de seruitute Diaboli, naturæ humanæ aduersarij crudelissimi, eriperet, & quibusdã hoĩbus Dęmones subijceret, prout sibi factum

ctum fuisse discipuli Christi gaudētes confessi sunt, vt pleniùs scripsi in libello, quem De calcatione malignorum spirituum scripsi, qui sic incipit: Duo mala, &c.

QVOD DÆMONES NVLLAM operationem possunt sua naturali potestate exercere circa hoĩes, nisi specialiter ad quamlibet operationem acceperint à Deo permissionem, quæ etiam quandoque vocatur potestas.

CAP. XXV.

LICET magna sit Dæmonū naturalis potestas, quam ab initio suæ productionis susceperunt cum sua natura, quæ etiam potestas, sicut & ipsa natura angelica in ipsis perseuerat, vt scribitur Iob. cap. 40. Non est, inquit, potestas super terram, quæ comparetur ei. Hęc tamē naturalis eorum potestas ligata est diuina virtute, ne quicquam eorū quæ volunt circa homines quibus inimicātur, facere posint, nisi specialiter à Deo acceperint permisionē. Quę permisio quandoq; à sanctis vocatur potestas. Hinc beatus Augustin. super Psalm. 25. dicit: Quòd Diabolus, qui videtur maximam potestatem habere, non potest aliquid, nisi

acceperit poteſtatem. Et vt idem Auguſt.
dicit ſuper Pſal. *63*. Alligatus eſt Diabolus,
ne faciat quantum poteſt, nec quantum
vult. Ex p̃miſsis patet, quòd in omni ope-
ratione Dæmonis circa homines, concur-
rit duplex poteſtas, ſcilicet, naturalis Dæ-
monis poteſtas, quæ quidem magna eſt,
ſed alligata à Deo propter homines miſe-
ricorditer diſponente, quibus naturaliter
Dæmones potentiores inimicantur. Alia
verò poteſtas eſt diuina permiſsio, ſine qua
naturalis poteſtas Dæmonis circa homi-
nes in hoc mundo exerceri non pót. Non
poteſt enim Dæmon quamcunq; opera-
tionem ſua naturali poteſtate exercere
circa homines, niſi quotiens & quantum
Deus permittit, cuius iudicia, quãuis ſint
incomprehenſibilia, ſunt tamen irrepre-
henſibilia. Legitur ſiquidem ꝙ Satan cu-
pienti tentare Iob, dedit ei Deus poteſtaté,
non tamen ſuper eius perſonam. Scribitur
enim Dominum dixiſſe ipſi Satan: Vniuer
ſa quæ habet, in manu tua ſunt, tantùm ne
extendas manum tuam in eum. Accepta
igitur huiuſmodi permiſsionis poteſtate
Satan cuncta bona Iob exteriora conſum-
pſit, verùm tamen in eius perſona nil ope-
ratus eſt, quia conceſſa ſibi poteſtas per-
miſsionis non ſe extendebat ad perſonam
Iob.

Iob. Conſequenter autem quadam vice alia Satan accepit à Domino poteſtatem permiſsionis ſuper perſonam ipſius Iob, citra tamen mortis illationē. Potuit namque Satan hac accepta poteſtate flagellare Iob, ſiue affligere in corpore, prout fecit, ſed occidere non potuit. Cui Satan Dominus hanc permiſsionem diſponēdo dixit: Ecce in manu tua eſt, verūtamen animam illius ſerua. Iob. 2. Hac autem ſecunda vice accepta iterum poteſtatis permiſsionem, Satan egreſſus percuſsit Iob vlcere peſsimo, à planta pedis vſq; ad verticem, prout ibidem conſequenter ſcribitur. Ad quamlibet igitur Dæmonis operationem circa homines, requiritur cum naturali Dęmonis poteſtate, poteſtas diuinæ promiſsionis. Hinc B. Aug. dicit lib. 3. de diuinatione Dæmonum, quòd Dęmones ſæpè accipiūt poteſtatem, morbos immittere, & aërem viciando morbidum reddere. Et recitatur à Gratiano 26. q. ca. ſciendum. Hic aūt modus loquendi, quo permiſsio vſus alicuius poteſtatis dicitur ſiue nuncupatur, poteſtas, habetur ex ſacrę ſcripturæ autoritate. De Thobia enim, qui cum alijs filijs Iſraël fuit captiuus per regem Salmanazar, ſcribitur: Dedit ei Deus gratiam in conſpectu Salmanazar regis, & dedit ei poteſtatem

 quocun-

quocunque vellet ire. Thob. cap. 1. Rex autem non dedit ipsi Thobiæ virtutem seu naturalem potestatem ad ambulandum, sed duntaxat concessit ipsius potestatis vsum, quem sacra scriptura vocat potestatem. Attentis præmissis patet satisfactio siue responsio cuiusdã assertionis in principio huius opusculi recitatę, qua nonnulli nituntur arguere, quòd si Dæmones haberent tantam potestatem, ad maleficia perpetranda, quantã eos habere fascinarij confitentur, & etiam asserũt hi, qui eorum hæresin & sectam persequũtur, Dæmones ipsi celeriter cunctos homines & eorum cuncta bona exterminarent, quod tamen, quia Dæmones non faciunt, quamuis sint hominum inimici implacabiles, sequi videtur apud huiusmodi assertores, quòd cùm Dæmonibus non desit peruersa voluntas, quòd eis deest facultas siue potestas. Nunquam enim deest Dæmonibus naturalis potestas, quamuis sit ligata, sed semper deest eis permissionis diuinæ potestas, nisi quando & quantum denuò Dei prouidentia eis concesserit, seu permiserit vsum potestatis naturalis, quę sine permissionis potestate nil omninò potest, vt ex prædictis liquidè patet.

QVOD

QVOD ACCVSATO A COMPLIcibus ſuper hæreſi & ſecta faſcinariorum allegant Dæmonem feciſſe falſam de ipſo repræſentationem, non eſt credendum.

CAP. XXVI.

CVM autem in occulto Dei iudicio & ſecreto cõſilio fiat permiſsio, qua ſæpè Dęmões accipiũt poteſtatem, ſiue facultatem exercẽdi ſuam naturalem poteſtatem circa homines. Non poteſt huiuſmodi conceſsio ſiue permiſſio hominibus eſſe nota, niſi vel per reuelationem certam, vel per aliquem effectũ poteſtatis huiuſmodi, quem Dęmones accepta poteſtate faciunt, de quo effectu conſtat, quòd procedat à poteſtate Dęmonum. De reuelatione ſiquidẽ, ſicut patet, ꝙ diuina ſcriptura aſſerit, Dęmonẽ operatũ fuiſſe circa Iob, Saul, & cæteros q̃ plurimos, vt ſup. ſæpè dictũ fuit. De effectu aũt, ſicut de B. Martino recitatũ fuit, ꝙ cũ Diabolus apparuiſſet ſibi in forma humana, & ipſe ſignũ crucis feciſſet, diabolus euanuit, ex quo apparuit manifeſtè fuiſſe opus diaboli, & Deum tunc permiſiſſe ſiue conceſſiſſe Diabolo potęſtatẽ permiſsiõis, ad faciendum

ciendum prædictam apparitionem. Quãuis igitur humanæ notitiæ satis constet de concessione naturalis potestatis, quæ semel tantùm à Deo facta est Dæmonibus à sua creatione. Concessio tamen secundæ potestatis siue permissionis, quę dietim fit Dęmonibus, est nobis penitùs ignota, quia non assumus consilio Dei. Et idcircò præsumptuosum & periculosum est credere vel asserere huiusmodi permissiones singulares fieri, nisi pro quanto sufficienter constat vel reuelatione, vel ex alicuius facti euidentia, quod quidem euidens factum, est effectus potestatis Dæmoni collate, occulto Dei iudicio. Si quis igitur accusatus per complices, quòd fuerit visus in congregatione siue Synagoga, asserat in suam defensionem, quòd Dæmon fecit de ipso accusato falsam repræsentationem, non debet in hoc admitti, nisi sufficienter ostenderit, Dæmonem fecisse hanc repræsentationem, quam non faceret, nisi accepta ad hoc diuina permissione, quæ semper fit in occulto, vt dictũ est. Si enim hæc fascinariorum defensio admitteretur, tũc ex hoc maximè auferretur & præcluderetur via ad extirpandum hanc pessimam fascinariorum sectam, & daretur audacia intollerabilis, & incentiuum non modicum

cum ampliandi & multiplicandi hanc ſectam, ſi non eſſet ſtādum teſtimonio complicum & participum, ſecundum ordinationem factam ſuper hoc, vt habetur in ca. In fidei fauorem de hær. lib. 6. Si igitur accuſatus à complicibus dicat, quòd Dęmon fecit de eo repræſentationem. Reſpondetur, quòd Dæmon non potuit hanc facere, niſi ad hoc accepta permiſsione à Deo. Si vlteriùs dicat, quòd Deus permiſit. Reſpondetur, quòd hoc allegans debet ſufficienter probare, & ſuper hoc debitè Iudicem informare, quod ſi non fecerit, non eſt credendum ei, quia non adfuit conſilio Dei. Sicut enim procurator fidei debet probare maleficia, quę reo imponit feciſſe Dæmonis patrocinio. Ita & reo incumbit probatio eorum, quæ ad ſui defenſionem exhibet. Quemadmodum ſi aliquis accuſatus à furibus, quòd certis loco & die fuerit cum ipſis in furto, & allegauerit ſe fuiſſe dictis loco & die alibi, ſic quòd non tūc potuerit eſſe cum furibus, niſi hoc ſufficienter probauerit, non ſuffragatur, nec prodeſt ei huiuſmodi allegatio ſeu defenſio. Ita nec dicenti, vel alleganti falſam de eo factam per Dæmonem repræſentationem, niſi de hoc conſtare faciat, non debet ſibi credi, ſed fictus & adinuentor iudicari.

Valdè tamen neceſſarium eſt in admiſsione huiuſmodi teſtium ſtrictè ſeruare tenorem prædicti c. in fauorem. In quo, præter modum communem admittendi teſtes in iudicijs, additur ſpecialis modus admittẽdi teſtes complices Hæreticorũ in fauorẽ fidei. Sicut. n. crederet in magnum ꝑiudicium fidei, ſi teſtes complices nullo modo admitterentur, Ita & innocentibus fieri poſſet iniuria ac perturbatio, & maximè in inquiſitione contra hanc ſectam hęreticam, ſi teſtes complices leuiter admitterentur. Compertum eſt enim quandoque, quòd huiuſmodi teſtes quoſdam accuſauerunt per ſuggeſtionem, aut ſeductionem, vel aliquam promiſsionem liberationis, ſiue etiam vi aut metu tormentorum. Debet itaque prudens iudex & timoratus, iuxta tenorem dicti ca. in fauorem fidei, conſiderare, numerum teſtium complicum conuenientem, conſonantiamq́ue & qualitates ipſorum, & perſeuerantiam in accuſatione, & pariter qualitates accuſatorum, & circumſtantias geſtorum, vt exindè diſcernat & eliceat veritatem & fidem teſtimoniorum.

QVOD

QVOD HÆRETICI FASCINArij iudicialiter deprehensi super crimen hæresis & vsu maleficiorum, non sunt ita admittendi ad consortium fidelium, sicut admittuntur Hæretici cæteri facta abiuratione hæreticæ prauitatis.

CAP. XXVII.

ATtenta grauitate huius nefandæ fascinariorũ sectæ, non videtur rationi consonum, quòd fascinarij deprehensi iudicialiter super crimen huius hæresis, & vsu grauium maleficiorum, quæ huius hæresis medio perpetrãtur, debeant sicut & cæteri Hæretici, data pœnitentia remitti, & recipi ad consortium cæterorum fidelium, signãter propter quinque causas. Prima est, propter grauitatem sceleris hæresis ipsius, & aliorum scelerum eidem connexorum, puta homicidiorum detestabilium, voluptatum carnalium, apostasiæ & Idolatriæ, quorum scelerum quodlibet per se exigit propriã & magnã vindictã. Cæteris. n. Hæreticis, qui scilicet per assertionem alicuius erroris deuiant à fide, fit gratia pro prima vice deprehensis,

vt non

vt non tradatur brachio seculari, quia frequenter inueniuntur seducti, per aliquam apparentem rationem, quam nesciunt soluere, vel etiam per aliquam scripturã malè intellectam. Potest autem eis in hoc prouideri, per doctrinam sanam, per quam illuminari possunt à tenebris ignorantiæ, & tunc cognoscere possunt veritatem, quam priùs ignorabant, quo facto si acceptent doctrinam, fit eis venia. Hæretici autem fascinarij non errant seducti per ignorantiam, cùm ipsi abrenuncient Deo & Catholicæ fidei, vulgariter Christianis cunctis ab infantia notissimè & susceptè, quam nõ solùm auditu, sed signis manifestis assiduis vbique sparsis, videtur vigere inter Christianos non solùm in Ecclesijs, vbiq; constitutis crucibus, sed per vias publicas erectis, & alijs innumeris modis & vulgaribus locutionibus, vt nulla tergiuersatione posint excusari. Ipsam etiam fidem negant ad inductionem & in præsentia Dæmonum apparentium, quos sciuit manifestos fidei inimicos damnatosq; & à Deo reprobatos. Et idem iudicium videtur de alijs adiũctis criminibus, vt patet de apostasia, qua aliqui conuertuntur ad Iudęos, quia putãt legem datam à Deo Iudæis esse adhuc bonam, cùm sit à Deo data. Similiter qui

ter qui cõuertuntur ad legem Machometi, putant illam esse rationabiliorem lege Christianorum, quia videtur esse in multis liberior, & per consequens conuenientior humanæ naturæ, quam decet esse liberam, propter suam excellẽtiam. Isti autem Apostatę sola voluntate peruersa, absq; vlla rationis coloratione apostatant à vera fide, & ideò scienter malè agunt, & non ignoranter, & non est spes cõuersionis per doctrinam Ecclesiæ, quæ illuminat cęcitatem errantium, quibus illuminatis Ecclesia compatitur. Sic etiam videtur de Idolatria, nam quidam colũt Solem, aut aliam creaturam, vbi relucet aliqua pulchritudo vel effectus vtilis bonitatis. Isti autem Hæretici adorant Dęmonem visibiliter apparentem, quem sciunt damnatum, & nõ loquitur eis, nec exigit nisi manifestè peruersa. Hæc igitur est pessima omnium hæresum, differens specie & peruersitate, ab omnibus alijs hæresibus, quia hæreticant vt Diabolum quem sciunt Diabolum, colant & ei placeant. Sicut enim in virtutibus aliqui homines dicuntur heroici, quia excedunt modum communem aliorum virorũ virtuosorũ, sicut beata Virgo in castitate, quæ dicit: Virum non cognosco. Et Iob in patientia, qui dicit de Deo, &c. etiam si me

occiderit in ipso sperabo. Ita ét in vicijs inueniuntur aliqui excedere cæteros, sicut in carnali voluptate, aliqui dicuntur bestiales, & in iracundia crudeles. Ita etiam huius sectæ hæretici excedunt cæteros, quia quæcunq; faciunt, contra sanctam fidem faciunt, & protestantur facere se propter honorẽ & protestationem Dęmonis damnati, & ab omni bono auersi, & in omni malo obstinati & deprauati. Sunt igitur huius hæresis cultores, in ꝓfundũ hæreticæ prauitatis mersi. Secunda cã sumitur ex parte fascinariorum. Nã vt dictũ est, Ecclesia per doctrinã illuminat errantes ignoranter, & sic aufert ab eis fomẽtũ erroris, sed isti hæretici non errant per ignorantiã, sed propter passiones suas, puta, vindictæ, auaritiæ, & huiusmodi, quas passiones Ecclesia nõ põt ab eis auferre, sicut aufert ignorantiam per doctrinam. Vndè frequenter cõpertum est, quòd postq̃ aliqui hæreticorũ huiusmodi fuerint dimissi, ipsi patrocinio suæ hęresis, fecerunt mori testes receptos, contra eos in suo processu. Tertia cã sumitur ex parte cæterorũ fideliũ. Nõ solùm. n. oportet ipsis hæreticis prouidere, sed etiã cæteris fidelibus, ne per hęreticos corrumpantur vel molestentur. Facilè aũt prouidetur fidelib. aduersus deprehẽsos in alijs

hæresibus,

hæresibus, tùm quia corã populo signãtur in sermonibus, vt euitentur, & vt nulli eis credãt, tùm qa per prædicationẽ confutantur eorũ errores. Sed aduersus hæreticos huius sectæ non põt populo prouideri, qa suis maleficijs molestant cæteros ẽt nolentes, & non præuidentes, qa oẽs huiusmodi hæretici sunt ꝓditores & simulatores, nec possunt præcaueri, à cęteris fidelibus, quin ab eis perturbẽtur. Quarta cã est, propter iniquitatem maximorum delictorũ, quæ nullatenus in Christiana religione ac politia esse debent impunita. Si.n. hi hæretici deprehensi, non solùm de heresi, sed etiam de grauissima Idolatria, de homicidio voluntario, de sodomia, de profanatione sanctorum, & de alijs magnis maleficijs, aut eorum aliquibus punirentur solùm vt cæteri hęretici, per aliquam pœnitentiã facta abiuratione, tunc manifestè remanerent prædicta peccata penitùs impunita, quæ tamen secũdum omnia Iura diuina & humana merentur grauissimas punitiones, quæ quidem crimina grauiùs cõmittuntur, medio huius hæresis, quàm quocunq; alio modo. Scelus enim Idolatriæ grauissimam pœnã exigit. Nam secđm diuinam Scripturam, non solùm Idolatræ, sunt grauissima pœna plectendi, sed etiam eorum

ciuitates igne destrui, & inhabitabiles propter diuinam offensam fieri debẽt, q̃d non solùm ante aduentum Christi, sed etiam post obseruandum, strictiùs mandant iura Canonica, vt patet in cap. si audieris. 23. q. 5. Vbi recitata punitione Idolatrarũ ordinata in scripturis veteris Testamenti subiungitur: Si hæc præcepta circa Deum colendum, & Idola spernenda, ante aduentum Christi seruata sunt, quãtò magis seruanda sunt post eius aduentum, qui non solùm verbis nos admonet, sed etiam factis. De homicidio etiam facto per industriam & insidias scribitur Exod. 21. quòd euelli debet ab altari, vt puniatur. Homicidia autem quæ procurantur per fascinarios, fiunt semper per insidias. Crimen aũt Sodomiticum, igne & sulphure punitur, vt patet Gen. 19. Si igitur Hæretici fascinarij, post abiurationem abeant sicut cæteri Hęretici, q̃ solùm errant per aliquã assertionẽ erroneam, prædicta scelera nefandissima omninò manerent impunita, & quodammodò protegerentur sub hæretica prauitate, quod est valdè irrationabile, videlicet, quòd quia perpetrata sunt per mediũ hæresis, & cum hęretica prauitate non puniuntur, & si fierent sine prauitate hæretica punirentur grauiter. Quinta causa est propter

propter incentiuum ad huiusmodi hæresim fascinariorum, cùm enim frequenter homines peruersi & passionati omittant crimina perpetrare formidine pœnarum grauium, quas existimant se passuros, propter perpetrationem scelerum, si ipsi existimarent, aut impunè transire, vel saltem minùs puniri, indè incitarentur ad perpetrationem malorum. Vndè si peruersi & ad mala, prout homicidia & vindicatiões inclinati & passionati percipent crimina facta per medium hæreticæ prauitatis, sectęque fascinariorum, non tantùm puniri vel minùs puniri, quàm si fierent sine crimine hæresis, ipsi faciliter incitarentur ad subeundum & suscipiendum hanc pessimam sectam, maximè cùm faciliùs & secretiùs possint suas peruersas volũtates adimplere, medio peruersæ huius hæresis & sectæ. Itaque irrationabile ac periculosum videtur, hanc viam circa hanc multiplicatam sectam aperire & asserere, cùm non reperiatur, quòd Ecclesia disposuerit prædicta scelera remanere sine condigna punitione, ex eo quòd fuerint perpetrata cum hæretica prauitate, ac eius medio & Dæmonis patrocinio, cùm tamen ideò maiorem exigant punitionẽ, quia tam peruerso medio hæreticæ prauitatis sunt perpetrata.

QVOD SVPPOSITO, QVOD fascinarij dormiendo illuderentur à Dæmonibus sicut mulieres, de quibus loquitur cap. Episcopi, nullatenus tamen excusantur ab hæretica prauitate.

CAP. XXVIII.

SVpposito autem, quòd hæc fascinariorum secta hæretica haberet ortum ab illusione fantastica, Dæmonum operantium interiùs, fascinarijs imaginarias Dęmonum repręsentationes, sicut refert c. Episcopi. de mulieribus illusis à Dæmonibus, nullatenus tamẽ excusantur ab hæretica prauitate. Ipsi namq; postmodum vigilantes recordantes abnegationis fidei catholicæ, & adorationis peruersæ suæ Idolatriæ & cultus exhibiti Dæmonibus, Hæc omnia venerantur & prosequuntur, ordinationesque sibi à Dæmonibus factas, sollicitè obseruant, abstinẽdo à Diuinorũ veneratione mysteriorum, & confessione sacramentali, de prædictis. Voluntatem quoq; & propositum tenent hæc frequentandi Dæmonum consortia, & ex confidentia per hanc cum Dæmonibus confœderationem maleficia perpetrandi, puta vindictas exercendi, & passiones ad-

implendi. Nihil enim refert ad cultum hæreticæ prauitatis, vndè habuerit ortum, si tamen sit acceptata in consensu & libera voluntate. Quemadmodum siquidem si aliquis Christianus dormiendo somniaret se audire aliquem docentem vel prædicantē, quod non sit posibile aut verum, quòd hostia consecrata contineat realiter verum Christi corpus: Indè verò vigilans consensum præberet illi hæresi, & iam non crederet corpus Christi esse in hostia consecrata, ipse non excusaretur ab hæretica prauitate, sed verus cēseretur, & esset Hæreticus. Ita profectò esto, quòd fascinarij dormiendo putarent se fidem susceptam negasse, & Dæmones coluisse. Nihilominus si postmodum ipsis vigilantibus hæc placeant, & ea acceptent, & prosequantur, non excusantur ab hæretica prauitate, sicut nec illas mulieres illusas. c. Episcopi. excusat.

FINIS.

DE VENEFICIS, QVOS VVLGO *SORTIARIOS VOCANT,* DIALOGVS.

Interlocutores.

Antonius & Theophilus.

ANTONIVS.

MIra ſunt, Theophile, quæ nuper quidem Lutetia Pariſiorum redeuntes narrauêre: Nimirum tribus ab hinc menſibus infinitum penè veneficorum hominum numerum in Gallia deprehenſum eſſe, de quorũ crimine à ſummo ipſo Pariſienſi ſenatu iam pronunciatum eſt, quotidieq́ue iudicia exercentur, prout huius ſceleris rei ad eum ex varijs prouincijs adducuntur varij. Et quod magis mirere, huiuſmodi etiam ex quolibet hominum ordine annotantur quidam, inprimisq́ue nobiles, tùm viri tùm fœminæ, docti etiam, & qui rerum cognitione habentur inſignes. Quid enim de vulgo hominum imperito illo & ignaro dicã? quales agricolę, vinitores, paſtores, coloni, artifices,

tifices, reliquique eiusdem generis, & ij etiam vel iam senes & adhuc iuuenes, è quibus certo certius est penè innumerabiles esse veneficos & Sortiarios.

THEOPH. Neq; tu nihil, neq; omnia dicis, Antoni, quando affirmârunt fide digni homines etiam corpore mancos & debiles, quales cæci, in eorum numero reperiri: Inter quos vnus nomine Honoratus cæteris notior capitis supplicio senatus decreto Lutetiæ affectus est, de quo planè incredibilia narrãtur, cùm ipse è sodalitio xv. viginti virorum, vt vocant, id est, è trecentorum cæcorum collegio esset. Et sanè quod ad me attinet, nihil necesse erat in eã sententiam, de qua tamen ambigunt multi, me magis confirmari, nimirũ esse quosdam veneficos & Sortiarios. De quo sum benè persuasus, idque iampridem, & tàm firmis, vt spero, rationibus, vt qui eas intellexerit, amplius apud se de eo non sit dubitaturus: tùm deindè in eo ipso sum planè confirmatus, quòd varijs in mundi regionibus huiusmodi maleficos homines animaduerti. Nam qui non tantùm Galliam nostram, sed reliquos celebres orbis populos & partes perlustrârunt, accusatos & conuictos, & damnatos huius sceleris quàm plures viderunt ipsi. Et ne

percurrã omnes, vna Sabaudica natio tot, tantos, tamq́, confertos horum hominum greges habet, vt extirpari nullo modo posſint, quicquid iudicum illius loci ſeueritas in puniendo, & diligentia in perquirendo conetur. adeò, vt vel in vna ciuitate homines pluſquam 80. numero, vnius anni ſpatio capitis pœna mulctati audiantur.

ANTO. Hoc certè quod refers ſtupendum maximè eſt.

THEO. Aliud addam atq; etiam admirabilius, eò iam audaciæ & furoris quoſdã ex ijs veniſſe, vt palàm & ingenuè profiteantur ſe, ſi quem magni nominis virũ pro duce nacti ſemel fuerint, tanto eſſe numero, tamq́ue magno, vt vel contra vnum aliquem regem bellum apertè gerere audeant, de quo ſperent artis ſuæ auxilio tàm facilè ſe victoriã reportaturos, quàm olim Hunni de Sigiberto Francorum rege, magicis incantationibus obtinuerunt, quemadmodum Gregorius Turonẽſis Epiſcopus & Francorum hiſtoriographus, lib. 4. cap. 29. eueniſſe tradit.

ANTO. At plerique tamen iſtas planè fabulas eſſe credunt, ſi qui venefici & Sortiarij eſſe dicantur, nec ſibi perſuadẽt poſſe quenquam ab ijs lædi. Itaque hanc tuam ſenten-

ſententiam irrident, quòd nulla firma certaque ratione niti videatur.

THEO. Non ſum eius rei neſcius, Antoni, & certè memini cùm Genabi ad Ligerim agerem, veneficum quendam non tantùm accuſatum & deprehenſum, ſed ab illius vrbis magiſtratibus poſt iuſtam legitimamq́ue criminis inquiſitionem damnatum, qui ad ſummum Pariſiorum ſenatum prouocauit. Nec ſenatus ipſe tunc accuſationem admiſit, ſed totum hoc crimẽ & factum ludibrio habuit, atque tanquàm vanum omiſit. Sed tamẽ cùm idem ille veneficus in ſcelere perſtaret, multosq́ue veneno ſuſtuliſſet, tandem iuſſu magiſtratus Genabi vitam laqueo finiuit.

ANTO. Quid igitur, Theophile, itáne ſentis, eſſe quoſdam ex eo veneficorũ genere, qui vocantur Sortiarij, poſſeq́ue eos ipſos intoxicare ſiue homines ſiue bruta animantia, idq́ue diabolica arte & eo modo & ratione qua ipſi vti ſe confitentur & iactant?

THEO. Certè quidem, Antoni, ita ſentio, neq; tibi ſi iſta ficta & ementita crederem, confirmarem. Ac fortaſſe poſtquàm quibus ad eam rem argumentis impellar, audieris, ipſe pedibus in meam ſentẽtiam iturus es.

ANTO.

ANTO. Licétne verò iam tibi per otium ista mihi exponere?

THEO. Maximè, & vt tibi morem geram planeq́ue satisfaciam, alijs quæstionibus, si quæ à te moueantur, paratus sum respondere.

ANTO. Valdè mihi in eo gratulor, q̄ te tam mihi beneuolentē sum nactus, cupioq́ue abs te, mi Theophile, ista audire. Hoc modò ingenij mei tarditati concede, vt ne me anteuertas, sed ad singula, prout à me postulabuntur, benignè & ordinè respondeas.

THEO. Ita faciam.

ANTO. Atqui eò magis istam abs te de re tàm necessaria audiendi & discendi occasionem oblatam esse lætor, quòd hæc sit hodiè vexatissima quæstio, & quæ ferè à nullo non hominum genere agitari solet, sed tàm variè, vt nulli penè inter se consentiant, & hi hanc, illi illam sententiam sequuntur, sæpeq́ue temeritate ingenij potiùs, quàm iusta aliqua ratione de ea statuunt. Prætereà cùm non sit parui momenti res, verendum mihi videtur, ne si in ea errem, mihi posteà fraudi sit ista quæstionis tàm vtilis ignoratio.

THEO. Rectè iudicas, quando ipse tàm dubios animiq; in ea re incertos quosdam perspexi,

perſpexi, vt eodem die bis ſentẽtiam mutarent, & poſt meridiem aliud omninò & diuerſum ſentirent ab eo, quod ijdem ipſi manè vt verum laudabant. Quoſdam autem ita in eo pernegando pertinaces, & temerè obſtinatos animaduerti, vt eos neque fide digni teſtes, neque ipſa rei confeſsio conſtans crimen ſuum agnoſcentis & deteſtantis ab animi errore reuocaret, & induceret vt eſſe veneficos Sortiarios tandem crederent. Itaque omninò neceſſarium iudico quid in eo ſequendum ſit ſtatuere.

ANTO. Ergò quid tu ſentias, aueo audire.

THEO. Quod verò ad me, mi Antoni, primùm atteſtari licet, me nolle tecum de hac etſi vtili quæſtione agere, vt tibi ad vanas iſtas mathæologias & curioſas diſputationes aditum patefaciam. Eſt enim curioſitas vani animi, ſtudij & occupationis parens & mater, & meritò ſemper à bonis damnata, quemadmodum Prouerbio. 18. verſ. 2. ſcriptum eſt: Non complacebit ſibi ſtultus in intelligentia, niſi cùm manifeſtabitur cor eius. Sed ea tantùm gratia hoc ſum argumẽtum ingreſſus, vt è multorum animis eũ errorem euellerem, ſi fieri pôt, per quem vllos eſſe Sortiarios negant, vel ab ijs

ab ijs aliquid infici & tabefieri posse. Itaq; isti hominum generi fauent, verenturque eos, si quando in ipsorum manus inciderint, dãnare & supplicio afficere, quanquã apertè malefici esse arguantur, probẽturq; Satanica & Sortiariorũ arte & via in multa esse grassati. Quamobrẽ nisi nos hoc maximè tempore moueret necessitas vrgeretque, ne verbum quidem vnum de ea re facerẽ. Oportet enim nos imitari veteres & pristinos illos Christianos, q̃ è suis congressionibus & scholis omne curiosæ cognitionis genus eiecerũt, libros etiam inutiles cremârunt. Id quod factum esse tempore Pauli in minore, quæ dicitur, Asia, Actor. 19. vers. 19. à Luca commemoratur. Et sanè si verum fateri velimus, aliæ sunt, & eæ longè quidem vtiliores, quæque magis hominem Christianum deceant, quæstiones, quanquàm fortasse non tàm ingenij nostri vanitati plausibiles & gratæ, qui & supra cœlos vagari, & infra inferos perscrutari cuncta volumus.

ANTO. Video quid metuas, quamq; timidè hoc suscipias agendum, ne qui ista audierint aut legerint, posteà vanitatis potiùs quàm pietatis occasionem indè nacti videantur, aut ipsi arripiãt: quales sunt qui ista audire gestiunt quidem, non tamen vt

magis

magis se in Dei metu confirment, sub potenti ipsius manu subijciant, cumque gratiarum actione & animi admiratione tantitamque benigni & cœlestis Patris bonitatem erga genus humanum (quòd aduersus Satanæ Sortiariorumque maximas & latentissimas insidias conseruat) celebrent: sed vt campum latissimum sibi oblatum putent, in quo extra veras fidei metas liberè spatientur. Qui certè ex eorum numero esse & meritò censentur, qui semper quidem quærunt, nihil tamen addiscunt: semper dubitant, nihil autem diffiniunt, 2. Timoth. 3. vers. 7.

THEO. Verum dicis, mi Antoni. Nihil enim esse pōt periculosius atq; perniciosius, quàm si stulto stultitiæ, curioso argutiæ ansa præbeatur. Itaq; in eo ipso veniam abs te peto, Antoni, si sigillatim tibi non exposuero quæ sint & quot genera diabolorum, quæ eorum inter se differentiæ, qui status, qui colores, qui humores, denique quę ipsi inter se commercia habeant, & cętera huiusmodi. quę tamen omnia studiosè & diligenter perqrunt & tractant ij, qui inter doctores scholasticos argutiores volunt videri. Equidem de diabolis eorumq; ministris Sortiarijs libenter disputare non soleo, quos tanquàm fœdissima monstra, & cru-

& crudeles feras auersor. Nec enim vllam mihi cum illis societatem & fœdus intercedere velim, fitq; summo Dei Opt. Max. aduersus me beneficio, vt eatenus mihi nota sunt eorum studia, & artes, quatenus de ijs verbo Dei sacrosancto omnes edocemur. Quòd si vir ethnicus & portentosæ religionis Philosophus Iamblichus, si Proclus, si frigidus certè quidem Christianus Psellus altiùs in istarum rerum cognitionem penetrârunt, & dæmonum arcana diligentiùs perscrutati sunt tradideruntque quàm ipse coner, equidem non inuideo, facileq; illis huiusmodi portentorum cognitionem concedo, modò mihi verã pietatis scientiam retineam, in eaque quotidiè proficiam, quæ sola hominibus est salutaris, per quam, vt est apud Ioan. 17. vers. 3. cognoscimus verum Deum, & quem misit Iesum Christum.

ANTO. Atqui ne ipse quidem, Theophile, talium rerum cognitionem vllam nisi admodum sobriam mihi optem, nec alia vnquàm mihi valdè placuit: ac nisi temporum ratio, & assiduæ controuersæque de eo hominum quæstiones nos agitarent & mouerent, toto hoc argumento putaré abstinendum. Quid enim hoc ipsum, lubéter nimirum & cupidè ista audire velle,

aliud innuit aut præſagit quàm iam eos quodammodò veneficos & Sortiarios fieri cupere & ſtudere? Reſponde igitur ad ea de quibus ipſe interrogabo, & quantum quidem pulcherrimi illius libri, quo verbum Dei continetur, autoritate id intelligi decidiq; poteſt.

THEO. Deum inprimis precabor, vt ipſe ad id præſtandum vires ingenij ſuppetat, meq; intra ſui verbi fines coërceat, ne diuager lõgiùs. Quid enim aliud futura eſt tota hęc diſputatio noſtra, ſi ab illo abſceſſeris, quàm aniles fabulæ (quas tamen conſectantur in hoc argumẽto multi) & quàm vt ex Scylla in Charybdin, vt aiunt, id eſt, in meros confuſionis labyrinthos tandem incidamus? Verùm agè, interroga ſi quid velis.

ANT. Quæro hoc primùm ex te, Quid vocabulum hoc Sortiarius ſignificet: vndè etiam deductum ſit, quando tu eoſdem Veneficos appellas.

CAPVT I.

Quid vox Sortiarius notet, & vndè primùm ſumpta ſit.

THEOPHILVS.

VOx hæc, Sortiarius, proculdubiò ab vſitatiore Lȧtina, Sortilegus, dedu-

ctã est, quam & ipsam homines Latini ad Græcorum imitationem formauêre: vtenim hi χρησμολόγους appellant, ita Latini Sortilegos dixêre. Ac χρησμολόγοι sunt, qui per Satanica illa oracula futura prænunciant: & Sortilegi ij qui futura diuinant ex eiusdem Satanæ reuelatione & commercio, iactis nimirum sortibus quibusdam, quales erãt olim tali, hodiè aũt saccus cilicius qui conuertitur ad certorum verborum demurmurationem. Galli ex Latino Sortilegus, linguæ suæ morem sequentes, & facta quadam vocabuli ipsius decurtatione, fecerunt *Sorcier*. Hebręi nihil in tota hac nominum ratione vel cum Gręcis vel cum Latinis hominibus, vel etiam cum nobis Gallis habent commune. Quos enim Sortiarios vocamus, eos appellãt ipsi *Chobarim*, quòd malo & clandestino astu ad sua scelera committenda vtantur. Sed dubitari non potest, quin vox Sortiarius à Sortilego antiquiore vocabulo sumpta sit. Id autem qua ratione euenerit, exponam. Primum omnium constat, ex plurimis causis, propter quas mortales sese Diabolo adiunxerunt, seque illi obstrinxerunt, hanc vnam & maximam & antiquissimam extitisse, nimirum vt, qua sumus omnes animi vanitate & curiositate nati, futura cognosceremus,

ſceremus, eaq́; etiam alijs prædiceremus. Nec enim quiſquam ſua ſorte contentus eſt, ſed certatim omnes in Dei arcana penetrare volumus, eiusq́ue ſummam illam præſcientiam conſecuti nobis videmur, ſi quædam futura & alijs adhuc ignota ipſi præſciuerimus. Hanc vanitatem cùm in animis hominum ineſſe videret omnibus ſeculis Satan, & futura prænoſſe geſtirent homines, iſtam hominum demulcendorum ſibique deuinciendorum & conciliandorum occaſionem ſedulò arripuit. Itaque pollicitus eſt ſe facilè ijs præſtiturum & effecturum quæ ipſi cuperent, daturumq́ue rerum futurarum cognitionem, ſi ſibi parere & audire vellēt. Id quod vani, inſani, curioſiq́ue homines nequaquam renuēre. Itaq; tandem contractum eſt inter vtroſque, Satanam dico, & iſtos diuinandi cupidos inter homines, arctiſſimum fœdus & vinculum, vt Satan futura præmonſtraret, ipſi in eius mancipio & peculio de cætero eſſent. Atque ita diuini iſti & Sortilegi exorti ſunt, qui primi omnium mortalium cum Satana commercium habuêre, amicitiamq́ue contraxêre. Ex quo poſteà factum eſt, vt quicunque Satanæ addicti eſſent, eo nomine, quod iam notum & commune erat, Sortilegi dicerentur.

tur. Neque enim vlla vnquàm ætas isto diuinorum Satanicorum genere & peste caruit, quando eæ artes antiquissimæ fuisse traduntur, & penè post mundũ conditum satosq́; à Deo homines natæ & repertæ.

ANTO. Qua ratione id probas?

THEO. Primùm verbi Dei apertissima autoritate, quę huius generis scelerum inter antiquissima mundi crimina meminit. Quàm fuit enim vetus Magorum Aegyptorum ars & diuinatio Satanica, illa quidem de qua est in Genes. cap. 40. 41. Deindè vir vndecunque doctus M. Varro, & totius antiquitatis indagator diligentissimus, iam prima mundi ætate quatuor ista diuinationis genera fuisse docet, quæ ad sua vsq; tempora retenta sunt. Ex quatuor enim mundi huius elementis, per quæ res futuras prædicere homines à Satana didicerant, quatuor diuinationes species sunt constitutæ: Pyromantia, quæ per ignem: Aëromantia, quæ per aërem: Hydromantia, quæ per aquam: denique Geomantia, quæ per terram & ex terra euentorum prænotionem coniectabat. Alij autem & posteriores quinque diuinationis genera reppererunt, vel potiùs ipsi finxerunt. Scriptura verò sacra longè his omnibus & certior & vetustior plures Satanicæ prædictio

nis species recenset, & octo enumerat, quanquam nec ipsa omnia illius genera complexa est. Ecquod enim creaturæ genus dici potest, quo ad eam rem homines suggestione Satanæ non sint abusi?

ANTO. Ecquæ verò sunt octo illa genera, quæ tu à sacra Scriptura recēseri ais?

THEO. Nihil addo. Tot enim Deut. 18. vers. 10. & 11 & Leuit. 23. vers. 23. disertè recitantur & distinguuntur. Quæ vt tibi explicem, nō sequar equidem eum ordinem, quo illic enumerantur, sed quàm breuissimè quamq; facillimè potero illa tibi narrabo.

ANT. Dic igitur.

THEO. Primum damnatę diuinationis genus, quod ex superioribus locis colligitur, est eorum qui *Cosemim* ab Hebræis, à Latinis autem Diuini appellantur. Ij sunt qui arcana quadam & secreta cum Satana communicatione diuinant, qui sunt reliquis astutiores longeque callidiores. Nec enim se detegi volunt, videnturque potiùs prudenti quadam rerum coniectura, aut quodam instinctu Dei quàm vlla damnata ratione futura prædicere, quia suum illud, quod cum Diabolo habent, commercium studiosè celant. Vndè fit, vt nonnunquam in bonam partem, atque pro prudentibus

viris, vox *Cosemim*, in Scriptura ſumatur, vti apud Iſaiam cap. 3. Secundum diuinorum genus appellatur *Aobot* ab Hebræis: à Latinis vel Græcis potiùs Pythonici, nos Galli hoc genus hominum eſſe dicimus, qui dęmonem familiarem & domeſticum habere dicuntur. Hi apertè & citra diſsimulationem cum Satana colloquuntur & communicant, eoq́ue tanquam famulo ad imperata exequenda vtuntur. itaque cum eo conuerſantur. Vocabantur aũt *Aobot*, quòd cum impulſu illius ſui dæmonis diuinant, tanquam ex vtre quodã obſcuram & confuſam vocem è ventre emittũt, quod Delphis ex tripode Pythoniſſa etiam faciebat, idq́; fœdiſsima & horrenda prorſus ratione. Reliquæ ſex diuinationis ſpecies hoc diſcriminis cum ſuperioribus duabus habent, quòd quanquam etiam ipſæ opera & arte Satanæ fiunt, tamen in his ſex ſequentibus Satan ipſe per ſe neque agit neq; coràm colloquitur cũ ijs qui diuinant, (id qđ in duab. illis primis fieri diximus) ſed interpoſito alterius nomine, aut ſignis quibuſdam & medijs adhibitis, quæ ipſe tamẽ præcipit & demonſtrat. Tertium igitur diuinorum genus eſt eorum, quos Latini dicunt Necromantios, qui ex mortuis opera Diaboli futura præſcire deſiderant. Quod genus

genus etſi abſurdiſsimum iam ætate Homeri in vſu fuit, cuius ipſe meminit lib. 11. Odiſ. Qua quidem in re etſi interuenit Satan, & agit hoc totum, celato tamen nomine alienaque perſona interpoſita id facit. Quartum genus ij ſunt, qui appellantur ab Hebræis *Megonin*, (à quo fortaſſe Magi dicti videri poterant, ſed alij ſunt quos Magos appellamus) à Latinis Aſtrologi & Mathematici. Hi futura prædicere ſe poſſe putant ex quorundam ſignorum, locorum, & ſtellarum obſeruatione, earumque ſitu & aſpectu, vt vocant. Quales olim Romæ Augures qui ex certis regionibus, quas in aëre deſcribebant, vaticinabantur: quales hodiè Aſtrologi iudiciarij. Quintum genus appellant Hebræi *Menacheſim*, Latini verò Magos, qui & ipſi à Diabolo diuinationem didicere ex certis figuris, characteribus, delineationibus, & certorum etiam verborum ſuperſtitioſa demurmuratione ſuper re propoſita. Itaq; artem ſuam exercēt quibuſdam ſymbolis, quæ docuit prçcepitq; malus iſte magiſter Satan. Tales ſunt Hydromātij, & ex eo genere fuit illa diuinatio per ſcyphū, de qua Geneſ. 44. ver. 5. facta mentio eſt. Sextum genus ſunt *Idegonim* Hebraicè: Latinè Arioli, qui bonam, vt aiunt, fortunam

prædicunt. Hi ex obiectis sibi rebus, non autem à se conquisitis & effictis diuinare pollicentur. Id quod ex eadē Satanæ schola prodijt. Huiusmodi sunt hodiè somniorum coniectores: Chiromantij, qui ex manuum lineamentis quæcunq; futura sint, præsagire se posse profitentur. Tales olim fuerunt fulgurum & tonitruorum interpretes: tales quoque qui ex extis victimarum augurabātur, aut ex cantu, aut ex esu auium, qui & Extispices & Oscines dicti sunt. Qui omnes probabili quadam coniectura niti videntur velle, non autem vana superstitione. Septimum genus sunt Hebræis *Mecasephim*, Latinis Præstigiatores & Fascinatores. Hi incantationibus & meris illusionibus oculorum agunt, & fascinant homines, vidēturq; ea repræsentare, quæ pollicentur, decipiunt tamen. Huiusmodi fuerunt incantatores Pharaonis, qui hoc ipso nomine etiam appellantur, Exod. 7. vers. 11. Octauum denique & vltimum diuinorum genus est eorum quos Hebræi *Chobarim* vocant, Deuteron. 18. vers. 11. Latini Sortilegos, q certis locis aliquando colliguntur cum Satana, & multa maleficia perpetrant. Vides igitur quàm sit antiquum hoc totum Satanicorum diuinorum genus, & vt ab ijs illi qui hodiè Sortiarij vo-

tij vocantur, ſint & profecti & nominati.

ANTO. Atqui Theophile, longum latumque diſcrimen eſſe videtur, ſi quis rem ad viuum reſecet, inter Sortilegi & Sortiarij notam propriamque ſignificationem. Memini enim me cùm puer adhuc in ſcholis eſſem, à Præceptore didiciſſe Sortilegos Latinè dici non qui veneno lędunt, ſed qui ſortium quorundam iactu diuinant, quales fabæ, cubi, cippi, aut verſus ex aliquo Poëta inſpiratò occurrentes. Id quod aliquando Septimio Seuero Romanorum Imperatori accidiſſe idem narrabat. Ille. n. cùm Imperium occupaturus de ſui conſilij euentu, per ſortes Vergilianas quæreret, fortè incidit in hunc verſum, qui eſt Aeneid. lib. 6.

Tu regere Imperio populos Romane memento.

Quemadmodum in eius vita ſcribit Lampridius. At qui à nobis Sortiarij appellantur, ij magna ex parte nihil diuinant, ſed tantùm intoxicant & veneno necant clàm, Sataniciſque artibus inſtructi. Quòd ſi etiam nõnunquam futura pręnunciant, non ſortibus, quemadmodum veteres illi, id faciunt, ſed ex ſola Satanæ reuelatione.

THEO. Sunt illa quæ dicis, Antoni, veriſsima. Nec enim, ſi verè & rectè loqui volumus, ij quos Sortiarios dicimus, ſunt

Sortilegi nominandi, sed Satanici venefici potiùs & intoxicatores. Quia tamen cùm ita lædunt, ab ipso Satana id facere didicere, & cum eo fœdus iniuere, vt & illi priores qui Sortilegi appellantur, Satanæ denique totos se mancipant, vt etiam illi Sortilegi: factum est vt à populo nõ ita in verbis scrupuloso & religioso Sortilegi & Sortiarij dicti sunt, & qui per sortes diuinant Satana docente, & qui homines brutáque veneno tollunt eodem Satana toxica præbente, quia vtrique se vni & eidem Satanæ addicunt, illiusque opera vtuntur. Itaque à parte totum genus denominatum est, & ex vocabulo iam noto aliud deductum. Ac certè videtur hæc tota veneficorum gens & natio, quò inter homines odio digna esset maiore (& meritò quidem) hoc præsertim Sortiariorum nomine appellata. Sic enim vocati sunt, posteà quàm Euangeliũ iam mundo innotuit, quo seculo totum Satanicæ diuinationis genus, maximè omnibus hominibus exosum fuit, prout debuit, quemadmodum docetur 1. Sam. 15. vers. 23. Prætereà in hac nomenclatura, id est, nominis imponendi ratione, non est Latinæ linguæ puritas proprietasque spectanda. Sortilegi enim & Sortiarij dici & nominari tùm demùm cœperunt hi venefici,

fici, cùm Gothi iam in Italiā irrupiſſent, & linguæ Latinæ ꝓprietas ꝓrſus obſoluiſſet. Itaque Itali hoc vocabulo primi in ea ſigni ficatione vſi eſſe perhibentur, iam barbara nec amplius Latina Italia. Id quod ex titul. De Sortilegijs in Decretalibus apparet, quanquam eo videtur alicubi vſus Auguſt. ſui temporis cōſuetudinem, & notam iam inter Chriſtianos ſignificationem ſecutus. Idem denique colligi poteſt ex poſtremo cano. 33. quæſtio. 1. vbi barbarè, apertè tamen iam Sortiarij dicuntur. Aliter enim nemo dubitat aliud eſſe hominem intoxicare, aliud incantare, aliud apud Gręcos eſſe γοητεῖαν, aliud item φαρμακεῖαν, quanquā vtrunque arte diaboli fiat. In toto Allobrogum regione hi malefici vocantur Eryges, ſiue à voce Græca Erynnis, quæ furorem animi, & libidinem miſerè hominis trucidandi ſignificat: vel ab hac potiùs, vt quidem putant, ἴυγξ, quæ aues quaſdam ferales & infauſtas apud Theocritum Poëtam notat.

ANT. Quibuſnam igitur nominibus veteres illi & priſci puræ Latinitatis autores hos maleficos homines appellabant?

THEO. Mares quidem Veneficos, fœminas autē his artibus addictas nominabant Veneficas, Sagas, Theſſalas, Magas,

Lamias,

Lamias, Striges. Quæ appellationes omnes ex optimo Latini sermonis autore puroque scriptore Horatio Flacco lib. 1. Carmi. ode 27. libr. Epod. ode 17. libr. 1. Serm. Satyr. 8. possunt obseruari. Talis ipsius seculo fuit Canidia quædã, de qua ipse conqueritur. Talis Circe illa, de qua Homerus lib. 10. Odiss. Talis Medea, de qua Ouidius lib. 7. Metamorphos. Talis denique illa, de qua Lucanus libr. 6. Pharsalidos, & plures aliæ, quarum in varijs historijs facta mentio est. Et quamuis ij, quos commemoraui, scriptores sint Poëtę, nihil tamen in eo, nisi ea quæ iam suo seculo & nota & vsitata videbant, finxerunt. Sed vt Poëtas omittam, & Cæsar lib. 1. Commentariorum de bello Gallico, Germanarum virginum, & Cornel. Tacitus Annalium lib. 2. Martinæ cuiusdam meminit, quæ Germanicũ Cæsarem ea veneficij & intoxicandi ratione interfecit.

ANTO. Intelligo, Theophile, cur & qui Sortiarij appellentur, & quo nomine propriè donandi sunt, si modò Latinè loqui volumus. Sed quia vulgi consuetudo sequenda est, hos Satanicos veneficos appellemus Sortiarios, & eorum maleficium intoxicationem: & qui ab ijs læduntur, dicamus intoxicatos, vt ab omnibus nostra

disputatio

disputatio intelligatur, de quibus ipsis ex te quæro: Vtrùm id hominum genus ante Christum natum extiterit, an demùm post passum Christum cœperit esse & agnosci?

THE. Vox quidem Sortiariorum post Christum natum reperta atque audita est: res autem ipsa & genus hoc maleficiorum longè ante Christum natum fuit & innotuit. Neque enim, mi Antoni, tibi persuadeas, Christum, qui venit ad opera Diaboli destruenda, nouam illi in homines potestatem, quam anteà non haberet, adiecisse, nouumque hoc maleficij teterrimi genus aut anteà ignotum, aut primùm ab eo in mundum inductum fuisse. Ista sine atroci in Christum ipsum blasphemia ne cogitari quidem possunt, nedum dici. Prꝍtereà si quis ita sentiat, argumento luce ipsa meridiana clariore refutabitur. Nam & Moses, & totum vetus Testamentum (quod Christi natiuitatem præcessit) horum veneficorum apertissimè meminit, Deuter. 18. Sap. 12. Fuit enim Satan semper sui similis, & qualem hodiè experimur, talem omnis ætas vidit & sensit, qui inflammauit & impulit filios infidelitatis ad priuatæ iniuriæ vindictam, fratrumque iniustam cædem, quia, vt ait Ioan. 8. versic. 44. homicida est ab initio. Et hæc quidem

quod

quod ad ipſam vocis Sortiarius originem & notionem.

CAPVT II.

Vtrùm ſint quidam Sortiarij, id eſt, ex hoc Satanicorum veneficorum genere.

ANTONIVS.

AT pollicitus es, Theophile, certis robuſtisq; rationibus te probaturum quoſdam in mundo eſſe Sortiarios, id eſt, ex hoc veneficorum diabolicorum genere & ordine.

THEO. Ita recepi, Antoni, ſumq;, ſi ita vis, paratus iam præſtare.

ANTO. Perfice promiſſum. Neq; enim rem ita ſe habere poſſe ad hanc vſq; diem credidi, necdum etiam, niſi aliud euincis, credo.

THEO. Enitar. Quod vt faciam, ſic dico: Tres ſunt in vniuerſum rei alicuius probandæ modi & loci præcipui, quanquã illa planè incredibilis eſſe ſtatuitur. Illi autem loci tres ſunt hi. Hominum autoritas, rerum ipſarum experientia, & recto animi iudicio vtens atq; innixa ratio. Qui loci omnes noſtram ſententiam confirmabunt, neq; ex his vnus tantùm, quãquam is erat

ſatis.

satis. Ac primùm autoritas. Sunt enim dilucida & perspicua testimonia tùm ex ipsa sacrosancta Scriptura, tùm ẽt ex alijs autorib. deprompta, quæ planè testificãtur extare in mundo tale veneficorum genus, quos & Satanicos & Sortiarios diximus. Responde Antoni, Sanctissimóne Dei verbo assentiris?

ANTO. Absit verò Theophile, vt ab eo dissentiam.

THEO. Rectè facis. Nam vt docemur 2. Pet. 1. vers. 19. scriptura, qua illud continetur, est certissima lux & veritas, quæ etiam diuinitùs est inspirata, quemadmodum ait Paulus 2. Timo. 3. vers. 16. quam tamen nostri seculi homines Athei prorsus negligũt & repudiant.

ANTO. Totus sum, Theophile, ab istis alienus, Deiq; ipsius gratia illi verbo planè credo atque assentior.

THE. Hoc verò Dei verbum (quod certissimum & verissimũ esse agnoscis & confiteris) esse quosdam ex isto veneficorum & Sortiariorum Satanicorum genere iampridem confirmauit. Quæ res satis ostẽdit esse quosdam huiusmodi maleficos. Vide in veteri Testamento Deuter. cap. 18. vide Hierem. cap. 27. vers. 9. vbi Hieronym. ita scribit: *Et Maleficos quos vel Veneficos possumus appellare,*

appellare, vel dæmonum phantasmatibus seruientes, qui Hebraicè dicuntur Cassaphim. Lege Mich. c. 5. vers. 12. vbi tales venefici coniunguntur cum diuinis & Magis. Lege Psal. 58. vers. 8. Nahum Prophetam cap. 3. vers. 4. & similes alios locos. Quòd si è nouo etiam Testamento (quæ est altera diuinæ Scripturæ pars) idem tibi demonstrari velis, vide Epistolam Pauli ad Galatas cap. tertio, versic. primo, & cap. 5. versicu. 20. vbi optimi & doctißimi quique interpretes, tùm veteres, tùm etiam recentiores vno consensu omnes esse quosdam Sortiarios colligunt, qui Satanica arte & via hominum animos, corpus, vitam deniq; ipsam lædãt.

ANTO. Locos tu quidem complures mihi congeßisti, quos domi per otium legam & inter se comparabo.

THE. Quantum ad alios scriptores siue ecclesiasticos, siue etiam profanos autores, si quis omnes enumerare volet, erunt infiniti, qui tamẽ esse quosdam Sortiarios & probant & testantur. Quos hîc singulos commemorare non puto mihi necesse: sed tantùm ex ijs quosdam.

ANT. Compendio orationis studẽdùm est, & aliquot tantùm contentus ero.

THE. De ecclesiasticis, in quorum numero eos sacræ Scripturæ libros comprehendo,

hendo,qui nominātur Apocryphi,eſt mihi teſtis primus producendus liber Sapientiæ cap.12.verſ.4.*Quia ſortilegijs & venefi- cijs vtebantur*,(ait deChananæis loquens)*& ſacrificijs impijs*.Tum ſecūdo loco concilium Carthaginenſe, item & Conſtantinopolitanum ſecundum,quod in Trullo fuit,art. 61.vbi diſertè & nominatim huius generis veneficorum mentio facta eſt, & lethalia maleficia eorum ſcelera nominantur. Tertio loco teſtem producam Aurelium Auguſtinum, qui varijs in locis, inprimis autem in ſermo.207.de Tempore,qui aduerſus huius generis homines magno cū Auguſtini ſtomacho habitus eſt, quos etiam appellat Incantatores, & quos docet arte operaq́ue Satanæ efficere, vt alij è ſanis ægroti fiant,alij ex ægrotis ſani. Prętereà tractatu 7. in Ioan. Euangelium, idem Auguſt.planè execratur eos, qui incantationibus, ligaturis mirisq; inimici noſtri, (is autem eſt Diabolus) modis operantur, nocentq́ue hominibus & cæteris rebus. Quarto denique loco ecce tibi Trithemius Abbas Spinhemenſis de eadem re integrum librum edidit, atque reſpondit ad eas quæſtiones quæ illi à Maximiliano Germanorum Imperatore, huius, qui hodiè viuit,proauo proponebantur. Quid præ-

tereà? Vísne, Antoni, alia aliorũ testimonia audire, etiamne leges ipsas? Est lex antiqua & decantata illa quidem 12. Tabularum, quæ hoc maleficorum genus puniebat, quos etiam messem incantare posse ait, de qua lege Plinius lib. 28. Natur. histor. cap. 2. Nónne alia Romanorum lex & illa etiam lege 12. Tabularum posterior, quæ lex Cornelia dicta est, eosdem damnat & persequitur? Ex Imperatoribus Constantinopolitanis Leo constitutione quadam sua quæ est 65. idem agit. Deniq; vir in omni rerum genere versatus Vergilius tùm Eclog. tùm etiã 8. tales esse quosdam confirmat, vt Troilum de Malueto magnum Iurisconsultum, & Martinum Arlæum Theologum prætermittam, pluresque & penè infinitos alios, qui ætate recentiores superioribus vixere, & quosdam ex hoc Veneficorum Satanicorum genere esse doctè vereq; testantur. Aut hoc testium satis est, aut nescio quid sit satis.

ANTON. Certè plus quàm vellem. verùm, Theophile, vnum quẽdam ex animo meo scrupulum, qui me malè habet, tollas velim.

THEO. Ecquis autem ille est?

ANT. Hoc nempè quòd videtur Hieronym. autor non contemnendus in suis commen-

commentarijs in Epiſtolam Pauli ad Galatas, ca. 3. verſ. 1. (quem locum ad tuæ ſententiæ fidē faciendam tu ipſe anteà protuliſti) apertè negare Paulum ita ſenſiſſe vnquam eſſe quoſdam Sortiarios, quanquam tamen ita ſcribit: *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit?* Sed in eo Paulus ex communi hominum conſuetudine ita loquitur, & recepta vulgò ſententia, non quòd ipſe vllos eſſe huiuſmodi crediderit aut vnquam agnouerit.

THEO. Verè tu quidem, Antoni, & memoriter Hieronymi mentem recitaſti, & certè ita primùm ſenſiſſe videtur Hieronymus: Sed idem poſteà in eundem etiam locum aliud addit, mutatq́; ſtatim ſententiam. Quod vt ipſe videas, totum locum tranſcripſi. *Dicitur faſcinus*, ait Hieronymus, *propriè infantibus nocere, & ætati paruulæ, & his qui necdum firmo veſtigio figunt gradum. Vnde & quidam è gentibus.*

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.
Hoc vtrùm verum nécne Deus viderit, quia poteſt fieri, & vt dæmones huic peccato ſeruiant, & quoſcunque in Dei opere vel cœpiſſe, vel profeciſſe cognouerint, eos à bonis operibus auertant. Nunc illud in cauſa eſt, quod ex opinione vulgi ſumptum putamus exemplum. Ex quibus verbis apparet quàm ſit de ea re vir ille incertus & dubius,

& ſolet in alia eorundem commentariorũ parte in alijs rebus grauiſsimè iuſtiſsimeque reprehendi, quemadmodum ab Auguſtino de mendacio Pauli, vt hîc eum vel peccaſſe vel nutaſſe, nihil mirum cuiquam videri debeat. Sed id ſenſerit Hieronymus, alij certè non minùs graues & docti eiuſdem loci interpretes aliud ipſi ſcribũt & ex hoc Pauli loco colligũt, eſſe nimirum Sortiarios. In quam ſententiam iuit Chryſoſtomus ſcriptor probatus, & recentiores etiam alij. Quod ad Auguſtinum, qui nulla in re Hieronymo cedit vel inferior eſt, quid ſcripſerit, ſuprà diximus.

ANT. Iſta mihi ſatisfaciunt, Theophile, neque plura hominum teſtimonia deſidero, illud ſubijce quod pollicitus es, eſtq; ſecunda ſententiæ tuæ probatio. Docet me, inquam, ipſa rerum experientia compertum eſſe quoſdam Sortiarios extare.

THEO. Debitum à me rectè exigis, & ordinè omnia meminiſti. Itaq; vno verbo rem totam conficiam.

ANTO. Agè igitur.

THE. Ergò quod ad experiẽtiam eamque certam, hoc dico, omni hominum ætate obſeruatum & animaduerſum, quoſdam eſſe qui diabolicis iſtis modis & technis homines intoxicarent. Cur enim de ijs

leges

leges ſcriptæ eſſent, ſi nulli vnquam extitiſſent? Cur pœnæ in eos ſancitæ? Neque enim de ijs rebus, quę non ſunt, leges promulgātur: & par eſt earum rerum quæ non ſunt, & quæ non apparent, in Iure ciuili iudicium, quemadmodum Iuriſconſulti docent. Cùm quæreretur à ſapientiſsimo illo Athenienſium Legiſlatore Solone, cur nullam aduerſus parricidas legem ſcripſiſſet, reſpondit, Quòd neminem vnquam parricidam fore ſuſpicaretur. Igitur & ante Chriſtum natum, & poſteà hoc genus maleficorum paſsim extitit. Ac ante Chriſtum fuiſſe teſtis eſt, iſque fideliſsimus & locupletiſsimus Moſes ille vir Dei ſanctiſſimus, qui iuſſu Dei tot locis eos commemorat & damnat, Exod. 22. verſ. 19. Leuit. 19. verſ. 31. & 20. verſ. 27. Numer. 23. verſ. 28. Deuter. 18. verſ. 11. ferunt etiam Zoroaſten hominem Perſicæ nationis, magnumque Magum & Aſtrologum iudiciarium, primum omnium mortalium hoc genus veneficij exercuiſſe, & cæteros poſteà docuiſſe, qui, ſicut ipſe, erant idololatræ. Poſt Chriſtum autem incarnatum eoſdem fuiſſe, teſtes ſunt infinitæ hiſtoriæ, & hominum narrationes de ijs ſcriptæ: teſtes etiam iudicum ſententiæ in eos latæ: teſtes leges & pœnæ in eos conſtitutæ, tùm Iure

 Ciuili,

Ciuili, tùm etiam eo, quod Canonicum vocant, quādo & tituli & Rubricæ integræ de eo delicti genere scriptæ etiam num hodiè leguntur, quemadmodum in Gratiani decreto apparet causa 26. q. 1. 2. 3. 4. & 5. Quin etiam ijdem hi venefici in nostra Gallia maximè noti semper fuerũt. Quod verum esse confirmant innumerabilia Parlamentorum, vt vocant, arresta de ijs facta, quæ plerique docti homines collegere. Inprimis autem nostram hanc sententiam tuetur quorundam articulorum & dogmatum celebris & solennis damnatio à Sorbona Parisiensi facta sub Carolo VI. Francorum rege, anno Domini 1398. Quæ dogmata passim Lutetiæ profitebantur scholastici illius Academiæ. Quid? nónne hæc nostra ætas videt huius maleficij damnatos quamplurimos?

ANTO. Cur verò id fiat nostro seculo, potésne, Theophile, rationẽ mihi afferre?

THE. Est hoc quidem horrendum Dei aduersus nos iudicium, cuius est ignota nobis causa. Sunt verò Dei iudicia etsi nobis ignota, iusta tamen & sancta, quemadmodum ex Psalm. 25. versicu. 10. verissimè & pientissimè in pari argumento, & libr. De Diuinatione Dæmonum, ait Augustinus.

ANT.

ANT. Quid igitur? éstne hac nostra ętate hominum puniẽdorum maior & iustior Deo causa, quàm fuit iampridem, & trecentis ab hinc annis?

THE. Certè, Antoni, maior nunc, quàm olim, quantò mundus hic sacrosanctũ Dei verbum, patefactumq́; ipsius lumen reijcit & impudentiùs & obstinatiùs. Quantò enim homines magis se in Deum ingratos hodiè præbent, tantò Deo iustior est eorũ deserendorum causa, tradendorumq́; Satanę ad nominis sui contemptum vindicãdum. Quare hoc maximè tempore, quo grauiss. & fœdissima hominum in Dei doctrinam rebellio manifestè cernitur, Satan hanc potestatem à Deo accepit, vt tales sibi addiceret, & cribraret, concessaque illi est erroris summa efficacia ad multos fallendos irretiẽdos, & abducendos, quẽadmodum ipse Dei spiritus, id fore iampridem testatus est, 2. Thessal. 2. versi. 10. & Deum missurum esse vim & energiam deceptionis, vt homines credant Satanæ & mendacio, & dãnentur qui nõ crediderũt veritati, sed acquieuerũt iniustitię, qa amorẽ veritatis non receperunt, vt salui fierẽt.

ANTO. Verùm aliud contendunt quidam, ista nempè omnia, quæ de Sortiarijs dicuntur, ficta commentaq́; esse: vel si ita

eueniant, animi tantùm morbo, & melancholico quodam humore, in ijs fieri hæc visa & phantasmata, non autem vllius diuini aduersus homines iudicij istas notas esse atque testimonia.

THEO. At ij grauissimè hallucinantur, mi Antoni, & quidem non minùs, quàm qui volunt Dæmoniacos & Lunaticos qui tempore Domini nostri Iesu Christi vixerunt, & sunt ab eo sanati, nihil nisi summa quadã melancholia, & flaua bile abundantes & laborantes homines fuisse. Quorum sententia est planè blasphema. Nam & fidei Christianę certitudinem tollunt, & diuinã Domini nostri Iesu Christi naturam negãt, & aduersus ipsam rei veritatem pugnant, & mentiuntur. Quo enim modo ipsi diaboli in eorum corporibus loquuti essent, magno cum impetu ex dæmoniacis exiuissent, membra eorum lacerassent, si ista mera animi ægri somnia, & phantasiæ, & tantùm morbi cuiusdam melancholici accessiones fuerunt? Sic Sortiarij sunt planè misera Satanæ mancipia, ab eoque reguntur, hunc ipsi adorant, illi se addicunt, atque etiam cereas candelas honoris ergò offerunt. Quanquam eorum quidam abiectiores & turpiores apparent. Nam cùm se illis Satan humana specie offert, eius

nates (quod eſt etiam dictu fœtidiſsimum) deoſculantur, quod à ſe factum ipſi poſteà liberè agnoſcunt & confitentur. Atque ijs propterea accidit, vt in tàm reprobum animi ſenſum tradantur, quòd Deus eos iuſtiſsimè punit, qui, quemadmodum dixi, obſtinatiſsimè & ingratiſsimè vel omninò ſpernunt Euangelium Dei ſibi oblatum, vel acceptum intellectumq; frigidè omninò & leuiter tantùm deguſtant. In quibus duobus ſummus Dei Opt. Max. contemptus cernitur. Quanquam etiam, Antoni, illud mihi verè dicturus videor, quòd quemadmodũ dominus Deus primum vnigeniti filij ſui Ieſu Chriſti aduentum nobilitare, celeberrimumq; toti mundo reddere volens, multos quoq; illo ſeculo dæmoniacos, lunaticos, cæcos, mutos, ſurdos eſſe voluit, quos ſanaret Chriſtus, & quam illi gloriæ ſegetem præbebat Pater: ſic hac noſtra ætate, qua ſummo ſuo in genus humanum & incomprehenſibili beneficio ſacroſancti Euangelij ſui lucem dono reſtituit, iuſtè vult, vt plures huius lucis patefactæ contemptores in Satanæ laqueos hodiè incidant quàm anteà, fiātq; Sortiarij, id eſt, ſint Satanę addicti, vt & qui Deum ſpernunt, magis iſtorum miſerorum exemplo terreantur : & pij ardentiùs

Deum laudent, gratiasq; tanti beneficij in se collati nomine Deo agant maiores, suamq; conditionem beatam iudicent, qui è tanto malo & tanta Satanæ potestate sint singulari Dei beneficio erepti. Intelligisne igitur, Antoni, quamobrem hodiè plures, quàm olim Sortiarij euadant?

ANTO. Sanè, Theophile, & tibi, qui me id docueris, ago iam gratias. Sed tamen, quò sim planè in tua sententia confirmatus, adde tertium argumentum, quod ex recti iudicij ratione sumptum esse dixisti.

THE. Rectè admones, penè enim prætermiseram. Itaq; aggredior. Efficit ratio rectè iudicãs & sanè, vt Sortiarios esse credamus. Est autem hæc, Vbicunque vera & efficax alicuius rei causa adest, ibi effectũ quoq; sequi est necesse. Exempli causa, vbicunque est Sol, illic quoque lumen & dies est, quia vtriusque vera & efficax causa est Sol. Vbicunq; flat Aquilo, illic friget, quia est is ventus frigoris pater. Atque vt hoc nostrum axioma ad propositum argumentum accommodemus, sic tradunt Philosophi qui in rerum causis explicandis versantur. Quæ causæ sunt anima & voluntate præditæ, si in ijs voluntas & potestas ad agendum simul concurrant, effectum ex ijs necessariò continuoque sequi. Dicis

causa,

causa, Si quis esurit, & ad manum habet panem, edit: Si quis sitit, & in promptu habet vinum, bibit. Si quis alget, & afferatur illi ignis, calefacit sese. Habet enim & velle & posse, vt aiunt, ergò agat necesse est. Satan horum veneficiorum & intoxicationum proculdubiò causa est. Ille autem & voluntatem & potestatem vnà habet eius mali perpetrandi, & ad illud homines attrahendi & sibi addicendi, (conceditur enim illi hæc potestas à Deo iusto in homines istos rebelles iudicio:) ergò dubitandum non est quin eos sibi lucretur & impellat ad id sceleris. Quod vt tibi latiùs exponam, hoc mihi, Antoni, cōcedis, vt credo: Semper in hoc mundo fuisse homines aliquos infideles, id est, qui vel verum Deum ex ipsius verbo non norunt, vel agnitum spreuerunt.

ANT. Hoc per me sumas licet, quando tales videmus nimium multos.

THE. Sed nec illud negaueris, Satanam ex quo tempore primam originem suam deseruit, estque factus diabolus, semper id sategisse, &, quantum quidem in se fuit, conatum esse & perfecisse, vt mortales à veri Dei cognitione, & certa salutis suæ fiducia abducerentur, denique vt Deum ipsiusque promissiones respuerent & con

temnerent:

temnerent: & persuasisse siue induxisse vt se illi addicerent, quos & ad Dei cultum frigidos videbat, & ad promissiones amplectendas negligentes.

ANTO. Istud verè dicis. Est enim Satan Leoni rugienti similis, qui semper quærit quem deuoret & à Deo abducat, vt Petrus loquitur 1. Pet. 5. vers. 8.

THE. Rectè meministi, Antoni. Nam & ea ipsa causa est propter quam idem serpés antiquus in Apocalyp. 20. versi. 2. appellatur, id est, communis & coniuratus humani generis hostis, vt Christus ait, Matth. 13. versic. 28. qui operatur & efficit præsertim in filijs infidelitatis, id quod conatur & vult, quemadmodum Paulus ait, Ephes. 2. vers. 2. Nam ira Dei venit in homines contumaces. Cùm igitur ex his locis constet Satanam id cupere & velle vt homines à Dei metu & fide abducat, restat vt videamus, habeátne idem potestatem abducendi eos.

ANT. Tùm certè tua illa ratio erit conclusa. Sed obsecro, Theophile, habétne Satan potestatem in homines tantam, vt eos à Deo possit auertere, & ad se traducere, cùm sint ipsi Dei creaturæ ad ipsius imaginem efformatæ, & maximè ad vnius illius gloriam?

THEO.

THEO. Fateor ego quidem, Antoni, Satanam nũquam huiusmodi potestatem habiturum fuisse, nisi esset illi data à Deo omnipotente, qui hac iustissima ratione punit eos, qui se ingratissimè & impijssimè deserunt. Quanquam verò ratio à nobis huius explicari non potest, cur hunc potiùs, quàm illum dominus tradat Satanæ, & abduci velit, præterquam quòd hæc est iusta Dei voluntas, qui ita decreuit: nemo tamen vnquam Sortiarius nisi sua culpa euasit, & quin priùs sciens prudénsve Deum renunciarit creatorem & opificem suum, vitæ autorem, & omnium bonorum largitorem, quem deserit, & impudentissimè perfidiosissimeq; pro Deo suo habere renuit, si modò nomen dat Satanæ, & Sortiarius futurus est.

ANTO. Estne verò hoc credibile quod ais, Theophile, hominem quenquã Deum suum renunciare, & Satanæ, quem esse Satanam verè sciat, velle audire, nedum se illi in mancipium addicere?

THE. Istud quidem nimium verum est, atque id faciunt, quotquot tandem euadunt Sortiarij. Postquam enim Satan eos quos ambit & affectatur, semel conuenit, apertè iam quis sit confitetur, se nimirum Satanam & verè Diabolũ illum esse quem docet

docet ſcriptura. Itaque iubet vt Deũ creatorem ſuum illiusq́ue poteſtatẽ abiurent, ſibi autem perpetuum cultũ & obſequium voueant, ſibi, inquam, qui illic præſens adeſt. Se pro Deo agnoſcant, ſe inuocent, ſe precentur, ſibi cõfidant. Tum deindè eoſdem iubet, vt ſe cernui adorent, qua ratione & quo corporis geſtu ipſe vult & probat. Itaque eorum alij genibus ipſius aduoluuntur, alij candelas incenſas & nigras offerunt, alij aliqua parte corporis, quo tunc viſibilis apparet eum oſculantur, alij alia ratione, prout ipſe id iubet fieri.

ANTO. O quàm meritò & iure igitur à Deo miſeri iſti & deteſtabiles homines ſic puniũtur, cui tàm ſceleratè, perfidè & ſcienter renunciant, creatori ſuo, patri, ſaluatori. Nec iam cur id fiat miror.

THEO. Propter eam ipſam cauſam dat Deus ſatanæ tãtam in eos efficaciã, quemadmodum dixi, 1. Regum. 22. verſ. 22. Ac niſi Deus daret, hanc poteſtatem planè non haberet Satan.

ANT. Nihil verò in tota iſta tua narratione animaduerti, quod à fide veri tam ſit alienum quàm quidam autumant, & certè iam miror, cur illi in animum inducere nõ poſsint eſſe aliquos Sortiarios.

THEO. Vnum modò addam, vt totum hunc

hunc locum tandem concludam, ex varijs nimirum causis homines fieri tales. Alij enim summa de Dei promissionib. & amore erga se diffidentia, alij summa & teterrima animi vanitate & curiositate impulsi, tales euadunt, cùm naturæ humanæ modum & gradum superbè fastidiant. Hoc autem quàm verum sit, vide. Quidã enim iam Sortiarij extiterunt spe inopiæ suæ subleuandæ, cùm ijs satan montes aureos, vt aiunt, polliceretur. Pecunia enim ad exhibendam familiam egebãt, vel ære alieno erant obruti atque onerati, adeò vt nũmorum accipiendorum spe se lubenter satanę addixerint. Alij cùm se à potentiorib. quibusdam opprimi viderent, neque se tuẽdi haberent potestatem, factã tamen sibi iniuriam non ferrent, satanę auxilium (est.n. is vindictæ amans & cędis) aduocarunt, seque illi prompto aĩo vendiderunt & manciparũt. Quæ duo hominum genera summa de Dei erga se amore & auxilio diffidẽtia tales euadunt, quasi eos neglexerit Deus, neq; afflictos tueatur. Hac via & ratiõe à satana abducuntur præsertim rusticani hoĩes & ignari & pauperes, & iniuria affecti, vt sortiarij fiant. Sunt verò alij, qui curiosa quadã & superba animi vanitate, dũ se intra humani ingenij metas continere

non

non poſſunt, feruntur, fiuntq́; Satanę mancipia, dum futura prænoſſe, eaque prædicere alijs volunt: vel dum facilè nulloque negotio multa facere, quæ alij nō poſſunt, ambitiosè cupiunt. Quomodo à Satana ſeducuntur, qui homines videntur honoratiores & doctiores, quales nobiles quidam & primariæ fœminæ, ſcholaſtici plures. Qui omnes iuſtè à Deo puniuntur, quòd Deum ſpreuerunt, ſeq́; ſcientes Satanæ deuouerunt.

ANTO. Iam verò, Theophile, planè in animũ induco meum, eſſe ſatanicos veneficos quoſdam, & ſortiarios, & quaſdam intoxicationes quæ ab ijs fiunt. Sed obſecro, vt de eo quoque mihi reſpondeas: In quæ rerum genera illa ſua venena ſatanica effundere & ſpargere queant.

THE. Cupio ego quidem, ſed eatenus tamen, quantum ex veris rerum hiſtorijs didici. Nec enim eorum ſtudium probo, qui in hoc argumento tractando aniles fabulas ſunt conſectati, & eas in magna quędā ſua volumina laboriosè retulerunt.

CAP. III.

In quæ rerum genera Sortiarij venena ſua ſpargere poſſint, vt noceant.

ANTO-

ANTONIVS.

HOc mihi ipſi ſatis erit, nec enim puerilibus iſtis nugis delector. Quid igitur, Theophile, etiámne in hoĩes, etiámne in bruta animãtia hoc hominum genus ſuum illud ſatanicum venenum & toxicum ſpargere, etiam poteſt? Quid verò, etiámne aërem, aquam, herbas eodem toxico inficere, & in omnia graſſari, quemadmodum ipſi apertè confitentur, ſe quarundam vrbium cœlum & aërem circumquaque ſuis artibus corrupiſſe?

THE. Non eſt hoc, mi Antoni, à ratione alienum, quemadmodum vides, vt qui immanem gigantem deijcere poteſt, idẽ ille puerulum aliquem viribus infirmum & imbecillum queat. Sic qui hominem veneno lædere poteſt, is multò magis cętera. Eſt enim homo animal prudẽs, ſagax, prouidum, periculi proſpiciens, ad Dei imaginem creatum. Hoc qui decipere & lædere poteſt, multò faciliùs fateatur ſe intoxicare animal brutum & incogitans poſſe, qualis equus, aries, bos, vacca, quæ nulla tanta diligentia ſibi in periculis cauent & proſpiciunt, quanta homines ſibi. Atque etiam qui bruta poteſt, multò etiam me-

liùs herbam veneno inficiet, arborem, segetem, pessulum ostij, scalarum, gradus, vinum denique, aquam, aërem. Quæ res omnes à nobis cùm volumus contrectantur. Et in hæc quidem omnia grassari possunt Sortiarij, quatenus Deus vult per ea ipsa in homines nominis sui contemptum vlcisci, & peccata nostra castigare.

ANT. In omnia igitur grassari possunt, neq; est quicquam, vt video, quod eorum maleficium & venena euitet.

THE. Cùm sint hi & satanici & subtiles admodum venefici, certè quidem inficere veneno suo possunt, quicquid in his terris natura sua est corruptibile & mortale, nisi à Deo conseruetur. Nihil autem est in hoc inferiore mundo, quod non sit huiusmodi, & mortale dico, & corruptibile. Quare eorum artes in omnia hæc inferiora grassari posse planè fateamur.

ANT. Earum verò rerum exempla mihi aliqua proferto, Theophile.

THE. Faciam. Ac primùm eos in homines grassari certo certius est. Id enim quotidiè fieri cernimus. Quosdam enim venenis suis interficiunt, alios languentes & tapidos reddunt. Vidi qui nutricum mammas vnico & solo manus attactu lacte exhausissent & exsiccassent. Vidi qui cholicos

eos morbos grauissimos induxerant, qui tormina, qui podagram, qui paralysin, qui apoplexian, qui mancos & debiles homines effecerant, aliosq; morbos iniecerant, quos posteà nec ipsi, nec medicinæ artis peritissimi nosse & curare poterant. Atq; isti Sortiarij in omnem hominum sexum, ætatem, ordinem, sine delectu & discrimine crudeliter sæuiunt, qua animi impotentia & vindicta ferũtur. Quid amplius? Coloni ipsi dominos suos intoxicant odio perciti. Quod ad pecudes & pecora, illi ea veneno necant varijs quidem modis: nec modò necant, sed si libuerit, intumescere faciunt, aut macras reddunt, adeò vt nihil istorum scelere sit peius & perniciosius. Prætereà incantant feras beluas, & eas sistunt, vt etiam manu capere possis, quemadmodum est in Psal. 58. vers. 5. Veluti serpentes & aspides. Quanquam enim Aug. lib. 11. de Genesi ad liter. ca. 28. scribit id in serpente à satana fieri eo faciliùs, quòd per serpentis colloquium primitus humana natura seducta est, quasi huius sui ministerij hæc pœna sit, vt magis iussis satanæ & euocationib. sit subiectus serpẽs: tamen rerum ipsarũ experientia docet, quod in eo fit, idẽ in cæteris animantibus quoq; à sortiarijs fieri posse. Neq; ẽt sacra Scriptura,

Genes.3. tradidit plus addictum fuisse serpentem satanę, quàm reliquas beluas. Deniq; est tota hæc Augustini ratio, meo quidem iudicio, subtilior. Quod ad herbas, arbores, earumque baccas & fructus, cæteraque huiusmodi, certè etiam ab illis intoxicantur. Id quod præclara illa Vergilij sententia quæ ex quotidiana rerum experientia ducta est, ostendit Eclog. 8.

Has herbas, atque hæc Ponto mihi lecta venena,
Ipse dedit Mœris: nascuntur plurima Ponto.

Item:

Atque satas aliò vidi traducere messes.

In quem locum Seruius Honoratus interpres doctissimus, quemadmodum & Plinius eo quem iam citaui loco, docent quæ pœna lege 12. Tabularum constituta esset, si quis messes incantasset. Quod ad aërem ipsum & aquam, quid ijs faciliùs corrumpi & vitiari potest, adeò vt hæc elementa neque iam commoda cuiquam neque salubria sint futura, imò verò noxia & tabifica? Cuius rei fidem facit, quòd vel solus odor & vapor pestilens sæpè totam regionem in quā exhalat, ita inficit, vt indè grauissimi & cōtagiosi morbi nascantur. Núquámne, quæso, fando audisti quid in Cápania Italię parte euenerit, & vt tota regio illa in quam Auernus, qui dicitur (est autem

tem terræ antrum vndè grauis & putris halitus æstuat) exhalat, noxia sit, adeò vt quæ aues præteruolant, solo illius odore concidant mortuæ? Quid de mari mortuo (quod ita in Iudęa vocatur) dicam, cuius halitus tàm est pestilens & exitiosus, vt tota vicinia deserta sit & inculta, arbores ipsæ exustæ & terra sterilis & infrugifera, propter huiusmodi odorem.

ANT. Hæc omnia memini me aliquando legisse, sed dic tu ipse si qua vnquàm in historia cõmemoratum est aërem ab isto hominum genere corruptum esse.

THEO. Maximè, inprimisq́; in historia Callisti Nicephori scriptoris Ecclesiastici, qui lib. 14. cap. 18. narrat, quemadmodum Persæ Magi vt apud suum regem odiosam redderent Christianam religionem, effecerint vt putridus & fœtidus omninò odor pestilentiosusque exhalaret ex eo loco, in quem Maruthas Christianæ Ecclesiæ Episcopus, cæteriq́; Persę Christiani ad Deum precandum conueniebant.

ANT. Atqui aër perpetuò fluit, ventoq́; semper aliquo difflatur, ne torpescat, & quiescat. Qui certè motus, ne illa tabes in aëre vnquam gignatur, facit.

THE. At aqua fluit ipsa quoque, quam tamen tu corrumpi ab ijs posse concedis.

Qua enim ratione aqua, eadem & aër infici potest, quia odor ille grauis spargitur diffunditurq; per vtrunque, quæ ipsa sunt tenuis & imbecillæ ad resistendum naturæ elementa. Facilè enim vtrunque corrumpitur, quia externam qualitatem citò admittit & sentit. Exempli causa, eadē aqua, modò incalescit, modò frigescit: aër eodē die calescit, eodem tepet, & frigescit. Id q̄d maximè vere & autumno fieri experimur. Nam manè frigidus, meridie calidus, vesperi tepidus, idem sentitur. Cùm sit autem aër liquidior quàm aqua & ad repugnandum imbecillior, longè citiùs etiam faciliusq́ue afficitur ab externis qualitatibus & agentibus.

ANT. Verùm, quidam in animum suum hæc ab istis fieri non inducunt, sed potiùs magna animi vanitate, & quadam ostentatione suæ artis & potentiæ ita astutè iactare, quò perterrefaciāt homines, vel etiam insanè prædicari, quia quidam ex ijs melancholia quadam laborantes ita se aliquando crediderunt posse.

THE. Fateor ego quidem, Antoni, quòd qui primus hoc efficit, Deus est ipse, qui his modis & his hominibus tanquam instrumentis hominum peccata coërcet: veruntamen pernego quod isti contēdunt,

ista

iſta ſemper eſſe animi ægroti falſa ſomnia, cùm Sortiarij aiunt ſe intoxicare aërē:imò verò ſæpè id & veriſsimè ab ijs fit. Quod vel hac ratione demonſtrari poteſt. Primùm quòd nulla aliena cogitatio & animi phantaſia à nobis reipſa ſentiri poteſt, neque poteſt illa corpus noſtrum actu ipſo, quod aiunt lædere. Cogita me abs te occiſum, & iſtud animo finge quantum potes, proptereáne erit vel proſperæ valetudinis meæ imminutio vel tantillum facta? Minimè verò. Neq; enim contagionē immittit, aut ſpargit morbos in aliena corpora vana cuiuſquam imaginatio, & falſa. Atqui reipſa inſectos morbos à Sortiarijs ſentimus, peſtes ēt inductas easque ſæuiſsimas videmus, & alia huiuſmodi effecta, quæ negari nō poſſunt. Deindè ipſi cōſtāter in medijs etiā eculeis & tormentis hæc à ſe facta eſſe confitentur, maximè verò cùm propter ea crimina ducūtur ad ſupplicium. Denique conſenſus ipſe, qui inter eos omnes apparet, noſtram ſententiam confirmat. In vanis enim animi cogitationibus non poteſt eſſe vna & eadem omnium vox, ſed alius ab alio diuersè qd imaginari poteſt. Propria eſt enim ſua cuiusque animi actio, neque tanta inter tot, & tàm varijs locis diſperſos homines, vanæ cogitationis conformitas

& consensio, neque in loco ipso, tempore, modoq; agendi confessio tàm vna & concors esse vnquam potest inter aliquos, nisi ista reipsa euenirent, atque ita essent vt ab istis fieri dicuntur. Quid quod ipse iam dicam, estq; longè mirabilius, etiam nodant, quẽadmodum nostri loquuntur, ligulam, id est, impediunt quò minus coniuges sibi mutuò debitum coniugale reddant, aut certè ne eorum alter id posſit.

ANT. Quid tu ais, Theophile?

THEO. Planè ita est Antoni. Nam si suis venenis possunt hominum valetudinẽ lædere, vires & robur corporis minuere, neruos emollire, sensus hebetare, internos etiam humores ipsos perturbare, qui mirum est, si vim illam genitabilem, quæ est in vasis quibusdam corporis humani seminarijs impediunt, vel ipsorum vasorum refrigeratione nimia iniecta per venenum, vel excitato quodam alterius in alterũ coniugem (quos ita vexant) odio & fastidio? Quod quidem arte satanica ab illis fieri facilè concesserim, sed fieri tamẽ inter eos discordias & dissidia serãt, inter quos summa pax esse debuit. Sic enim sese impij illi vlciscuntur, quia eos oderunt, quos ita afficiunt, quamuis sæpè immerentes & innoxios, sed ad sui magistri satanæ imitationem

tionem zizania ſerere gaudēt inter homines, Matth.13.verſ.39.Ioan.3.verſ.10.

ANT. Habéſne tui dicti vel exempla vel argumenta?

THE. Vtraque. Ac exempla quidem penè infinita etiā quotidiana & quæ verſantur hodiè ante oculos. Teſtimonia verò ſiue argumenta certiſsima. Primùm Auguſtinus ipſe inter varios nocendi modos, quos Sortiarijs tribuit tractatu 7. in Ioan. etiam ligaturas recenſet, cuius hæc ligatura ſpecies eſt. Deindè quòd Eclog. 8. Poëtarum facilè princeps & ſui ſeculi doctorū doctiſsimus Vergilius idem probat. Eſt enim ex ipſa rerum experientia ſumptum hoc,

Necte tribus nodis trinos Amarylli colores,
Necte Amarylli modò: & Veneris, dic, vincula necto.

Præterea hoc ipſum confirmatur Cano. Si per. qui eſt poſtremus 33. quæſtio. 1. in Decreto. Quòd ſi Sortiarij poſſunt impedire vim animæ nutritiuā, vt latè diſputat probatque Thomas Aquinas in prima ſumma quæſt.3. artic. 4. eadem ratione poſſunt & generatiuam corrumpere, & impedire.

ANT. Eò me adigis, vt quid iam dicam, aut quò me vertam, neſciam.

THE. Quid verò, ſi illud etiā addidero, quod longè magis ſtupendum videbitur,

 quodq;

quodq́; tamen August. & Apuleius disertè tradunt? Quanq̃ ego fieri posse pernego.

ANT. Quid illud est?

THE. Sortiarios nimirum posse mutare homines in alias rerum formas, id est, eos in lupos, vrsos, asinos conuertere.

ANT. Itáne quæso, D. ille Augustinus?

THE Certè, Antoni. Lege tu librum illius de Ciuitate Dei, decimum octauum, capite decimoseptimo & decimooctauo, vbi refert Augustinus plures tùm ex Ethnicis, tùm etiam ex Christianis, qui ita se immutatos dixêre, præsertim verò Danięnetum, & Præstantem quendã, sed & alios.

ANT. Istud quidem fieri non potest, vt dæmõ vel diabolus quisquam naturam essentiamq́ue nostram, quam vocant, immutet. Hoc enim solius Dei proprium est, vti creare naturas, ita eas immutare posse. Id quod Satan efficere, neque ipse per se, neque per suos famulos Sortiarios vllo modo potest.

THE. Rectè sentis, atque ita etiam alibi ipse Augustinus scribit. Quanquam enim qui ista se fuisse dicunt, tales se opinantur aliquãdo vixisse, falluntur tamen, suntq́ue ea animi deliria & falsæ phantasię siue imaginationes quæ magna vi illusionis cuiusdam aut morbi eorum animis inhæserunt.

Quin

Quin tamen ita quosdam persuadeat satã, non diffido. Quod vt faciat, sopit eorũ externos sensus & occæcat, tùm deindè varias rerum formas obijcit, quas perturbatis iam eorũ humoribus & animis imprimit tàm efficaciter, vt se reipsa huiusmodi quædam esse & fuisse credant. Sic Medici docẽt quosdam esse corporis morbos, in quibus videmur nobis esse lupi, porci, boues, muli, item toti vitrei vel cerei & alia quædam. Vidi etiam qui se gallum gallinaceum esse affirmaret & deieraret. Quamobrem verissima huiusmodi animi illusionum & deceptionum causa, quæ tamẽ Sortiariorum artibus fieri potest, ex eo pendet, ꝙ perturbatis corporis humoribus & temperamento animi ipsi hominum quodammodo immutantur, & à se alienati redduntur satanæ ministerio, ne alia agnoscant, quàm quæ obijciũtur. Itaq; facilè sibi persuadẽt, qui vexãtur ita, se tales esse, quales se dictitãt, quæ tamẽ sunt meræ satanæ illusiones.

ANT. At Nabugadnezar Assyriorũ rex in brutum animal mutatus est, & herbas per septem annos depastus, vt est apud Danielem cap. 4.

THE. Ita est. Sed illud de Nabugadnezar ita intelligẽdum est, ne mutatam humanã eius naturam in bruti animalis essentiam

putes

putes aut ſentias. Mutata enim eſt eius cõuerſatio, & humanæ ſocietatis amans animus & affectus. Deindè vt id in eo eueniſſe concedamus, Dei ipſius omnipotentis & creatoris poteſtate, non autem ſatanæ vi, (per quam ſolam Sortiarij operantur) effectum eſt. Poteſt quidem Deus rerum naturas & eſſentias ipſas tollere aut commutare, ſatan autem non poteſt. Quare illa etiam falſiſsima cenſenda ſunt, quæ de Lycanthropis quibuſdam narrantur. Quanquam tamen alij id fieri apud Septentrionales populos affirmant, veluti apud Boryſtenem Fluuium & Tanaim. Nam quòd Varro ſcripſit eſſe in Arcadia lacum, quem qui traiecerint, euadant lupi, ita accipiendum puto, quòd propter metum, quem in traijciendo periculoſiſsimo illo lacu homines concipiunt, ſibi videantur eſſe lupis. Aliàs, meras nugas & aniles fabulas totam illam narrationem dixerim.

ANTO. Hactenus in qua rerum genera Sortiarij graſſari poſsint abundè explicaſti: vnum modò adijce: Cur iſti ipſi impuri homines etiam pios & verè Chriſtianos homines poſſunt intoxicare & venenis ſuis lædere? Id quod verum eſſe certiſsima rerum experientia & quotidiana demonſtrat.

THEO.

THEO. Huius tuæ quæstionis solutio facilis est, Antoni. Primùm id fit, quod Deus iustissimus ea ratione suorum filiorũ peccata punit. Quos enim pios & verè Christianos dicimus, ij non carent suis, non tantùm sæpè infirmitatibus & næuis, sed étsępè grauissimis criminibus & peccatis, vt docet Ioan. 1.Ioã.1.vers. 9.10. *Si dixerimus quia peccata non habemus, mẽdacem facimus Deum.* Itaque illi iustè à Deo affliguntur. Præterea hoc crucis genere suorum patientiam explorat Deus. Quemadmodum enim Iobum seruum suum per Chaldæorum hominum impijssimorum iniurias probauit, ita sæpè suos per Sortiariorum venena & maleficia tentat, idque in fidelium ipsorum commodum & salutem. Nam, vt ait Paulus Rom. 5. versic. 3. *Afflictio gignit patientiam, patientia probationem: probatio spem, quæ non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* Itaque has ipsas afflictiones pij patienter ferre debent, vt se Deo subijciant, ipsiusque voluntati totos conforment.

ANT. Hærebam, vt aiunt, in aqua, facileque fuit, vt video, eam animi dubitationem tollere. Sed quia commodè ad tria illa respondisti quæ postulabam: Quid vox Sortiarius significet: Vtrùm quidam sint huiusmodi:

huiusmodi: denique, In quas res suas vires, artesque Satanicas exerceant Sortiarij: quæso, Theophile, vt quartum caput adijcias, mihique explices: Qua via & ratione isti intoxicare vel venenis suis vti & soleant & possint.

CAP. IIII.

Qua ratione quibusq; modis Sortiarij intoxicent.

THEOPHILVS.

QVid verò, Antoni, túne censes me in istorum arte tàm peritum, tamque versatum, vt singula tibi exponam. Vides quę fuerit mea initio huius congressus sermonisque nostri attestatio, me nullam cum Satana, nullam cum Sortiarijs ipsis inijsse vnquam familiaritatem, quam ne expeto quidem: imò verò nec cognitionis istarum rerum laudem mihi vindico. Tamen quantum potero enitar vt honesto tuo studio satisfaciam. Hoc igitur quæris ex me. Qua ratione & via Sortiarij operentur, & venenis suis inficiāt. In quo primùm respondebo illud quod est verissimum, Hoc totum ab ijs opera, instinctu, & doctrina miserrimi & pessimi illius Satanæ fieri. Hoc enim verè tibi affirmarim, nullum

lum non Sortiarium cum Satana fœdus & commercium inijsse, seque illi deuouisse. In cuius suæ addictionis fidem notam à Satana inustam & impressam aliqua corporis sui parte gestant illi, alij quidem sub oculorum palpebra, alij inter nates ipsas, alij in oris palato, vt ea ratione nobis illa sit occulta & ignota. Quanquam aũt quidam velint non omnes Sortiarios esse aliquo stigmate à Satana notatos, & cõpunctos, sed eos tantùm de quibus ipse dubitat: quos aũt sibi fidos ducit, eos absq; notarelinqui: certiùs tamen veriusque dixerim neminem ex illis esse, cui non impresserit sui in eum iuris & potestatis aliquod indicium & vestigium. Quod vt facilè agnoscant rerum capitalium & huiusmodi scelerum iudices, id inprimis curant, postquã isti capti fuerint, vt toto corpore tondeantur, nouaculaque abradantur, ne fortè sub pilo corporis celetur hoc stigma. Pactum igitur cum Satana contraxerunt, vicissimque stipulati consenserunt. Satan quidem, vt illi pro Deo se in posterum agnoscant & colant: illi autem, vt eos Satan iuuet & inuocatus adsit. Itaque ex pacto Satan ijs succurrit, & ad eorum preces & vota agit: ipsi vicissim eius monitis parent, atque obsequuntur.

ANT.

ANT. At cùm Satan sit natura sua mendacissimus, imò verò ipsius mendacij parens, státne, obsecro, suis promissis, vt ea etiam impleat, quẽadmodum hîc dixisti.

THEO. Non est Satan semper mendax, etsi semper est fallax. Sæpè enim verum dicit, vt eos decipiat qui se audiunt. Sæpè etiam promissa præstat, ne impostorem putemus, imò veridicum. Quando Satan de Christo mediatore nostro dixit, Marc. 2. vers. 24. *Tu es ille sanctus Dei*: verum dicebat, nec mentiebatur. Animus tamẽ eius quis tunc fuit? Nempè is, vt qui ista audiebant posteà fallerentur. Quando idem de Paulo & Silla professus est Actorum. 16. versic. 17. his verbis: *Isti homines serui sunt Dei illius summi, qui annunciant vobis viam salutis.* Verum quidem dicebat, impostor tamẽ erat, & eo pacto sibi ad decipiendos homines quærebat aditum. Sic quando implet Satan promissa, fidemq́ue à se datam præstat Sortiarijs, hoc agit nimirum vt eos posteà faciliùs tutiusq; seducat, atq; sibi meliùs arctiusq; conciliet & addicat.

ANT. Perge verò, atq; modum per quẽ illi operantur, expone.

THEO. Hæc ferè prima est contractus inter eos ineundi ratio. Satan primo loco hoc ab istis exigit, vt planè liberè & apertè

vero

vero Deo, rerum omnium creatori, & cœli abyſsique Domino renuncient, ſibiq; ſeruiant, qui ſe tunc non diſsimulanter Satanam eſſe profitetur. Itaque in poſterum ab ipſius nutu & voluntate pendeant, auxilioque innitantur. Quæ veri Dei abnegatio & ſceleſtiſsima abiuratio eſt primus iſtorum execrandorum hominum Satanæ conciliandorum gradus & ingreſſus, primaque iſtius negotij ſtipulatio. Hoc modo & tàm fœdo in eius mancipium receptis iſtis, Satan iam notam imprimit vel dentibus vel manu, & liberè quenquam effari iubet, quid à ſe fieri expetat, docetq; tutiſsimas & occultiſsimas ſui vlciſcendi, ſi quis oderunt, vias. Itaque pulueres, radices & venena porrigit illis vel ipſe per ſe, vel per alios quos illic habet paratos, vt quem libuerit, impunè & ſecurè intoxicent. Iam verò væcors iſte & nouus Satanæ famulus in ſui obſequij fidem perendie aliquid de bonis ſuis offert & donat patrono, quidam canem ſuum, alij gallinam ſuam, alij felē ſuum. In quo ipſo prioris promiſsionis maior confirmatio ineſt atque ratihabitio, & tetrior veri Dei denegatio. Denique hæc malorum ſumma additur. Sed diffidens Satan de ſuorum conſtantia, aliquanto poſt eos conuocat in Synago-

gam diabolicam, tùm etiam vt ex ijs resciat quàm rectè & diligenter intoxicãdi munus mandatum impleuerint, & quos necauerint. Itaque certis locis cõueniunt, non omnes autem semel & simul, sed quos illi libitum fuit conuocare, adeò vt in quibus locis sint coadunandi ipse designet, item qua diei vel noctis hora. In quo nihil certi constitutiq; habet: nec enim fiunt isti conuentus hebdomadatim, menstruatim vel etiam annuatim, sed quando quotiesque isti magistro visum est. Sæpè autẽ ipse per se, sępè per alios denunciat vt conueniant. Cùm autem per se id agit, humana forma illis apparet, aut saltem ea, qua dignosci ab ijs possit, adeò vt nõnunquam eueniat, vt in eodem hominum cœtu solus Sortiarius Satanam præsentem agnoscat, cæteri non possint, quanquam hominem cernũt aliquem, sed quis qualísve sit prorsus ignorant. Cùm per suos discipulos & alios Sortiarios euocat, & locus & tempus præscribitur, ad quod in tàm miseros cœtus & Synagogas, quas Satanica sabbatha vocant, veniant. Itaq; euocati adsunt. Quòd si quis eorum itineris longitudinem causetur, aut corporis imbecillitatem & laborem, aut denique hominum metum & periculum, ijs omnibus excusationibus satisfacit

tisfacit ipſe. Nam pollicetur in eũ locum eos ſe eſſe delaturum, qui non poſſunt per vires corporis infirmas proficiſci: ſępè ope auxilioque baculi & virgæ cuiuſdam abs ſe datæ, aut etiam vi vnguenti id ſe præſtaturum & effecturum docet: ſæpè denique equum illis offert, quo vehantur. Quòd ſi adhuc metuant, explicat rationem & modum per quem fiant per totum itineris ſpatium inuiſibiles, & tutò accedant. Itaq; omnem illis excuſationem tandem adimit, & prætextum, ne ceſſent: & quòd iſta auxilia præbet, ideò facit vt eorum ſtudioſior amantiorque eſſe videatur, atque eos magis ſemper ſibi deuinciat & habeat obſtrictos. Ergò conuenientibus illis apparet ipſe, velut eius cœtus antiſtes, varijs formis. Aliquando enim hominis figura & ſpecie cum ijs agit, aliàs hirci turpiſsimi forma, aliàs alia facie. Iuſiurandum autem illi datum omnes tunc repetunt, de ipſo pro Deo agnoſcendo: choreas etiam eo præſultore ducunt, aut circa eum ad turpiſsimas cantilenas in ipſius tamen laudẽ & nomen confictas lætiſsimi ſaltitãt. Quibus rebus omnibus peractis, quærit ex ijs quid iterum à ſe petant, quibus venenis ad homines intoxicandos egeant. Itaq; prout eorum quiſque malignum animi ſui

in alios votum patefacit, ipſe vindictæ modum ſuggerit. Nam alijs venena confecta & parata præbet, alios docet noua conficere & miſcere. Alijs quaſdam formas & characteres dat, certaque vel verba, vel vnguenta quorum vi quicquid præſcire velint, vel efficere, voti compotes fore certiſſimè pollicetur. Deniq; ſi qua in re ſe præſente ſuoque auxilio egeant affuturum ex pacto promittit. Ergò ij modi, per quos Sortiarij intoxicant, ſunt partim mala venena & manifeſta, quorum ingredientia, vt vocant, ſunt planè deleteria, & pro lethalibus damnantur à doctis Medicis: partim ſine veneno nobis quidē vel ipſiſmet Sortiarijs cognito, quanquam tamen aliquod inijciunt. Partim etiam nullum viſibile toxicum adhibent ad lædendum, quod eſt duobus illis prioribus modis longè magis ſtupendum. Ergò ſi quæ venena manifeſta & noxia medicamenta iſti infuderint, à Medicis deprehenduntur, & talia eſſe demonſtrantur, poſtquam ex eorum confeſſione didicerunt, quibus rebus conſtent & conficiantur. Quæ autem ab ijs adhibita ignorantur, & quæ ſint & quibus etiam miſceeantur rebus, non deſinunt tamen ea ipſa lædere. Quemadmodū nec ſi videntur qdem aliquod malum pharmacū nō adhibuiſſe,

buisse, intoxicare desinunt, veluti cùm solo oris halitu id faciunt & flatu, vel intra dentes radicem sibi à Satana datam tenent & premunt, soloq; alloquio homines perdunt & necant. Quòd autem ipsi sæpè non attingunt eos, quos tamen intoxicant, mirum videri non debet. Fit enim tunc intoxicatio ab ipso Satana veneno vel puluere vel radice clăculum iniecta & difflata istis id fieri postulantibus. Id quod Satan præstat ex pacto vti dixi conuento, propter qđ quibusdam in rebus famulatur illis, & crudele ministerium præbet.

ANT. Totus cohorrui, Theophile, dum illa superiora tàm horrenda, tamque verè Satanica enarrares. Totus contremui, & expaui, ita me Deus amet, tàm erant stupéda. Ergò hæ sunt Satanæ artes, per quas sibi Sortiarios addicit.

THE. Sunt istæ, Antoni.

ANT. Sed vnde illas tenes aut didicisti, obsecro?

THE. Ex infinitis penè eorum confessionibus constantissimis & simillimis: ex innumeris aduersus eos iudicijs constitutis, ex quibus hæc omnia colligere passim licet.

ANT. Verùm tria quædam mihi in tota illa tua superiore narratione absurda plané vi-

nè videntur, & quæ nemo facilè tibi concedet.

THE. Quænam autem sunt illa.

ANT. Primùm quidem omnium mihi tecum conuenit, posse Satanam humana forma hominibus apparere. Quod si fieri posse negemus, tollatur & negetur ille diaboli cum Christo congressus, de quo sacra scriptura testatur, Matth. 4. vbi Satan Christo coram visibiliter & hominis specie visus est. Secundo loco & hoc facilè tibi concesserim, non posse Sortiarios boni quicquam à Satana discere vel edoceri, sed quę sint infausti maligniique omninò ingenij præcepta, quale illud est, seipsum vlcisci, intoxicare etiam ignotos, trucidare inopinantes, & omnia hæc clanculum administrare, nemine conscio aut percipiente. Sunt enim qui se ipsos vlciscuntur, aut qui fratres suos oderunt, filij diaboli, vt ait Ioannes, 1. Ioan. 3. versic. 10. quemadmodum contrà Dei pręcepto omnes diligere iubemur, Matth. 5. versic. 44. Hoc duo vera esse censeo.

THEO. In quibus ergò à me dissentis, Antoni?

ANT. In his tribus nimirum. Primum in eo, quod ipsi Sortiarij aiũt, & tu quoq; eorum confeſsionem secutus, se verè & reipsa,

reipſa, id eſt, corporaliter iſtis indictis à Satana cœtibus intereſſe. Secūdum in eo, quòd dixiſti, eò loci ſæpè ipſos à Satana ēt deferri. Tertium in eo, quòd poſtremò addidiſti: Poſſe eos ſine aliquo veneno iniecto homines intoxicare. Neq; enim mihi perſuadeo poſſe quicquam meris vocibus, verbis, figuris, vel characteribus lædi, iuuari, vel intoxicari.

THE. Ordinè ad illa tria reſpondebo. Et quidem quod ad primum: Non credis, Antoni, Sortiarios præſentes ſuis iſtis cœtibus & Synagogis diabolicis intereſſe, quanquam de eo glorientur ipſi. Ecquo igitur modo id fieri dicis?

ANT. Sola animi cogitatione & illuſione diabolica, quemadmodum in ſomnis multa nos vidiſſe credimus, & ijs locis interfuiſſe à quibus tamen abfuimus: ſæpè nos cōueniſſe, qui longiſsimè tamen à nobis peregrè agebant, etiam plus quàm miliaribus ducentis. Id quod Sortiarijs accidit aſtu diaboli, qui ſæpè nos alijs etiam in rebus deludit, adeò vt ſæpè cernere, tangere, palpare ea nos exiſtimemus, quæ nec cernimus tamen nec palpamus. Atq; vt ne me putes ſine ratione eaque probabili ita ſentire, mecum faciunt viri pleriq; etiam doctiſsimi ex antiquis. Tu mihi in tota hac

quæſtione Auguſtinum ſæpè laudas. Atille ipſe vbi de mutatis hominū formis agit, veluti libr. 18. de Ciuitate Dei, docet quæ ita fieri creduntur, ita euenire, quòd illa animi facultas, quæ ex quinque præcipuis vna eſt, & phantaſia appellatur, eſtq́ue in anteriore parte cerebri, quòd phantaſia, inquam, læſa ſit & perturbata Satanæ vi, ſenſusq́; externi ſepulti, & mirè ab eodem impediti. Cur igitur idem de hac præſentia Sortiariorum non ſtatuemus? Quòd ſi ebrij homines, cùm in cerebrum eorum tolluntur è ſtomacho calidi vapores, putāt ſe ea videre, quæ abſunt: ſi melancholiæ morbus multa eo morbo ægris perſuadet, quæ neque vident neque adſunt, æquiori certè ratione diffiniemus, Satanę, qui longè ijs ſuperioribus cauſis potentior eſt ad turbandas animi vires, illuſione iſta Sortiarijs accidere, non quòd reipſa illic ſint præſentes. Poteſt igitur Satan & animi facultates, & corporis vires lædere & vincire, vt docet Thomas Aquinas, & ante eum Auguſt. lib. 7. de Geneſi ad liter. cap. 11. dixerat. Prætereà idem Auguſtin. in quadam ſua Epiſtola ad Nebridium familiarem ſuum, quæ eſt numero 72. diſtinguit tria phātaſmatum noſtrorum genera. Primum genus eſt eorum quæ noſtra phantaſia ex

rebus

rebus ipsis visis concipit. Secundum genus eorum, quæ ipsa per se inuenit, & quibus similia nusquam anteà vel vidit vel audiuit. Tertium genus eorum, quæ ex aliorum sermone concepta ipsa finxit. Itaque hæc Sortiariorum phantasmata ex secũdo illo genere erant, quando scilicet phantasia ipsa per se multa excogitat & inuenit. Quod vt tibi certiùs ex eodem illo autore confirmem, idem Epistola ad Euodium 101. de prodigiosis visis scribit, quòd quando illa visa ita viuaciter & efficaciter nobis obijciuntur, vt nos vidisse ea verè credamus, animæ propterea è nostris corporibus non emigrant, neque peregrinantur in ijs locis, in quibus nos tunc putabamus versari, sed in corporibus nostris manent etiam eo ipso momento, quo illa tàm perspicuè cernebant. Itaque vi obiectorum fit, vt videamus ea. Sensus autem corporei interim sopiũtur in nobis, vt excitari nullo modo posṡint, dum ista visio obuersatur. Vndè fit vt posteà excitati & colloquutos nos esse, & bibisse, & edisse, & vidisse illa arbitremur, quòd obiecta sit animis nostris viua & efficax earum rerum omnium species, qua afficiebamur. Atqui huius rei exempla pasṡim extant etiam apud eundem Augustinum. Nam in Epistola 100.

Medici cuiuſdam Carthaginenſis nomine Gennadij meminit,qui cùm dubitaret: Vtrùm poſt hanc vitam altera eſſet ſperanda,in ſomnis tàm perſpicuè chorum angelorum & eorum cantus audiuit,vt in cœlis ſe fuiſſe crederet, cuius tamen corpus intereà in lecto decubuerat & in cubiculo manſerat,quemadmodum fatebatur ipſe. Item lib.18. de Ciuitate Dei cap. 18. refert de alio quodam, qui verè ſecum Philoſopho Platonico de Platonis ſcriptis in ſomnis contuliſſe confirmabat, & ab eo cuiuſdam huius autoris loci explicationem, quã anteà ignorabat, habuiſſe. In vitis Patrum,quæ appellantur,ſcriptum eſt de patre qui non noctu & in ſomnijs, ſed media ipſa die, & aperta luce cùm filiam ſuam oculis cerneret, ſibi vaccã videre videretur, quam tamen alij,inprimiſque Macharius, & hominem & virginem eſſe agnoſcebat & teſtabatur. Quid verò? ipſe tu, Theophile,nónne aliquando lib.6. Genialium dierum qui ab Alexandro Neapolitano ſcripti ſunt, cap. 21. legiſti de reo quodam qui ad inferos ſe deſcendiſſe opinatus eſt, cuius rei teſtimonia ipſi iudici certiſsima indicauit? Arcanum.n.quoddã ipſius, quod nulli hominum notum erat,detexit & aperuit. Quid? in canon. Epiſcopi. 26. quæſt.5.

qui

qui ex concilio Aquileiensi transcriptus est, nónne apertè pronũciatur has omnes Sortiariorum voces, & cogitationes vana spectra, merasque nugas, & animi illusiones esse, quas Satã huiusmodi rerum summus artifex illis obijcit, cùm tamẽ eorum corpora eodem semper loco maneant? Deniq; vt totum hunc locum tandem concludam, hæc sunt verba siue Augustini siue alius fuit eius libri autor, qui de Spiritu & anima inscriptus est. Nam capit. 28. ita ait: *Idcircò quædam futura prædicant, & quædam mira faciunt, quibus homines alliciunt & seducunt. Vndè quædam mulierculæ post Satan conuersæ, dæmonum illusionibus & phantasmatibus seductæ credũt se & profitentur nocturnis horis cum Diana Paganorum Dea, vel cum Herodiade & Minerua, & innumera mulierum multitudine equitare, earumque iußionibus obtemperare. Ipse namque Satanas, qui transfigurat se in angelum lucis, cùm mentem cuiusque mulierculæ ceperit, & hanc sibi per infidelitatem subiugauerit, ilicò transformat se in diuersarum personarum species ac similitudines: & mentem, quam captiuam tenet in somnis deludens, modò læta, modò tristia, modò cognitas, modò incognitas personas ostendens per deuia quæque deducit. Et cùm solus hæc patitur spiritus infidelis, nec in animo, nec in corpore euenire opinatur, idcircò nimis stultus & hebes est, qui hæc omnia quæ in spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitratur,*

cùm

cùm Ezechiel & alij Prophetæ, Ioannes etiam Euangelista & Apostoli in spiritu, non in corpore visiones viderint. Quid firmiùs & apertiùs pro me iam dici potest, Theophile, tuæque opinioni magis repugnans & contrarium? Quibus omnibus si mihi abundè satisfeceris, subscribam illi sententiæ, qua affirmas Sortiarios præsentes in illis cœtibus adesse.

THEO. Quin hęc res in controuersiam à multis sit adducta, non diffitebor, Antoni, planeque visa est quibusdam incredibilis. Sed etiam tibi dabo hoc quoque, sæpè ab ijs quædam dici quæ non fecerint, sæpè etiam eos opinari & quidem falsò se inter eos versari & agere, qui tamen ab ijs procul absunt. Hæc ipse concedam non grauatè. Ex eo tamen effici nego quod concludis, nũquam igitur eos huiusmodi cœtibus & Synagogis præsentes adesse. Qui itaque tàm certè diffiniunt Sortiariorum corpora domi esse, dum ipsi se in medijs istis sociorum gregibus versari putant, nimium fidenter loquũtur. Nam ipsa rerum experientia aliud docet. Nónne reperti sunt plures, qui vana animi curiositate inducti eos cœtus adiere, qui præsentes corpore ijs in locis fuerunt, in quibus isti Sortiarij coadunabãtur, vndè posteà domum suam

ſuam regreſsi ſunt magno itineris labore, idq́ue vicinis ſcientibus atque videntibus. Narratur quidam in Ambarrorum finibus, qui hodiè Ducatus Niuernenſis dicitur, qui à colono ſuo impulſus eò venit. Narratur nostra hac ætate alius qui in Pictonum agro cùm amore cuiuſdam primariæ fœminæ (quæ illuc conueniebat, eratq́ue Sortiaria) perditè teneretur, eò etiam acceſsit, vt eam alloqui liceret & videre. Tùm deindè quî fieri poſſet vt Sortiarij ipſi locos notarent, perſonas ipſas de vultu agnoſcerent, numerum noſſent, vicinas arbores, ſepes, flumina, domos diſtinguerent, ſi hęc vana tantùm animi ſpectra fuiſſe dicantur, neque ijs cœtibus ipſi interfuiſſe? Cur è ſuis ædibus, cur ex vrbibus ſummo veſpere egrederentur, vt eò conueniant: cur in itinere conficiendo laborarent: quomodo viſibiliter & perſonaliter, vt ita loquar, ex ijs locis reuerterentur, niſi perſonaliter quoque præſentes illic fuiſſent, & non ſola animi ſomniatione & imaginatione? Ergò conſtãtes ipſorum Sortiariorum confeſsiones infinitaq́ue teſtimonia tibi, Antoni, aduerſantur, tuæq́ue ſententiæ. At iſtæ ſunt vanæ eorum oſtentationes & animi deliria, ais. Sed nimiùm periculoſa, Antoni. Tunc enim iſta confiten-

confitétur cùm morti proximi & propter hoc ipsum damnati ad supplicia ducũtur, cùm cruciantur, cùm eos huiusmodi verba iuuare ampliùs non possunt. Denique vbiq; ita. Præthereà quemadmodum in lib. de Humanitate Christi, scribit pater sanctissimus Athanasius, animi cogitationes vtcunq; validæ & ꝓfundæ corpora tamen nostra de loco in locũ non transferunt, neque alios, qui absunt, attingunt. At Sortiariorum corpora mouentur. Quare fit vt sola animi cogitatione ista ijs accidere nõ sit credendum. Et quod ad tua argumenta spectat, equidem distinguendũ dico. Quędam sunt enim de quibus falsò isti gloriãtur, quòd per rerum naturam ea fieri non possunt, quæ tamen à se contendunt facta. Huiusmodi omnia vana animi illusione illis contingunt. At quò minus illic sint pręsentes, quæ causa, obsecro, quæ ratio, quis rerum ordo obstare potest, pręsertim cùm indè redeant corporaliter & visibiliter, id est, reipsa, atque ab ijs locis etiam corpore abfuerint, in quibus anteà versabantur? Nam ille ipse reus, quem postremùm commemorasti, quiq; ad inferos ijt, abfuit per duos dies, & cùm diligenter in toto carcere perquireretur, tamen nõ potuit reperiri. Ergò quæ cũ natura corporum nostrorum

rum pugnant, ea si facta ab istis prædicentur, falsa sunt, & meræ dæmonis illusiones illa meritò cēsentur. Qualia sunt illa quorum concilium Aquileiense meminit, velutì equitare in luna, conuenire cum Herodiade, cum Diana, cum Minerua, quæ Paganorum Deæ appellantur: alloqui iam mortuum hominem, duodecim illos heroas, quos vocant, id est, Hectorem, Achillem, Rollādum, & alios similes oculis cernere, & cætera huiusmodi quæ sunt mera quidem spectra & vana satanæ figmenta, quę oculis vel animis hominū obijciūtur. Huius generis sunt etiam illa quæ tùm ex Augustino, tùm etiam è libro de Anima & Spiritu ipse adduxisti, quæ fieri reipsa non possunt, quia cùm rerum natura eorum implementū & veritas planè aperteq; pugnat. Sed hoc quod nos de congressionib. Sortiariorum & coitionibus & modo ipso conueniendi affirmamus, quid habet à rerū ordine alienum, aut corporū nostrorū vi & essentia contrariū? Denique qui tam certò definiunt in ijs extraordinarijs visionibus, & in raptu atq; ecstasi animi prorsus semperq; corpora nostra abesse ab ijs reb., quas tunc cernimus, confidentiùs sanè loquūtur, q̃ sanctus ille Dei seruus & Christi Apostolus Paulus, qui de suo raptu (quan-
quam

quam is ab eo genere fuit dissimilis de quo nunc loquimur. Nam Dei ipsius, non autem Satanæ manu & potentia euenit.) sed ille de suo raptu loquẽs 2. Corinth. 12. vers. 3. sic ait: *Et noui huiusmodi hominem (an in corpore, an extra corpus nescio: Deus nouit) raptum fuisse in Paradisum & audisse ineffabilia verba, quæ non liceat homini loqui.* Hæc sunt, Antoni, quæ tuę dubitationi, vt credo, satisfaciũt, eamque tibi iam, vt spero, explicabunt.

ANT. Imò verò eorum ipsorum corpora in eodem lecto & cubiculo deprehenduntur & esse & manere, à quibus tamen oportuit abesse procul, si reuera & personaliter in quẽ alium locum ipsi venissent.

THE. Perstas etiam, Antoni, in sentẽtia. Quam vt planè refutem hoc pernego, qđ ais, & vt verum & cõfessum tibi sumis, Vera eorum corpora percepta esse in lecto & cubiculo, dum illi se abfuisse dicebãt. Fuerunt enim potiùs corporum quædam simulacra à Satana supposita, & effigies obiectæ, quàm vera Sortiariorum corpora. Non venit in mentem, obsecro, quid Michol vxor Dauidis fecerit, & excogitarit, cùm fugam mariti sui celare vellet & patrem Saulem, & patris seruos, qui eum ad cædem quærerent? Nónne legisti, quod est scriptum 1. Samuel. 19. quẽadmodum illa astutè

astutè quidẽ, non tamen Satanica arte nec Sortiariorum more, pro Dauidis corpore statuam supposuerit, cui culcitram subiecerit, vestimẽtis etiam ornarit adeò doctè & scitè, vt verè Dauidem illic esse crederẽt, qui simulacrum ita apprimè adornatum ipsis oculis viderant. Sic Satan vt nos celet suorum discipulorũ absentiam, pro vero eorum corpore, quod abest, sæpè falsum nobis illud inqrentibus substituit. Ex quo fit, vt plerique existiment Sortiarios ijs cœtibus nõ interesse σωματικῶς: quos se adijsse tamen contendunt, quia falsa & à Satana supposita in lecto aut cubiculo eorũ simulacra pro veris corporib. accipiũt & vidẽt. Sed qui ita iudicãt, grauissimè falluntur.

ANT. Teneo quid dicas. Sed quod secundo loco à me propositum est, dissolue. Fieri enim mihi non videtur posse, vt aliquando à satana Sortiarij eò loci deferantur, quod tamen dixisti.

THEO. Quid tu? nónne verum censes quod & Matt. 4. ver. 8. & Luc. 4. vers. 9. scriptum extat de Christo, eũ à satana in pinnaculum templi Hierosolymitani è deserto fuisse translatum.

ANT. Imò verissimum. Sed Dei voluntate id factum est, fuitque hęc tota res extraordinaria.

R THE.

THE. Facilè hoc tibi concedo. Sed eadem Dei voluntate iustoque eius iudicio fieri dico, vt diabolus Sortiarios ita possit contrectare, deferre, & vehere, vt eos omninò in eius potestate esse appareat. Quòd si tàm sanctũ & impollutum corpus, quale fuit Christi, ausus est Satan attingere, in quod nullum ius illi propter peccatũ fuit. Si potuit idem Christum ipsum sublimem corripere, & per aërem deferre, non reformidat audax ille aggressor Sortiariorum corpora contrectare & baiulare, quando illorum & corpus & animũ suum esse iampridem agnoscit. Quòd si Deus in Sortiariorum animos dedit Satanæ potestatem, vt à fide abducerētur, multò magis eidem in eorum corpora hoc daturus, vt contrectentur & gestentur. Multò minùs enim Deus animas quàm corpora hominum concedit Satanę, quod Iobi exemplo confirmatur, Iob. 2. versi. 6. Denique hoc onus vehendorum & deferendorum Sortiariorum non semper sumit Satan, sed aliquando tantùm, & cùm omnem effugiendi congressus excusationem illis vult esse adeptam.

ANT. At mirum ipse horrorem incuteret, si eos attingeret aut contrectaret.

THE. Verum dicis, si quidem ea forma qua

qua diabolus eſt, illis videretur aut occurreret, quæ eſt certè quidem teterrima & formidabiliſsima, ſed alia ſpecie alienoq; vultu ſeſe ijs offert. Qua enim angelus eſt, videri non poteſt. Sed quēadmodum cùm primùm eos aggreditur & affatur, humana effigie aut alia tolerabili & conſueta illis forma id facit: ita cùm eos deferre parat, ſe in equi vel muli, vel auis, vel alterius animalis ſpeciem transfigurat. Quid verò? Nonnunquam etiam defert, neque videtur tamē ab ijs ipſis. Nam baculum offert, quem tibijs inſerant, certaque verborum precatione in ipſius nomen cōcepta (quā imperat & docet) baculus iſte eos vehere & geſtare cenſetur eò loci, quò deueniendum eſt, itaque ijs perſuadet tanq̃ à baculo portentur, cùm ipſe interim eos vehat. Cùm ſit.n. naturę angelicæ, imò verò aëris princeps, vt ait Paulus Epheſ.6.verſ.12. mirum videri non debet, ſi ea operetur quæ nos nullo modo poſſumus, agatq; longè, quàm nos, & celeriùs, & agiliùs.

ANT. Fama quidem de Brunone quodam Abbate accepi, qui tēporis momento ex Inſubria Romam à diabolo delatus eſt: item de Theophilo quodā, de quo eadem narrantur. Sed quid tu, Theophile, iſtáne etiam vera eſſe iudicas?

THE. Veráne ſint quæ de duobus iſtis ferũtur, nec ſcio, nec admodum curo: Sed hac ratione me in mea ſentẽtia confirmo, quòd ſi ſatan, Dei conceſsione, poteſt corpora noſtra lædere & interficere, id quod ex hiſtoria Iobi & aliorum colligitur: multò magis eodem Deo concedente poterit ea portare, ſubleuare, cõtrectare, & quemadmodum lupus ouẽ à ſe correptam agere. Nec propterea tamen Satan cenſendus eſt equus, mulus, aut iumentum, quale tũc oculis videtur. Sed ſi quemadmodum Paulus docet 2. Corin. 12. verſi. 14. ille ſe transformat in angelũ lucis, multò magis multoque faciliùs harum rerum vultus induit, quia non tàm facilè virum Dei imitatur, quàm muli ſpectrum poteſt repræſentare. Alexander igitur ille Neapolitanus, quem teſtem anteà laudaſti. li. 4. Genial. dierum cap. 19. ſcribit de Thoma quodam monacho, qui vulgò verax vir habitus eſt, eum narrare ſolitum cùm fortè in aliquem ex fratribus monachis acerbiùs excanduiſſet, & in eo animi æſtu in ſolitudinẽ ſe ſubduxiſſet, Satanam humana ſibi forma apparuiſſe, eumque per longum ſpacium comitatum, dum multa perſuadere conaretur. Et cùm ad fluentum quoddam magnũ in eo deſerto tãdem deueniſſent, addebat

ſe à

ſe à Satana arreptum & in humeros ſublatum traductum in alterã fluminis ripam fuiſſe. Ex quibus omnibus apparet nouũ omninò non eſſe, ſi quoſdam deferat Satan animo ſibi eos vel lucrandi vel fortiùs obſtringendi.

ANTO. Atqui vix fieri poſſe videtur vt tàm citò transferat, præſertim in tàm longinquum locum in quẽ ſe conueniſſe aiũt.

THE. Anteà quid de Chriſto ipſo apertè ſcriptum ſit, Luc. 4. verſ. 5. dixi, eum à ſatana temporis puncto traductum Hieroſolymas, ipſíque oſtenſa eſſe omnia regna mundi. Itaque, Antoni, quomodo tamdiu de hac re dubites omninò non video, cùm tanta ſit vectoris huius, id eſt, ſatanæ celéritas, & in agendo vis & potentia. Nihil enim hunc impedire poteſt eorum, quę nobis feſtinantibus obſtant. Neque illi laborioſum aut arduum eſt currẽti aërem diffindere, quemadmodum nobis. eſt enim angelicæ & ſubtiliſsimæ naturæ, nõ autem corporeæ, quia ſpiritus eſt. Quamobrem Auguſtinus in lib. de Diuinat. Dæmonum capit. 3. ſcribit eum curſus celeritate ſuperare velociſsimos homines, vt etiam animalia quælibet, aues adeò ipſas. Cuius ſententiam amplexus Thomas Aquinas in Summa quæſt. 110. quæſt. 3. ſcribit corpora

ipſa Satanæ cedere, inter quæ ſe celeriùs ideò mouet, ne illi eunti & progredienti obſtent. Aç ne amplius de tota hac re ſis dubius, Antoni, aut animi anceps, afferam tibi etiam profanorum ſcriptorum tùm dicta, tùm etiam exempla: ne hæc poſterioribus temporibus à ſolis Chriſtianis credita exiſtimes. Eſtne, obſecro, quicquam in tota Romanorũ hiſtoria notius, quàm raptus ille Romuli primi Romæ vrbis parentis & cõditoris? Atqui ille à Satana ſub teſtibus multis raptus eſt propter horrendas diuinationes, ſuperſtitiones, latrocinia, & mulierũ raptiones, quas ipſe induxerat iuſſeratq;. Quanquam enim alij aliter de eius obitu ſcribunt, Plutarchus tamen autor fide dignisſimus, & inter Græcos Latinosq; ſcriptores diligentisſimus & verisſimus ſemper habitus, ſic de eo narrat. Certo nimirum quodam die eum à ſatana in aërem toto Romano populo ſpectante ſublatũ & abreptum. Ac à ſatana id factum eſſe variæ rerum circumſtãtiæ, quæ ab eo commemorantur, demõſtrant. Igitur magna procellæ & aëris tempeſtas coorta præceſsit, tãtęq; tenebræ, quantæ noctis eſſe ſolent, tùm tonitrua horroris plena, adeò vt vniuerſus populus, qui illic erat collectus his tãtis terroribus cõſternatus trepi-

trepidiſsimè diffugerit: Atq; hoc quidem certiſsimum raptus corporis à ſatana facti exemplum eſt. Quod etiam fieri poſſe alijs duobus exemplis & confirmat & illuſtrat idem Plutarchus, Ariſtei nempè Proconeſienſis, & Cleomedis Aſtipaleenſis. Nam Ariſteus temporis momēto à dæmone raptus eſt è taberna fullonia, & traiectus in Italiæ vrbem, quæ Crotona nominatur. Erat autem ea in Calabria ſita, vbi cum multis eſt collocutus. Cleomedes autem tanta mole corporis quanta gigas & homo violentus, cùm aliquot pueros miſerè & crudeliter occidiſſet, ab eorum patribus conquiſitus in vaſtiſsima quadā arca ſe, vt occultaret, arctiſsimè concluſit. Ea autē ſtatim à patribus iratis reperta & effracta, Cleomedes tamen non eſt illic inuentus. Indè enim à dæmone ſubductus & tranſportatus ſtatim fuerat. Quare ex his omnibus iam illud cōcludi pōt, eſſe facillimū ſatanæ, qui natura ſua Angelus eſt, noſtra corpora abrepta aliò transferre & traducere, idque ēt temporis puncto. Ad quod comprobandum etiam illud, quod in hiſtoria Suſannæ verſic. 35. de Habacuc ſcriptum eſt, poſſem tibi commemorare. traditur enim è Iudæa Babylonem ab Angelo tranſuectus, idque ēt momento. Sed te in

meam ſententiam planè tranſijſſe nunc arbitror.

ANT. Feciſti tu quidem, Theophile, vt iam mihi nutet animus, nondum tamen omninò impuliſti. Quod feceris, ſi huic poſtremæ quæſtioni meæ feceris etiã ſatis. Cur igitur, ſi quæ dixiſti, vera ſunt, vnguentis & oleis quibuſdam eos vti iubet quos ipſe vehit? nihil enim neceſſe erat.

THEO. Acrem te ſententiæ tuæ propugnatorem video, quando ita inſiſtis ſingulis quæſtionibus: dicam tamen quod tibi petis explicari. Ac primùm ne tibi perſuadeas Satanam præcipere omnibus Sortiarijs, vt ijs vnguentis vtantur. Id enim quibuſdam tantùm imperat, quos videt aut ad audendum timidiores, aut delicatiores ad tolerandum formidabilem illum ſuum attactum, quales fœminæ vel etiam viri quidam. Itaque ſtupefacit eorum ſenſus ijs medicamentis, quibus vngi præcipiuntur, ne dum feruntur ſentiant dolorem, vel horreant ipſius manus & raptum ſuum. Nec enim vnguenta iſta aut olea huiuſmodi quicquam ad motum aut iter peragendum poſſunt vel pertinẽt vlla ex parte: ſed adhiberi tamen iubentur, vel vt ea ratione eos detineat auocetque à cogitatione contactus ſui: vel ſi certè proſunt, ea-

tenus

tenus id faciūt, quatenus per ea ſenſus corporis conſepulti iacent. Itaq; ſatan ipſe interim eos aſportat. Quanquam & aliud quoq; ſtudet in eo ſatan, nimirum vt ſacroſancta Eccleſiæ Sacramenta à Deo inſtituta adumbret & perfidè imitetur, quò magis miſeri illi Sortiarij & velint & aſſueſcāt ipſi confidere & eum admirari, & tantæ poteſtatis ergò venerari, cùm tamen reuera ipſe ille ſit, qui eos portat & ſubcollatos baiulat quò ſunt transferendi.

ANT. Atqui, Theophile, alius qui volet talem ſibi famulum quærat, ego certè recuſo & toto pectore auerſor.

THE. Et ego ipſe, Antoni. Sed iam eſtne tibi perſuaſum quod dixi?

ANT. Penè quidem. Tertiæ modò obiectioni & animi mei dubitationi reſpōde.

THE. Ecquæ verò illa eſt?

ANT. Non videntur mihi Sortiarij poſſe intoxicare quēquam niſi adhibito & iniecto ab ipſis veneno. Incantationibus. n., figuris, verbis, conſecrationibus, deuotionibus, aut characteribus meris & ſolis, niſi aſpergatur quoq; venenū, eos lædere poſſe, non ſit mihi veriſimile. Si igitur ſatā illis porrexit venenum, aut miſcere docuit illud quod adhibēt, quin facilè iam intoxicare queant, non dubito. Quin ēt eorum

maleficiorum ſit ſatã artifex peritiſsimus non nego. Rerum enim creatarum vires & naturas apprimè nouit. Id quod ẽt Auguſtinus libro 3. de Diuinat. Dæmonum teſtatur. Sed quòd ijdem nullo veneno, puluere, radice adhibita lædere aut intoxicare quenquam poſsint, non poſſum in animum inducere meũ. Nec enim verba, numeri, figuræ, verborum certa forma, certiſque precationum & præſcriptis formulis demurmurationes, item characteres ad inuenenandos homines ſunt inſtituti, ſed ad alios & diſsimiles planè vſus, quemadmodum pater Irenæus lib. 2. cap. 40. & 43. apertiſsimè demonſtrat. Nec ille vir Chriſtianus, ſed etiam tàm vanam quorundam ſententiam alicubi irridet Ariſtoteles autor ethnicus, nedum vt eam nos Chriſtiani homines comprobemus. Prætereà illud ex certiſsimis Phyſicæ ſcientiæ regulis definitur, Nullam omninò actionem ſine medio interueniente, & extremis rei patiẽtis applicato fieri poſſe. Exempli cauſa: Cùm me impellis, manus tua me attingit: cùm ab igne calefio, ignis primùm aërem calefacit, aër aũt me. Id quod nullo modo interuenit, cùm per verba aut characteres, aut figuras, aut verborum certas formulas intoxicatio fieri dicitur. Itaq; Plinius ſcriptor

ptor in omni penè rerum genere versatus, libr. 28. Natur. Histor. cap. 2. ista fieri posse apertè, & omninò mecum pernegat.

THE. Iam verò longè doctior mihi videris, Antoni, quàm antea & initio sermonis huius nostri, vbi primarum scholarum tantùm memineras: nunc etiā te summum Physicum exhibes, facisq; vt difficiliùs certamen ingrediar: tuæ dubitationi tamen respondebo. Negásne, Antoni, quod est scriptum Psalm. 58. vers. 5. 6. de serpente? & ita Bucchananus Poëta Christianus suauissimè cecinit:

Lingua venenum pestifera gerunt,
Aurésque occludunt consilijs, velut
Obturat aures callida aspis,
Qui magicos metuit susurros.

ANT. Minimè id quidem.

THE. Ergò negare nō potes quin sono, verbis & incantationibus Magi & Sortiarij noceant, & aliquid efficiant.

ANTO. At ista non nisi medio quodam adhibito fiunt.

THE. Hoc verum est, quod dicis. Interuenit enim modus & medium aliquod, illudque consentaneum & aptum ad ista omnia maleficia perpetranda: sed ab ipso satana adhibitum, non nobis, non ipsi Sortiario notū. Efficit igitur satā, id quod ego tecum

tecum affirmarim, vel venenis iniectis vel alio modo, quanquam nobis admirabili & inuisibili, quæcunque solis istis figuris, verborum formulis & characteribus videntur euenire.

ANT. Quomodo id?

THE. Primùm ex fœdere & pacto satan illis inuocantibus & adiurantibus adest, & obsequitur, impletq; ipse quæ figurarum, verborum istorum aut characterum vi & energia effici posse promisit, tùm vt verus, tùm etiam vt potens appareat, & illa, quæ demõstrauit, magnæ esse potestatis & momenti planè persuadeat. Qua ratione & fortiùs sibi obstringit vanos istos homines, & ad se religiosiùs colendum impellit. Atque in creaturas transfert apertè diuinæ maiestatis & potentiæ munus, quò homines Deum lubentiùs deserere, ipsis autem creaturis obstupescentes adhærere, id est, veri idololatræ tandem euadere velint. Prætereà hoc modo simiarum more vera illa Sacramenta, quæ Deus dedit Ecclesiæ suæ, imitari studet, & in contemptum adducere, pariaque ipsa facere videtur posse, denique in ipsa signa rei signatæ vim & effectum traducit.

ANT. Non fiunt igitur ista solis verbis, solísve characterum formis, sed etiam medijs

dijs quibuſdam venenis vel occultis illis quidem, à ſatana tamen adhibitis & modo etiam ignoto, quem nec Sortiarios ipſos docuit.

THE. Rectè, Antoni, intelligis. Eſt enim ſatanæ in eo ſuo ſcelere tegendo, artificioque celãdo ſumma fraus. Itaq; ipſius cum Sortiarijs pactum conuentum ei ſimillimum mihi videri ſolet, quòd latrones duo in ſyluis graſſantes inire ſolent. Illi enim vt tutiùs lateant, & vt cautiùs atq; faciliùs inſidias iter facientibus ſtruant, ita agunt, & conſentiunt inter ſe, vt eorum alter in ipſo itinere appareat, alter in ſyluis abditus lateat, qui tamen ad certum quendam ſibilum & ſignum, de quo inter eos conuenit, excitatur, & tranſeuntem viatorem indicatum iugulat, quãquam prior ille etiam ſceleris ſocius & conſcius quo inſtrumento id ab altero factum ſit, ſæpè neque viderit ipſe neque ſciat. Alio etiam exẽplo idem illuſtrari atque tibi explicari poteſt. Solent homines nobiles qui cum alijs graues inimicitias exercent, adiungere ſibi ſeruos audaciſsimos, eoſque habere comites, quibus cùm innuerint certa quidem, ſed inter eos ſolos nota ratione, tũc illi ſibi indicatos & infeſtos dominis ſuis adoriuntur, etiam ſæpè abſente, aut non ſpectante

domino

domino qui id facere tamen iussit. Eodem modo Satan ad signa illa conuenta adest, & promissum suum præstat, idemque exequitur quod Sortiarij volunt, vt eos magis magisque semper habeat obsequentes. Itaque hoc dicam amplius, etiam has figuras & characteres ipsa per se nihil nisi mera nugamenta & ludicra oculorum spectacula esse, quæ à pessimo præceptore proposita miseros illos detinent, nec rationem huiusmodi euentus aliam veriorem que exquirunt, quanq̃ hęc ipsa nullius sint momenti ad id efficiendum quod conantur, nec ab ipsis Sortiarijs intelligatur, quid quantumq; prosint. Sed quemadmodum ludiones & circulatores quidam qui mira in medio circo facere videri volunt, varia manuũ gesticulatione, multisq; verbis profusis aures & oculos spectatorũ occupant & obtũdunt, ne percipiant qua ratione pro duobus cippis tres aut quatuor, quos inter digitos occultabãt, fuerint statim substituti (quod omne tamen sola manuũ subtilitate fit:) Sic Satã suis, quos à diligentiore istarum rerum inquisitione arcere vult, vana ista figurarum, & verborum figmẽta & spectra siue spectacula obijcit, vt ijs obstupefacti retineãtur, neque diligentiùs altiusque, cur hoc fiat, perscrutentur:

quæ

quæ tamen non ſunt ex vllo cauſarum genere ad huiuſmodi euentus comparata.

ANT. Quanam igitur ratione Satan ipſe operatur, dum incantationibus aut ſuperſtitioſis characterum deſcriptionibus aut certis precationum formulis agere videtur, iam mihi, Theophile, expone.

THE. Hoc ipſum ſtudeo. Ac primùm illud conſtituo habeoque apud me certiſsimum, Antoni, Satanam nō niſi & per cauſas & per modum naturalem efficere quicquam poſſe. Nam quicquid ille vel ipſe per ſe, vel per ſuos & Magos & Sortiarios facit, aut omninò mera animi oculorúmve illuſio eſt, aut verus cauſarum tantùm naturalium effectus. Aliud enim aut potentiùs agere nihil quicquam poteſt.

ANT. At nónne miracula etiam facere, quemadmodum loquitur Paulus 2. Theſſ. 2. verſic. 9. & in Apocalyp. 16. verſic. 14. dicitur?

THE. Quid verò, Antoni, appellas miraculum?

ANT. Voco miraculum opus aliquod, quod contra vim ipſis rebus naturalibus à Deo inſitam efficitur, quemadmodū cùm ferrum enatat ipſum per ſe ex aqua quod in hiſtoria Eliæ narratur 2. Reg. 6. verſic. 6. quando lapis inſidet aquæ, cùm aqua in

vinum

vinum reuera conuertitur, cùm mortui verè, non autem fictè excitantur, & reuiuiſcunt.

THE. Verè tu quidem, Antoni, & propriè diffiniuiſti quid ſit miraculum. Nam quemadmodum Auguſ. ſcribit, id tantùm miraculum dici debet, quod omnes omnium rerum creatarum vires ſuperat, nec ab ijs effici poteſt. Itaque miraculum ſolius Dei potentiæ opus eſt, quod eſt eo nomine dignum & propriè appellandum. Paulus autem & Apocalypſis hac voce ijs locis, quos tu laudaſti, tàm ſtrictè tamque anguſtè non vtuntur, ſed latiùs pro omni eo opere, quod & nouum & mirum hominibus videri ſolet, quanquam & modo & ex cauſis etiam naturalibus producitur. Vndè vox illa Miraculum pro eo accipitur ſæpè, quod rectiùs Mirũ dixerimus. Nam quod ad miraculum, quemadmodum tu ipſe illud & verè quidem deſcripſiſti, à Satana fieri certè quidem minimè poteſt.

ANTO. Quid igitur? éſtne aliqua inter Mirum & Miraculum differentia?

THEO. Latiſsima, ſiue rem ſiue nomen ipſum ſpectes. Iam enim quod ad vocem ipſam, aliud eſt Mirum, quòd σημεῖον & θαῦμα à Græcis ferè appellatur: aliud autem Miraculum, quod θέρας. Vndè voces iſtas diſtin-

diſtinguit lib.3.de Trinita. Auguſtinus. Eſt igitur Mirum, opus non vulgare illud quidem & commune, ſed tamẽ quod per cauſas naturales efficitur & producitur: quanquam eæ ſæpè nobis ſunt omninò ignotæ, aut paucis tantùm cognitæ, vel etiam ea via & ratione fit, qua nos homines vti, etiã in eadem aut ſimili re neque ſolemus neq; etiam didicimus. Exempli cauſa, cùm magnus ille & ingenioſus artifex, atque etiam ſummus Philoſophus Archytas Tarentinus ligneam columbam per aërem volantem oſtentaret, erat ea quidem res mira, non tamen miraculũ. fiebat enim iſte motus in corpore ligneo certis æquilibrijs, certaque linearum ratione & artificio, & conſtitutione tàm arcta, vt vna alteram attraheret. Itaque totum hoc fuit naturale opus. Cùm idẽ Archytas efficiebat, quod in vita Marcelli ſcribit Plutarchus, dum in Sicilia obſiderentur Syracuſæ, vt adoleſcens vnus nauẽ onerariam ingenti ponderis vnco traheret & attolleret, mirum opus erat, nõ miraculum. fiebat enim per cauſas naturales & cochleas, ex Mathematicorũ regulis. Sic docti Medici multa mira efficiunt, ſic hodiè Mechanici qui dicuntur, nulla tamen miracula. Itaque quoad ea quæ mira dici poſſunt, Satan quidem

facilè & nullo negotio multa efficit. Longeq; excellentiora quàm illa quæ nos homines possumus, quia illius præ nostris, & vires & ingenium est longè præstantissimum. Nulla tamen miracula idem facit.

ANT. Cur ita?

THE. Propter varias rationes, inprimis autem tres. Ac prima propter naturæ ipsius Satanæ præ nostra excellentia. Est enim angelicæ & spiritualis naturæ: nos autem & terreni & carnales sumus. Quamobrem multa potest quæ eadem non possumus. Secunda verò propter motus & actionum ipsius celeritatem. Puncto enim temporis tantum itineris & viæ conficit, quantum nos graues & lēti vel sex diebus possemus. Quare momento temporis ex hoc loco in illum etsi longissimum fertur, quia ne aër quidem illi obsistit. Tertia autem propter variam rerum naturalium cognitionem, longamque experientiam quam nactus est, cui nostra comparata planè ignorātia est. Quare fit vt etiam in rebus naturalibus & sciat & efficiat quæ nos non assequimur.

ANT. Cur autem, vt vis, vera miracula operari Satan non potest?

THE. Primùm quòd in miraculo verò edendo, oporteat destruere & abolere à

Deo

Deo datam iam rebus ipſis naturam. Id q̄d Satan inquit. Solius enim eſt Dei, vti condere & creare, ita euertere & abolere naturam rerum. Secũdùm, q̄ in miraculo ſit neceſſe nouas vires & proprietates rebus ipſis inſerere. Id quod ille nullo modo ẽt poteſt. Eſt enim verus Deus ſolus proprietatum, quæ rebus inſunt, autor & creator. Tertiùm, quòd verum miraculum eſt huiuſmodi opus, quod rerum omnium creatarum vires & potentiam excedit, quamlibet ſint illæ excellentes. Quare Petrus Act. 3. verſ. 12. cùm claudum illum ſanaſſet & verè miraculum edidiſſet, ita inquit: *Viri Iſraëlitæ quid miramini ſuper hoc, aut quid intentos oculos in nos habetis, quaſi propria vi aut pietate effecerimus, vt hic ambularet? Deus Abraham, Deus Iſaac, &c.* Quibus verbis, vt vides, demonſtratur vnius Dei propriam eſſe faciendorum miraculorum poteſtatem.

ANTO. Atqui Angeli benedicti, Apoſtoli, multique etiam viri pij miracula fecerunt.

THE. Deo quidem operante in illis fecerunt miracula. Ipſa enim poteſtas quæ illa efficit, in vno Deo reſidet, penes enim vnum eſt, nec in creaturam vllam vnquam tranſportatur. quia vt eſt apud Iſaiam, gloriam ſuam ſibiq; propriam nunquam dat

alteri Deus. Itaque illi, quos proximè commemorasti, boni angeli, apostoli, prophetæ & fideles homines, fuerunt in edendis miraculis, quæ fecisse dicuntur, Dei tantùm instrumenta, & ea quidem merè passiua, non autem actiua, vt vocant: nec sequitur tamen quòd si in miraculis DEVS est vsus illis suis seruis: Satana quoque vtatur, & per eum miracula facere velit. non vult enim Deus, idque iustè, gloriam suam diabolis & Satanæ communicare ea mensura, qua Angelis beatis & sanctis hominibus confert. Id quod vel ex eo satis cõstat, quòd Moses & Aaron serui Dei fecerunt verè miracula, quæ tamen Pharaonis Magi, quanquam exercitati in Satanicis artibus discipuli & præstantissimi ipsius ministri, efficere nunquam potuerunt, agnoueruntq; ipsi solius Dei digito præstari, & oẽm vim naturæ longè superare, vt est scriptum Exod. 8. versic. 18. Atque huius inter Satanam & veros Dei seruos discriminis, diuersiq; Dei consilij, hæc ratio est, quòd Satan in edendis miraculis nõ spectat Dei gloriam: at boni angeli & sancti viri eò solùm respiciunt & tendunt. Itaque miraculorum Dei instrumenta sæpè hi sunt, iste autem nunquam. Et quanquam illud verum est, Satanam nihil omninò posse, nisi

quantum,

quantum, & quando, & in quibus rebus Deus ipse illi concedit: tamen rerum ordinem à Deo constitutum neq; euertere, neque immutare potest, neq; tanta illi potestas à Deo tribuitur, neque etiam vt per alias res, quàm naturales, operari valeat, etsi sæpè quidem nobis ignotas, deindè etiam quas ea celeritate impellit, vt totum ipse opus miraculum nobis esse videatur. Citò enim colligit ea media easq; causas, quib. agit. Verbi gratia, statim nubes congregat, vndè emittit pluuiam: confestim cogit & spissat aërem, vt ex eo condensatũ quoddã visibile corpus & spectrum nobis obijciat: venena momento miscet, vndè lædit. Continuò ea repræsentat aut fugat quæ petuntur postulanturque ab eo. Prætereà ita celeriter hæc omnia efficit, vt mira nobis videatur istarum rerum celeritas, quæ tamen singula per causas naturales fiunt. Quare quemadmodum anteà dixi, figuræ, delineationes, soni, incantationes, denique certarum precum demurmurationes superstitiosæ, non sunt rerum à Sortiarijs effectarum causæ, sed tantùm promissionis à Satana illis factę symbola & arrhabones. Itaque facit Satan ipse, quæ illi conantur & quæ putant se ijs rationibus præstitisse & effecisse. Ipse enim hoc sym-

bolum instituit, quod inutile non vult videri, aut absurdum aut nugatorium. Itaque vnius Satanę opera huiusmodi omnia fiunt & eueniunt. Nec in eo vnius Hieronymi qui de eo ambigit, sententia nos mouere debebit. Nam nutat ipse, & contra hunc apertè sentit Ioan. Chrysostomus in suis homelijs in Epistolam Pauli ad Galat. cap. 3. vers. 2. item & alij non minoris autoritatis. E recentioribus etiam quid doctissimus ille Theologus Petrus Martyr in 1. Samuel. ca. 28. scribat, sciunt omnes. Quare vt semel concludam, omnia hæc ex pacto agit Satan. Eadem etiam ratione fit, vt diaboli à Sortiarijs coniurentur, vt aiunt, & exorcizentur: aut euocentur, aut aduocentur & adsint præsentes & colloquātur, quòd ipsi hoc signum & symbolum constituerunt, ad quod se repræsentarent, aut abigerētur. Hac ratione Numa Pompilius secundus Romanorum rex, & magnus, si quisquam alius, Magus & Sortiarius, sæpè sæpius cum Diabolis & congressus est & collocutus, quemadmodum in ipsius vita auctor grauissimus Plutarchus scribit. Cùm autem, Antoni, tribus illis tuis dubitationibus responsum sit, quid restat amplius?

ANT. Quæro ex te: Vtrùm omnia Sor-

tiariorum venena sunt lethalia, & mortis periculum inducunt?

THEO. Cur à me hoc scire vis, quod ne ipsi quidem illi sciunt? Solus enim Deus id nouit, in cuius manu mors & vita nostra sita est, non in Sortiarij, non in ipsius Diaboli potestate, quemadmodum Ecclesiastici cap. 8. vers. 9. est scriptum. Ipse quidem Sortiariorum animus & affectus in eo varius est: sæpè enim vt noceant tantùm ad tempus, venena sua infundunt: sępè autem vt sint prorsus lethalia. Itaque minis territi conantur ea extinguere & tollere ab ijs quibus iniecerunt, & operam Satanę propterea implorant, sed tamen sæpè non possunt adimere, quicquid tentauerint, quòd aliter de nobis Deo visum sit. Ille enim terminos vitæ nostræ constituit, qui præteriri non possunt, vt est Iob. 14. versic. quinto.

ANT. Quid prætereà, Theophile, possúntne postquam in potestatem iudicum venerunt, & in carceribus ipsis vti suis illis venenis, & nocere?

THEO. Si dicam quod sentio, posse eos responderim, si modò cum suo Satana cómunicent. Si quæris quod hominũ vulgus sentit, non posse. Ergò si liberè & commodè possent & venena sua habere, & cum

Satana colloqui, quemadmodum aliàs so-lent, & cùm sunt domi suæ, posse eos etiam in medio carcere intoxicare dixerim. Nec enim impedit vel iudicis autoritas ipsa per se, vel locus. Cuius meæ sentẽtiæ fidem facit, quod Sortiarios multos Satan etiam in ipso carcere strangulauit, & ad necem vsque pugnis mulctauit, quod etiam iam à iudicibus damnatos & in carcere vinctos, ad mortem & suspendium adegit. Cuius rei infinita penè exempla tibi commemo-rare possum. Sed duabus tamen de causis videntur mihi Sortiarij in carcere consti-tuti non intoxicare. Prima, quòd commo-dè illic venena sua habere non possunt. Se-cunda, quòd liberè cum suo artifice & do-ctore Satana communicare non audent. Se enim putant obseruari, & vincti sunt, & non nisi per carceris custodem, id est, te-stem adhibitum sua venena habere pos-sunt. Id quod maximè timent, ne à iudice deprehendantur. Quare ferè non solent dum sunt in carcere quenquam lædere Sortiarij. Vndè prudentes & seduli Iudi-ces maximè dãt operam, vt dum ab ijs non sperantur aut expectantur, adsint tamen, vt eos obseruent. Denique verentur Sor-tiarij ne iam vincti conuincantur vti vene-nis, quod facilè fieret. Est enim hominum

genus

genus & timidiſsimum & ignauiſsimum Sortiariorum, quod Deum reiecit. itaque plurimùm ſibi proſpicit & cauet.

ANTO. Certè, Theophile, in tuam me ſententiam planè adducis. Itaque iam & Sortiarios eſſe credo, & intoxicare poſſe, & infinita illa maleficia, quæ commemoraſti perpetrare. Sed qua tandem pœna digni ſint tàm ſcelerati homines, & in Deum perfidi & nefarij, obſecro te, expone.

CAPVT V.

Qua pœna digni ſint Sortiarij.

THEOPHILVS.

NOn eſt meum, Antoni, leges condere aut promulgare vllas, quod Reges, & in quaque ciuitate Principes ſoli poſſunt. Deindè ita vſus & mores hominum iam obtinuere, vt ſcelerum pœnæ propè omnes ſint arbitrariæ. Id tantùm igitur reſpondere poſſum, Sortiarios tanquam publicos humani generis & illius autoris Dei hoſtes, eſſe quoque publico omnium hominum & ordinum odio digniſsimos. Sũt enim à fide ſceleratiſsimi

apostatæ, Dei potētia perfidi abiuratores, rei læsæ Maiestatis diuinæ, transfugæ teterrimi, proditores Dei fœdissimi, asseclæ diaboli turpissimi, deniq; diabolici venefici & impostores. Quare & vt veneficus & vt apostata puniri à magistratu rectè potest Sortiarius, quia & Deum deseruit suum creatorem: & in Satanæ partes & castra manifestè transijt. Vndè fit, vt lege Dei Sortiarius morte damnetur, Deut. 18. vers. 10. & alibi inter grauissima teterrimaque scelera recēsetur 1. Sam. 15. vers. 23. Sed & sancta patrum concilia ecclesiastica eosdem execrantur. Veluti Constantinopolitani concilij secundi art. 60. 61. & 62. quæst. 1. 2. 3. quæ sunt Iuris canonici leges. Iure autem ciuili Romanorum hęc hominum genera grauissimè puniuntur. Lege enim Iulia de veneficis, capitis pœna in eos sancita est. Sed nec ea contentus Imperator Leo, ipse nouella Authentica constitutione sua 65. eosdem grauiori pœna affecit. Denique nemo vnquam fuit tùm veterum tùm etiam recentiorum hominum rectè sentiens & sanus, qui nō fateretur hos esse pessimos omnium mortales, itaque pœna acerbissima dignos semper iudicaret.

ANT. Demiror igitur quomodo etiam hodiè existant iudices quidam tàm molles, &

les,& parum toti humano generi beneuoli,vt vereantur, vel nolint tàm horrendas feras,quales Sortiarij, è medio tollere,& ſi quando in eorum manus inciderint,punire.

THEO. Miror & ipſe, Antoni,qui certè oſtendunt hac ſua animi leuitate, quàm verè Deum contemnant, ſintque ipſius cultus & honoris magni ſpretores & aperti, cuius acerrimos & coniuratos hoſtes deprehenſos impunitos dimittunt, & ſinunt ſuperſtites viuere. Sed quid reſtat, Antoni,quod ex me ſcire cupias?

CAPVT VI.

Vtrùm liceat homini Chriſtiano Sortiariorum opera & auxilio in morbo alijsq́; rebus vti.

ANTONIVS.

VTRVM homo Chriſtianus poſsit ſalua animi pietate & conſcientia eorum auxilio vti in morbo curando, quem vel ipſi vel eorum ſocij immiſerunt, aut cuius ſe remedium ſcire profitentur. Denique vtrùm eorum opera iuſtè vti poſsimus, ſiue in publicis ſiue in priuatis

priuatis rebus commodi alicuius gratia, veluti in bello ipso.

THE. Tandem, Antoni, lógiùs me protraxisti, quàm primùm instituissem. Sed quia hoc argumentum iam sum ingressus, idq́; ipse, cui nihil denegare possum, petis, dicam non grauatè. Ac primùm quidem non fuerunt de eo eædem omnium hominum sententiæ, ac ne legum quidem ipsarum. Nam à quibusdam hominibus inducta est hæc distinctio damnabilis, vt Sortiariorum quosdam bonos, quosdam malos appellarent. Quoad leges, non omnes inter se consentiunt, inter quas tamen diuina semper vna & eadem fuit, sibiq́ue ipsa consentiens. Eos enim vbique damnat & punit. *Veneficum*, ait lex, *viuere non sines*, Exod. 22. vers. 18. Leges autem humanæ variæ extant, sibiq́ue ét nonnunquam contrariæ. Nam quādiu Reges & qui rerum sunt potiti, idolis seruierunt, ét Magorum & Sortiariorum opera & auxilio sunt sine animi scrupulo vsi: quorum exemplum subditi posteà secuti, & ipsi passim eos homines quáquam impuros in pretio & vsu habuerunt. Id quod adhuc fit à Barbaris quibusdam gentibus & idololatris, quales quę ad extremum Septentrionem & Orientē habitant, & in regno quod dicitur Cambalū, vbi

vbi Magnus ille Tartarorũ Chanus & rex ſedem habet. In omni Perſarum imperio etiamnum hodiè iſtorum hominum artes & induſtria probatur. Fuitque ſæpè habitum inter ethnicos homines pro ſumma doctrinæ laude, ſi quis peritus Magiæ cenſeretur. Apud Aegyptios, vt apparet ex Scriptura Exod. cap. 3. proculdubiò laudabantur. Romæ etiam Imperatores quidam Magiæ ſtudio ſe dediderunt, & Sortiariorum operam adhibuerũt. Nero Imperator, quemadmodum in eius vita Suetonius ſcribit, ſummus inter Magicæ ſcientię magiſtros habitus eſt, quanquam tamen poſteà huius artis vanitate deprehẽſa totum hoc ſtudium abdicarit & damnarit, vt C. Plinius tradidit. Adrianus quoque Imp. Nerone poſterior (quod in ipſius vita ſcribit Dion hiſtoricus) huic arti operam dedit, atq; etiam Sortiariorum operą ad ſanandam hydropiſin in quam inciderat, vſus eſt. Hunnorum gens vniuerſa, quemadmodum ſuprà ex Gregorio Turonenſi commemoraui, in bellis gerendis procurandaque victoria eorundem auxilium adhibuit. Cyprianus ipſe, qui poſteà Chriſtianus factus eſt, & Epiſcopus Carthaginenſis, antequam ad fidem Chriſti conuerteretur, huic ſtudio & addictus & intentus

intentus admodum fuiſſe legitur, quod poſteà ſummo Dei beneficio abiurauit repudiauitque. Quæ omnia exempla ſatis oſtendunt, quàm fuerit inter profanos & veri Dei ignorãtes homines in precio horum hominum opera, aut certè non damnata nec improbata vanitas & impoſtura, cùm ea vulgò in vſu eſſet. Sed cùm in huius auxilij & artis cura & miniſterio multa vana, multa abſurda, multa etiã viſu horrenda deprehenſa eſſent, tùm propter dæmonum inuocationes, tùm etiã miros hominum iſtorum geſtus & ſuperſtitiones, paulatim etiam ſuboleſcente fide Chriſtiana, factum eſt vt Romanorum Imperatorum legibus poſteà non licuerit paſsim Sortiariorum hominum opera vti, ſed demùm ſi ita publica quædã vel priuata vtilitas ſuaderet. Itaque in Codice Iuſtiniano libr. 9. tit. 18. l. 4. ſic ſcriptum eſt, quæ eſt lex à Conſtantino Magno edita.

Eorum eſt ſcientia punienda & ſeueriſsimis meritò legibus vindicanda, qui Magicis accincti artibus, aut contra ſalutem hominum moliti aut pudicos animos ad libidinẽ deflexiſſe deteguntur. Nullis verò criminationibus implicanda ſunt remedia humanis quæſita corporibus, aut in agreſtibus locis innocenter adhibita ſuffragia, ne maturis vindemijs metuerentur imbres, aut ventis, grandinisque lapidatione quaterentur,

rentur, quibus nō cuiusquam salus aut æstimatio læderetur, sed quorum proficerent actus, ne diuina munera & labores hominum sternerentur. Datum 10. Calend. Iun. Aquileiæ, Crispo & Constantino Coss.

ANT. Mira quidem lex, Theophile, & perniciosa parumque Christiana, si modò eam Imperator Christianus Constātinus primus tulit & promulgauit.

THE. Imò verò sic mihi persuadeo, Antoni, nōdum tunc verè fide Christiana imbutum fuisse Constantinum, cùm illam scripsit. Vide enim quantum Magis & Sortiarijs tribuit. Vult enim vt eorum arte liceat vti, modò commodo aliquo id fiat. Id quod sanè non concederet, si esset ipse Christianus. Itaq; ea lex à Leone posteà nō tantùm emendata, sed omninò antiquata est. Vetat enim ne quacunq; occasione ijs vtamur, totumq; hoc Sortiariorum ministerium imposturam & fallaciam appellat. quam posteriorē legem tanq̃ sanctiorem summus omnium hominum consensus posteà cōprobauit Augustinus, cuius verba extant descripta can. Admoueāt. 26. q. 7. docet istorum auxilium merā deceptionem merasq; satanæ insidias esse. Denique cap. 2. titul. De Sortilegis. Extrà in Decret. hoc ipsum damnatur. Quorum omnium iudiciorū ratio est certè qdem æquissima.

ANT,

ANT. Quænam verò illa eſt?

THEO. Quòd nullum nos cum ſatana commercium habere oporteat, ſiue id directò & mediatè, vt loquuntur, ſiue indirectò aut etiam immediatè fiat: nec eius ope, re, aut conſilio adiuuari vllo modo debeamus. Eſt enim verus Deus ad quem nobis eſt ſemper & in omni afflictione recurrendum. Cur enim, de quo ſtomachabatur & rectè quidem Elias Propheta 2. Reg. 1. verſ. 3. à Beelzebub conſilium & auxilium petimus, cùm ſit Deus in Iſraël? Ergò ita Deo adhærere atque ex eo pendere nos oportet, vt nulla ratione nulloq; modo vel ſatanam ipſum, vel ipſius miniſtros vllos (quales Sortiarij) approbemus, ambiamus, affectemur, quemadmodum monemur Pſal. 81. ver. 11. Neque enim duobus dominis ſeruire poſſumus, Deo nempè & diabolo. Quare huic renunciandum planè eſt, vt illi omninò & ſoli adhæreamus.

ANT. At iſtorum auxilium & ſæpè rectè ſucceſsit atque feliciter.

THEO. Infirma eſt iſta ratio & prorſus inualida. Dei enim pręceptum potiùs ſpectandum eſt, qui nos quacunque de cauſa ad Sortiarios ire vetat, vt eſt Deuteron. 18. verſ. 10. Quid enim aliud agit ea via ſatan, quàm vt nos à veri Dei metu abducat, ad

ſe autem

ſe autem traducat? Namq; quicquid auxilij ab eo accipimus, vt corporibus noſtris medeamur, cedit in animarum noſtrarum peſtem & perniciem. Se. n. ſeparant à Deo hoĩes hoc modo, quæ vera animorũ mors eſt. Vndè fit, vt oĩs illa ſatanę Sortiariorũq; opera & auxilium ſit lethale aĩæ venenum, quod cane peius & angue, vt dicitur, fugiendum eſt. Sed ꝙ quibuſdã feliciter ea res ceſsiſſe dicitur, id quantulum eſt, & q̃ rarò accidit? quando è decem qui ad eiuſmodi auxilium confugerunt, vix ac ne vix quidẽ vnus reperiatur qui opem ſenſerit. Deindè iſta non ex ſucceſſu, ſed ex Dei ꝑcepto ſunt ſtatuenda. Nam & qui furatus eſt, ſępè lautiùs viuit. probandúmne propterea furtũ erit? Ergò vt oẽs qui hoc remedium tentarunt, benè ſemper habuerint, idq; concedatur, quando aperta eſt de eo adhibendo Dei prohibitio, ne hoc quidem oblatum nobis acceptare debemus, nedũ vltrò ipſi quærere. Si quando. n. ad alterius, q̃ vnius Dei auxilium cõfugimus, prodimus in eo turpiſsimam animi noſtri diffidẽtiam, infidelitatem, rebellionem atq; ẽt ſceleratiſſimum numinis Dei cõtemptum. Quibus vitijs & malis ipſius iram, inprimis autem mortem æternam in nos attrahimus.

ANT. Quid igitur? nullóne modo Sor-

tiariorum auxilio & opera licet nobis vti, vt aliquod nostris malis remedium adhibeamus?

THE. Quidam in eo distinguũt. Si enim id fieri à nobis velit & iubeat magistratus, nos tunc salua conscientia eorum auxilio & remedijs vti putant posse. Aliter autem, neque concedi, neque etiam esse fas contendunt. Itaque quando magistratus ipse iubet eos opem ferre nobis, nõ autem ipsi eorum opem imploramus, in eo à nobis dicũt nõ peccari, si eos admittimus. Quòd si ad eos ipsi vltrò recurrimus, tunc imploramus, aiunt, eorum opem, ijs blandimur & applaudimus, & amicè ad nos inuitamus. In quo grauiter peccatur. Sed si nobis non petẽtibus id fieri ipse magistratus velit & imperet, tunc penè inuiti eorũ auxiliũ sentimus, in quo caremus omni animi scrupulo & culpa. Interuenit enim magistratus tãquam Dei ipsius autoritas, cui parere oporteat, quia à Deo habet imperium. Hoc igitur est istius distinctionis fundamentum siue firmamentum. Sed quàm sit illud infirmum, imò etiam & vanum & falsum, vide Antoni. Primùm vetat generaliter Paulus Rom. 3. versic. 8. ne vnquam malum faciamus, vt indè bona eueniant, quacunque tandem autoritate id facere

iubea-

iubeamur, siue iudicis & magistratus, siue alterius cuiusquam. Deindè argumentari, credo, licebit nobis à pari. Si iudex & magistratus idola colere iubeat, si furari, si mœchari. Satanam amplecti, possumúsne ea tunc facere salua cõscientia, quia iubet magistratus? Nemo certè, quẽadmodum puto, sanus vnquam concesserit. Cæterùm cùm idem magistratus iubet vt Sortiarius satanica sua opera nos iuuet, & vt ipsi nos ea ratione curandos præbeamus, illique committamus præcipit apertè, idque facimus: perpetramus, assentimurque malo. Itaque ne si per totum quidem vitæ curriculum nobis ægrotis in lectulo decumbendum esset, ad huiusmodi opem & artes satanæ recurrendum est, etiamsi velit & imperet magistratus etiam summus. Neq;.n. istud fieri potest, quin satanæ vires agnoscamus, cuius auxilio vtamur, & acquiescamus, cui tamen per baptismum nostrum omninò atque iampridẽ renunciauimus. Nec verò est in potestate satanæ efficere vt vel viuamus, vel moriamur, sed solius Dei. Hoc quidem consuli & concedi potest: Quòd si qui Sortiarius esse dicitur, potest nulla superstitiosa ratione nulloque cum satana commercio, sed ex Medicorũ regulis & præceptis concessisq; medicamentis

nobis mederi, tunc eius manu, opera, & auxilio vti ſaluo Dei metu nobis licere. Cùm. n. quæ offeruntur remedia nihil habent damnatum aut contagionis cum Satanæ artibus, ſed innituntur cauſis veris & naturalibus, idq́; conſtat, tūc ea acceptare poſſumus, non ſpectato, ſi vel vir vel fœmina, ſi vrbanus, vel ruſticanus ea porrigit, applicat, aut didicit. Nam nec oēs qui hoc Sortiarij crimine apud vulgus ꝑgrauātur, ſunt tales, & ſæpè qdam immeritò in ſuſpicionem iſtam venerunt. Quamobrem hoc ſit tandē concluſum & effectū ex ſuperioribus, neq; debere, neq; oportere nos Sortiariorū opera vti, niſi & ipſi in eorum numero eſſe velimus, Deumq́; verū & Saluatorē noſtrū abnegare quoties aliquod cū ſatana cōmercium habēt, aut ab eo remedij ſui cognitionem poſtulant & accipiūt.

CAP. VII.

Qua ratione nobis à Sortiariorum artibus & maleficijs cauere poßimus.

ANTONIVS.

QVID igitur, Theophile, qua tandem ratione nobis cauere ab ijs poſſumus: aut ſi ſemel intoxicati fuerimus, curabimur & ſanabimur?

THE.

THE. Quod ad curationem intoxicationum, Antoni, hoc post Augustinũ affirmare non dubito, Medicos ẽt doctißimos magna ex parte in ijs morborum generib. cæcutire remediaq; ignorare, tàm sunt illa mira, noua & occulta. Ex satanę.n. officina prodeunt, & eius artibus inijciuntur, quæ vt plurimùm sunt nobis mortalibus ignotæ. Nec tamen medicinæ auxiliũ in ijs spernendum est, imò verò sedulò adhibẽdum, oĩa tentanda quæ ars illa præcipit, ex eius consilio agẽdum, vt si Domino placuerit, pristinam valetudinem recipiamus. Potest n. ille iustis illis remedijs benedicere, & nos in integrum vt anteà restituere. Nam & ars medica Dei donũ est erga homines amplißimum, vt est Eccles. 38. vers. 2. cuius magna sunt effecta: & sæpè anteà atque ẽt nunc, Deo concedẽte, multos huiusmodi intoxicatos illa sanat. Quòd si postquam omnia legitimè explorauerimus, nõ succedit, ad Sortiarios tamen nullo modo confugiendum est, neque malo nodo malus, vt aiunt, aut ẽt peior cuneus quærendus, nec vt corpus saluũ habeamus, debemus animum perdere. Id quod hodiè faciunt, tamen nimiùm multi impij illi quidem & perfidi. Quid igitur? Patienter Dei auxiliũ expectandum est, ab eius prouidentia de-

pendendum. Nos igitur illi totos committamus, ardenter inuocemus, & suspiremus ad eum, vera animi cõuersione ad eum accedamus. Ille enim succurret quãtum nobis ad suam gloriam animæque nostræ salutem vtile esse viderit. Deniq; hoc tãdem animo habeamus persuasum, eum esse vnũ qui in manu sua mortis & vitæ nostræ exitus ingressusque, vt loquitur scriptura, habet, quod vt certissimè credamus, est etiã sæpissimè à Dei Spiritu repetitum Psal. 37. vers. 5. 27. vers. 14. 50. vers. 15. Eccl. 8. vers. 8. Psalm. 68. vers. 21. Scit igitur ille quo modo in nobis glorificari velit, quod, quantũq; vitæ nostræ tempus constituerit & esse debeat, & quatenus nos interim castigari oporteat. Itaq; eius sapientissimo consilio acquiescamus. Nec enim tentatio plusquã humana nos correptura est, quemadmodũ ille pollicetur 1. Cor. 10. vers. 13. Quãdo enim cum huiusmodi malis conflictamur penè immedicabilibus & desperatis, maximè ex Dei verbo cõsolationes sunt quærendæ & nobis proponendæ.

ANT. At quo pacto istorum hominum furorem & ingenium euitare tandem poterimus?

THE. Nullum est aduersus eos medicamentum, Antoni, nulla potio, nullũ præ-

ceptum,

ceptum, quod de ea re, quam quæris, certum diffinitumq́ue sit, hoc vno excepto, vt nos ardentiſsimè quotidiè ſingulisq; momentis, vitamq́ue noſtram Deo Opt. Max. parenti noſtro precibus commendemus, ſiue manè è lectulo ſurgẽtes, ſiue cùm cubitum diſcedimus. Et quia impij illi ſatanicique hoı̃es nos & dum bibimus, & dum edimus, & dum incedimus aſtutè & clàm intoxicant, oportet ex pręcepto Pauli, nomine Dei priùs per Chriſtũ inuocato hæc oı̃a agere, non aũt eo pręter miſſo quid tentare aut aggredi. Nam ſi nos in Dei tutelã commiſerimus, qui eſt ſummus rex, pater ꝓſpiciẽtiſsimus, & qui ſatanã ipſum eiusq; vires frenat & cohibet, angelorum exercitum nobis ad cuſtodiam circumfundit. ſi inquam, ille pro nobis eſt, quis nocebit? Quod ipſum teſtatur Scriptura, *Si Deus eſt pro nobis, quis contra nos?* Ro. 8. verſ. 30. Itaq; inprimis diligenterq; meditanda eſt illa Dei promiſsio dulciſsima & excellentiſsima, quæ nobis per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum facta, extat diſertiſsimis verbis in Pſal. 91. ita à Bucchanano expreſſa:

Si protegendam conſilio Dei
Credas ſalutem, rem, ſobolem, domum,
Inſana cùm ſors intonabit,
Si Domini fugias ſub vmbram,

Securus omnem fer violentiam
Sortisq; mortisq;, & terrificas minas
Contemne, securus tumultum
Despicias creperi duelli:
E fraude cæca te Deus eximet,
Frangetq; casses insidiantium.
Nec sæuiens latè venenum
Lethiferæ patiere pestis.
Expandet alas te super, & suis
Pennis fouebit rebus in asperis:
Certusq; promissæ salutis
Sub clypei latitabis vmbra.
Nec te nec ædes vis propius tuas,
Nec damna tangent. Nam Deus angelos
Custodiæ tuæ salutis
Præficiet, vigilesq; ad omnes
Motus, viarum qui reserent moras:
Qui per salebras te manibus ferant,
Nec saucietur pes recussus
Obijcibus scopulorum acutis.
Securus atras inter & aspides
Deges, &c.

Atque hic est verissimus tutissimusque, meo quidẽ iudicio, modus per quem nobis ab istis caueamus. Quanquam non caret ratione quod quidam consulunt, ne facilè ab istis lædamur, nobis non esse familiariter cum ijs conuersandum, neque eos admittendos, quanquam illi nos affectentur nobisque parasitentur. Est enim hoc

genus

genus hominum adulantiſsimum & diſsimulantiſsimum qui præceptoris ſui Satanæ ingenium imitati ijs ſuauiter blandiuntur, quos conantur & ſtudent crudeliter & perfidè interficere. Denique hoc quoq; remedium & conſilium tanquam optimũ à me habeto, ne iſti noceãt: nimirum: Monendos eſſe rerum capitalium iudices omnes, præſertim verò ſummos & qui Parlamentorum conſiliarij ſiue ſenatores appellãtur, vt prætermiſsis vanis quibuſdam & curioſis de ea re quæſtionibus, toti in eo ſint, vt diligenter iſtos inquirant, deprehenſos ſeuerè caſtigent. Nec enim ſæuior aut tetrior vlla humani generis peſtis eſſe dicíve poteſt, quàm ſunt Sortiarij, quos lex poſtrema tit. De Maleficis, Cod. vult à quouis agnitos comprehendi & in iudiciũ & vincula deduci, tàm horrẽdum hoc crimen ſemper viſum eſt. Atque vtinam, Antoni, vt qui legum condẽdarum ius & poteſtatem à Deo ſunt adepti, ita in legibus ſuis poſuiſſent, vt ſumma de iſtis tàm apoſtatis & ſceleratis hominibus ſtatuẽdi poteſtas cuique in ſuo territorio iudici eſſet conceſſa, ne longa illa iudiciorum tela & variarum appellationum ſiue prouocationum, quas interijciunt, ambitu & anfractu tandem è iudicum manibus elaberentur.

Id quod euenit. Nam summa potestas concessa est cuique prouinciæ præsidi de latronibus & ijs qui ex insidijs nos aggrediuntur, quas assasinatores vocant, statuendi. cur nõ igitur & de ijs criminibus sine prouocatione vlla iudicandi? Quando longè peius, longeque intolerabilius crimen est eius qui veneno occidit, quàm qui gladio: eius qui clàm, quàm qui palàm & apertè nos inuadit. Hoc postremum est, Antoni, de quo pro tota huius nostræ disputationis coronide te monitum velim. Omnes iam ex superioribus omnibus perspicere & intelligere debere quantum nos Deo commendare debeamus & asiduè, ne in istorum hominum & maleficorũ laqueos incidamus, néve ab ijs lædamur. Sunt enim hostes & tectissimi. Quẽadmodum etiam de eo gratias eidem Deo agere debemus, quòd nos à tantis Satanæ tàm infesti aduersarij technis defendit, ne in eundem cum Sortiarijs errorem & nominis ipsius abiurationem miserè corruamus. Denique vides ipse, Antoni, quantis cum laudib. summi illius cœlestisque parentis infinita tùm bonitas, tùm etiam prouidẽtia erga genus humanum admiranda sit, celebranda atq; etiam prædicanda. Ac bonitas quidẽ summa in eo, quòd cùm tàm multi omni tempore

pore fuerint Sortiarij, qui tàm nefariè per fideq́ue eum apertè denegarint, Satanam pro Deo elegerint, vniuersum orbē prorsus funditusq́ue iam non perdiderit, id quod iustissimè potuit. Prouidētia autem admirabilis, quòd cùm Satan tàm studiosè conetur homines à sua salute, quæ in Deo est, abducere, & tàm potenter tamq; astutè etiam operetur, tamen Deus maiorem hominum numerum etiámnum hodiè mera sua gratia ab istius insidijs cōseruarit, istius vires cohibuerit, consilia dissiparit, denique effecerit efficiatq́ue vt sanior numerus vincat, cuius terrore impij illi cohibentur, ne lædant quantum velint, nec etiam electi ipsi & filij Dei propterea à fide dimoueantur, sed constanter perseuerent. Soli autem Deo immortali, omnipotenti, benignissimo, laus, honor & gloria in æternum. Amen. Nunquidnam etiam amplius à me petis, Antoni?

ANTO. Nihil quicquam. Abundè enim in toto hoc argumento mihi satisfecisti, cuius tanti beneficij nomine summas tibi gratias ago. Itaque vale, Theophile.

THE. Et tu quoque, Antoni.

FINIS.

EX IOACHIMI CAMERARII SENIO-
RIS PROOEMIO, IN LIBELlum Plutarchi, De defectu oraculorum, ad Adrianum Albinum, Illuſtriß. Principis Ioan. Marchionis Brandenburgenſis, Cancellarium.

CVM nuper hac ex Nemetum vrbe reuertens, tranſires, & me perpetua conſuetudine tua, humaniſsimè ſalutaſſes, recordari te puto, Adriane Albine, factę mentionis inter alios ſermones noſtros, cuiuſdam à me, de mirabilibus cogitationibus meis, quibus cauſam dediſſent narratiões tuæ ſuperiorum dierum, quando proficiſcens ad Rhenum huc veneras. Commemorauiſti enim tũc, quid apud vos compertum prolatumq́ue fuiſſet, de mulierum quarũdam veneficarum horribilibus facinoribus, deq́ue ſuperſtitionis incredibili efficacitate & eiuſmodi operibus, de quibus non modò ſolertiæ humanæ conſideratio quærens conturbari, ſed religioſæ quoque pietatis attentio

vacillare

vacillare quodămodo posset. Verùm hæc confirmatur quidem illa veritatis cœlestis diuinitùs patefacta doctrina. Sapiẽtia autem humana profectò in his veluti salebris prorsus adhærescit. Atque me ea repetentem animo quæ audiuerã ex te, perculserunt similia de alijs cognita. Nam qđ tu de consuetudine spirituum quadam occulta cæteris, ipsis illis infelicibus mulieribus manifesta, exposuisti, perquam multa alijs temporibus atque locis pariter deprꝫhensa, & atrocibus supplicijs vindicata esse constat. Extatq́ue liber cuiusdam titulo Mallei maleficarum, & Francisci Pici alter de Strigibus, in quibus huius generis exempla & plurima numero & factis teterrima leguntur. Atque ego me aliquando paulò antequam cubitum irem librum Pici percurrentem, memini noctem illam habuisse valdè grauem ac difficilem, obseruantibus animo terroribus varijs de ijs quæ ibi referuntur. Sed in vestris actionibus illud fuit in tristitia ridiculum de cuculla. Mihi verò post tuum discessum de istis ita multæ & variæ cogitationes obstrepere non destiterunt, vt non possem facere, quin de tota re anquirere & cõsiderare accuratiùs & diligentiùs instituerem. Ac primùm si Democriti autoritas, atque rationes,

tiones, quem Epicurus secutus est, aliquid valere deberēt, Res ista tota vt commentitia & inanis pro nihilo duceretur. Qui esse quidem statuit omnia simulachris seu imaginibus (ipse εἴδωλα appellauit) referta, sed inanibus atq; cauis, quæ si inciderent mirifica & absurda, animos imperitorum illis valdè perturbari. Itaque ad hæc visa, (quæ Catius quispiā Insuber, vt Cicero ostēdit, Spectra appellauit) discutienda iudicium & sententiam confirmari debere cēsuit, & ipsum in bustis eam ob rē sæpè pernoctasse, ēt interdū aliquid scripsisse accepimus. Cumq; aliquando terrendi ipsum cā adolescētes quidam ornatu furiarum circum bustum, in quod intrasse eum scirent, perstreperent atque tumultuarentur, placidè ille fertur, nihil cōmotus omninò iussisse ipsos ab ineptijs istis desistere. Aristoteles quoque naturā esse aliquam aīæ & spiritus talem, quæ sine corpore suo atq; proprio obuersari, aut corpus sibi aliquod fingendo circūdare posset arbitrio suo, haud scio an nequaquam concesserit. Platonici verò de his mirabilib. rebus ita mirabiliter disseruerunt, vt in Philosophiȩ disputationes ea, q̄ & aliena neq; consentanea essent, implicuisse videātur. Atq; vt quisq; recentissimus fuit horum, & ab eo cultu numinis diuini,

uini,quem Plato celebrat,alienifsimus,sic maximè ab hoĩm cõi sensu abhorrẽtia cõmẽtus est,atq; confinxit. Tota aũt ratio illa indè ducitur: Esse naturas quasdam medias inter diuinam atq; humanam interiectas, quas Dæmonũ nomine appellarunt. Hos autor ἐπινομίδιος, id est, appendicis librorum Platonis de legibus (nam de hoc dubitatum esse cõstat) cùm tertia & media in regione collocasset, aërium genus planè facit. Et tribuit his tàm lætitiæ, q̃ tristitiæ affectionem, cuius diuinum genus expers esse ait, facitque eos interpretes hominum apud Deos: sed posteriores ex igne etiam & aquis hoc genus produxere. Extantque Pselli de his spiritibus, quos planè aĩalia, id est ζῶα antiquitas fecit, scripta, cuiusmodi illa quidẽ, licet iudicẽt legentes. Neq; multũ discrepant ab his ea, quæ passim in Philonis Iudæi scriptis de his Naturis diuinitatis cuiusdã humanitatisq;, participibus leguntur: magis Platonissantis illius quidẽ opinione & sentẽtia, quàm sermone & elocutione. Atque hæ disputationes omninò corpora attribuunt spiritibus istis. Cùm aũt animæ natura sit Platoni quoq; sine corpore, alia erit nimirũ istorũ spirituũ, & alia aĩarum per se natura. In Phædone quidẽ & simulachra cerni quædã non quarumcũq;

sed

ſed futiliũ tantùm & improbarum aĩarum legitur, quibus corporib. inhęrẽtes ſordes ſpeciem quandam vmbratilem videndam exhibeãt, & Dæmones, quos genios aliqui interpretati fuêre, Gicero dubitanter, ille quidem Lares, adiungit exeuntibus è corporibus ſingulis, eos nimirum qui cuique ſortito obtigerunt, ſecundũ fabulam expoſitam in vltimo libro Rerumpublicarum. Atque huc id pertinere poſsit, de quo M. Antonium à quodam vaticinatore admonitum fuiſſe ſcribitur: caueret ſibi ab Octauiano Cæſare, Nam genio ipſius, genium Cęſaris eſſe formidoloſum. Hunc Dæmona eſſe eum, ſingulari quadam ratione aſſerit Plutarchus in libello de Socratis Dæmonio, qui in anima quidem inſit, ſed extrinſecus adueniat, & ab anima diuerſam habeat naturam, quam mentem communiter nominemus. Sic autem interpretor eum qui Græcis νȣ̃ς eſt. Fecerunt autem bonum genium, id eſt ἀγαθὸν δαίμονα, & κακὸν, malum, vndè & εὐδαίμονες felices, & infelices κακοδαίμονες dicti fuerunt. Nam & fortunę & fati ſignificationem habet nomen Græcum, vt δαίμονι δὲ οἷος ἔησθα. Et παρος τοι δαίμονα δώσω. Et Phœniſsis ἔδωκε τῇ τύχῃ τὸν δαίμονα. Heſiodus quidem Saturniæ ætatis ſobolem Dæmones euaſiſſe ait, cuſtodes

custodes generis mortalis. Nimirum bonos hos. Nam, vt diximus, malos quoque esse aliquos perhibuerunt, naturas quasdam, vt tradidisse Xenocratem Plutarchus scripsit, in libro de Iside & Osiride, ingentes illas quidem ac potentes, sed sæuas atque tristes. Quorum cultus esset obseruatio eorum dierum qui atri à Latinis, ἀποφράδες à Græcis, sunt appellati, & aliæ quædam operationes sacrorum lugubres aut obscenæ. His enim istud genus delectari, & intereà ab alijs grauioribus malis vacare. Atque disputat ibidem ille autor apud Homerum Dæmonis nomen ita vsurpari, vt indicetur mista quædam, atque inæqualis natura ac voluntas. Sed & sine dubio hic Poëta nomine eo de Dijs vsus. In conuiuio Platonico exponitur definitio seu descriptio quædam huius naturæ, & perhibetur, quicquid Dæmonium sit, id esse medium interiectum inter Deum & mortale genus, eamque habere potestatem atque vim, vt interpres sit ad Deos & homines aliqua. Nam simpliciter Deum & hominem coniungi non posse. De qua & alijs similibus mentionibus Dæmonum Platonici illas longas atque obscuras & inextricabiles telas narrationum detexũt. Quod autem dicitur in 9. libro legum, non esse

animas pauciores mundũ hunc admini-ſtrantes duabus, vna benefica, & altera contraria, aliam fortaſſe ẽt ſnĩam habeat, malorum tamen bonorumq́; genera atq; cãs omninò indicat. Et eſt iſtud Platonicũ genus dæmonum omninò aĩa quædam cum corpore aërio. De imaginibus verò ſeu ſimulachris ſiue viſis atq; ſpectris, qui Platonica ſcripta ſuis cõmentationibus explanare voluerunt, quã mirificè diſſeruerũt? Docent hi inter alia: Simulachra ſeu viſa illa res quaſdã eſſe conſiſtentes, quas quadam arte dæmones fabricentur. Sic enim Proclus: *κατὰ πλάτωνα αἱ ἐμφάσεις ὑποστάσεις εἰσὶν εἰδώλων τινῶν δαιμονίᾳ μηχανῇ δημιουργούμεναι.* Quæ ſanè audacter dici in Philoſophicis diſputationibus videntur. Atq; hoc modo nihil loci relinquetur vllarum cauſarum veſtigationi, cùm ad oĩa in promptu ſit diuina quædam efficientia, neque malè reſponderit, qui in ſcholis deriſus fuit, cùm interrogatus: quo pacto exiſteret nix? diceret: Quia Deus ſic voluit. In diſputationibus autem Philoſophicis, ad captum ingenij humani benè & vtiliter diſtinctæ fuerunt nominibus res diuerſæ, vt conſiſtentes & veræ, *ὑποστάσεις*: apparentes & vanæ *ἐμφάσεις* vocarentur. Vt facies hominis, verbi cauſa, *ὑπόστασις* eſt, in ſpeculo autem

huius

huius imago, ἐμφάσεις. Hæc confundi ineruditũ, & facere ex somniorum ẽt visis res consistentes atq; veras, ridiculũ quoq; videtur. Haud ẽt scio an aliena ista sñia in Platonica decreta implicetur. Quæ vt exculperent quod vellent quiq;, q̃ variè & dissentaneũ in modũ enarrunt? Nã & λογικῶς, id est, argumentãdo tantùm illa conantur explicare, & exẽplis illustrare πραγματικῶς, Et θεολογικῶς indicare, quæ sunt fabularum Poëticarum applicationes, Et demonstrare φυσικῶς, id est causis redditis naturalibus, & cumulare hęc omnia Aegyptiacis cõmentis. Pudet me sanè nequaquam abhorrentem à Platonica Philosophia talium explicationũ, quibus miscendo & inuoluendo oĩa, quasiq; præstigijs fucisq; faciendis illa familia delectata fuit, non illustrans sñiam autoris, quẽ sequi se profiterentur, sed obscurãs. Ac miror si illi ipsi explicatores habuerũt certi exploratiq; aliquid, quo tanq̃ firmo fundamento cogitationes eorum niterentur. Et scriptores tamen quidam Ecclesiastici nugas has amplectẽtes, in doctrinam sanam cœlestis veritatis ista, veluti ægrotorũ somnia, inculcarunt. Quæ volentib. perscrutari negocij facessere & laboris exhibere plurimùm poterunt, cũ sumo in studio attentioneq; id vnũ hinc pcepturus

aliquis sit, vt quo pertinacius in ea incubuerit, hoc maiore dubitatione de rebus diuinis & humanis compleatur. Atq; sunt omninò Platonis nonnulla scripta & Platonicorum pleraque omnia eiusmodi, cuiusmodi fuisse ille autor perhibet priorũ, Zenonis, Parmenidæ, Heracleti, Empedoclis. Qui communis modi hominum multitudinem, atque etiam Doctorum vulgus paruipendentes, vel despiciendo etiã negligẽtes, nihil curarint assequi ne possent, hi legentes scripta sua, quid sensissent, an non possent, cum nihilo minùs ipsi pertexerint enarrando à se quisque instituta. Itaque ex his ipsis vel ætate vel animo iuuenili exultans aliquis, scientiæ copiam se putat haurire singularem, & ea admodum gloriatur. Qui verò singula indagant accuratiùs, & comprehendere stabilem atque veritate fundatam cognitionem volunt animis sedatioribus, ij exhiberi plurima sic experiuntur, vt secundum Prouerbium Græcorum iubeantur retinere diligenter id quod non acceperunt. Sed nos de Platonicis Dæmonibus quod restat persequamur. Platonem igitur: siquidem animam probam, iustam, sapientem, & alteram improbam, iniustam, insipiẽtem introducit: facere itidem & bonos & malos dæmones,

non

non fuerit dissentaneum. Verùm in Cratylo cum nominis originem ille deducat à scientiæ & intelligentiæ verbis, & prudentiam huic generi tribuat, qua præditi φρόνιμοι à Græcis appellantur, & argumentetur: Qui ita sint, eos bonos omninò esse, cùm præsertim ab aurea hominum ætate Hesiodus dęmonum nationem quasi propaget: Has igitur ob causas planè genus totum bonitate comprehendit. Sed hæc fortasse explicari sic possint, vt tàm animæ communis quàm huius singularis dæmonum, senserit Plato naturam esse præclaram atque bonam, corruptelam verò & labem ab vtriusque voluntate praua accedere, &, vt ita loquar, inolescere. De quibus hoc loco plus verborum fieri non conuenit. Dæmonibus quidem certè administris vtitur vniuersa superstitio vaticinationum & aruspicinæ, auspiciorum, consecrationum & execrationum, carminum quibus aliquid incantatur, & excantatur, ariolorum denique & Magorum. Id quod Plato in Symposio duobus verbis μαντειῶν & γοητειῶν indicauit. His & Dæmonium Socratis adiungatur, de quo quidnam fuerit, multi quæsiuerunt, cùm ipse in Phædro vocem prohibentem aliquid audire se esse solitum dicat. Sed de his posteà fortasse

 plura.

plura. Nunc ad animarum mentionem reuertamur, earum quidem quæ & in hominum mortalia corpora aduenire, & indè recedere ex veteribus Pythagoras & hunc secutus Plato perhibuerunt, de sententia prisca Chaldæorũ, vt fertur. Quæ si & cernuntur & ipsæ aliquid perpetiuntur ab ijs rebus, quæ solidæ sunt, vt ferrum, ignis, vepres, aquæ, queadmodum de cruciatibus harum traditur, vel corpus eas vel corporis reliquias aliquas habere oportet. Nam illud ętherium vehiculum, id est, ὄχημα animæ, quod corporis instar in his esse quidã volunt, & aurai simplicis ignis, secundum Poëtam, non esse potest eiusmodi vt externas tales plagas sentiat. Sed hæret in quibusdam, q̃ sese in corpus penitus implicuerunt, de hoc ipso plus aut minus scilicet. Nam quemadmodum Poëta ait, Etiam

———Supremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris nec funditus oẽs
Corporeæ excedunt pestes. penitusq́ necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergò exercentur pœnis, veterumq́ malorum,
Supplicia expendunt, aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos, alijs sub iurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Sed Poëtarum & Philosophorum similes fabulas omittamus, Ad quas enarrãdo conformandas, cùm ingenio est acri, tùm

multiplici

multiplici ſtudio & ſingulari induſtria opus, quæ in hanc cõferri partem haud ſcio an nequaq̃ debeãt à ſtudioſis ſapientię. Cicero præclarè ſcripſit: Vt Deos eſſe natura opinamur, ſic permanere aĩos arbitramur. Sẽtit.n.eſſe inſitum hoc naturaliter oĩbus, quòd ſit numen diuinum, & ſimiliter aĩæ natura immortales. Cætera compoſita ad puerorum & imperitorum terrorẽ putat. Homericæ quidem aĩæ ſimiles vmbrarum aut viſis ſomniorum, & ſimulachrum illud Herculis apud inferos, qui ipſe frueretur coniugio, Iuuentutis in cœlo, vt commẽta ſunt fabularum, ſic credendum, aliqua eſſe cãm, qua de cã illa confiƈta fuerint. Nã non modò dormientibus ſed vigilantib. quoq; ſpecies aliquas obuerſari, ſi quis neget, is nimis audax, vel temerarius potiùs eſſe videatur. Quod Pentheo erroris obieƈtũ fuiſſe, quod Mænadas illas ad ſcelera immania incitaſſe Tragœdię perhibent, Nũquid ad externam aliquã maleficam vim referẽdum? Oreſtis verò furias & his ſimiles exagitationes, quamuis M. Cicero ad animorũ terrores cruciatusq; referat: non ideò tamen nihil iſtiuſmodi reuera exiſtere atq; accidere aſſeuerari debeat. Cùm autem carminibus quibuſdam & ſine etiã his vltrò figuræ quaſi excitatorum mortuorum

ante oculos ponerentur, & ex eo de animarum natura corporibus relictis superstite, sententia confirmata est. Et superstitio conualuit euocantum has & sacrorum, vt ita loquar, mortalium. Qualis est Homerica νεκυία & quæ νεκρομαντεία vocatur, & ψυχαγωγῶν atque νεκροπομπῶν præstigiæ. Loca etiam his actionibus peculiaria dictata fuêre, vt, verbi causa, Tænari in Laconica. De quibus omnibus ad explicandum oratione esset opus prolixa, requirente illa quidem peculiarem tractatiōem, cui modò non est locus. Homerum quidem non vmbras vocasse animas monent Grammatici, quod Maro fecit, sed quasi vmbras & somniorum visa. De his igitur imaginibus seu simulachris ea est antiquitatis quã longissimè retro opinio, & omnium persuasio, vt qui deridere hæc cum Epicureis audeat, is improbus & leuis, qui seriò argumentando euertere conetur, nimis confidens esse videatur. Quales autē istæ imagines & cuiusmodi vel visa vel spectra illa sint, ratione perquirere non fuerit à studio sapientiæ & veritatis alienum. De Euthymo pugile & superato ab ipso fugatoque Dæmone Temesæo, quid traditum sit explicatores docent prouerbij: Temesæus Dæmon. Extat Philostrati liber, cui autor

nomen

nomen fecit Heroica. Vbi de Protesilao, cum quodam Elæusio familiariter versante, & Palamede cũ Iliensi altero mira narrantur. Sed de Achille & Helena & Patroclo, qui insulam Leucen incolerent, multò etiam mirabiliora tàm ab hoc quàm alijs. Horrenda etiam, ab hoc, de Iliaca puella adhuc sola reliqua ex Priamidarum & Dardanicarum gente atque sanguine ab Achille discerpta, & Amassonidibus in insula sua deletis, quæ fanum spoliare vellẽt. Hæc non dissimilia sunt fabulis Poëticis, vt Polydori Euripidei, & Hectoris Maroniani. In Luciani autem Dialogo qui inscribitur φιλοψευδὴς ἢ ἀπιστῶν, quamuis derideantur ab illo suo Tychiadæ persona omnia, cùm alia incredibilia narrãtur, tùm eadem quæ in quadam Plinij Epistola ad Suram. Iam ille apud eundem Pelichus vlciscens furem stirpis suæ, & Heroës Delphici profligantes copias Gallicas, quid aliud feruntur fecisse, quàm quod de nostrati quodam dicitur Præsule, qui quendam principem virum, detrahentem aliquid de possessionibus consecratis, percussum claua, mortuus viuum interfecit. Nónne autẽ Plutarchus Cimone scripsit, quodam in patria sua Damone per fraudem interfecto in gymnasio, diu esse

simulachra ibi conspecta, & auditos gemitus atq; eiulatus. Foribusq; tãdem eius loci obstructis, nihilominus ibidẽ posteà cùm visa apparuisse, tùm sonos auditos esse absurdos & terribiles. Quæ aũt in eodẽ de Cimone libro à Plutarcho de Pausania Spartiata cõmemorantur, placuit cõuersa in latinum sermonẽ subijcere. Fertur Pausaniã Byssantij virginem nobili genere natam Cleonicen nomine accersisse ad turpem consuetudinem. Atq; parẽtes necessitate quidem ac metu filiam suam dimisisse, Eam verò ab ijs, qui ante conclaue seruabant, impetrasse, vt lumen remouerent, atq; ita in tenebris cum silentio accedentem ad lectum, Pausania iam dormiente, offendisse ad candelabrũ, idq́; euertisse inuitã. Perturbatum aũt strepitu Pausaniam eduxisse appositam siccam, & quasi inimicũ adorientem se percussisse & prostrauisse virginẽ illam. Quam de ictu eo mortuã, non siuisse acquiescere Pausaniam, sed simulachro quodam noctu obuersantẽ ipsi in somno, pronunciasse iracundè versum Heroicum hunc:

Ius subeas, valdè est iniuria res mala cunctis.

Id facinus vel maximè ægrè ferẽtes socij, duce Cimone oppugnando ipsum eiecerunt. Isq́; amisso Byssantio, cùm, vt fertur, pergeret

pergeret visum illud turbare eum, cōfugit ad Necromanticū Heracleæ. Vbi aīa Cleo nices euocata, iram illius deprecatus. Hæc verò & cōspectui ipsius sese obtulit, & breui fore dixit, vt malum illud cessaret, vbi Spartam redijsset, tacitè nimirum indicās mortem ipsius. Fuit auorum nostrorū memoria bellator gloriosus Scythicæ gentis Tameralanus, immanitate, crudelitate & sæuitia celebris. Is in vna à se condita vrbe collocarat vndique adductos ex deuictis populis opifices, qui ibi seruili conditione suā quisq; artē exercere cogebantur. Mortuo aūt Tameralano, audita sunt lamenta miserabilia ad sepulchrum ipsius, totis noctibus. Tum Sacerdotes monuerunt filios mortui, vt seruitutē opifices illos liberarēt. Quo facto nihil posteà auditum amplius esse accepimus. De C. autem Cæsare, cognomento Caligula, hæc Suetonius scripsit: Cadauer eius clàm in hortos Lamianos asportatum, & tumultuario rogo semiambustum leui cespite obrutum est, posteà per sorores ab exilio reuersas erutum, crematum, sepultumque. Satis constat, priusquam id fieret, hortorum custodes vmbris inquietatos. In ea quoque domo, in qua occubuerit nullam noctem sine aliquo terrore transactam, donec

donec ipsa domus incendio consumpta sit. C. verò Gracco quemadmodum scribit Cicero, quæsturam petenti T. frater visus est in somnijs dicere: Quam vellet cunctaretur, tamen eodem leto, quo ipse interijsset, esse ei pereundum. Sed de somniorum visis nunc non disseremus. De quibus & aliorum extant disputationes & Synosij liber. Persuasum autem fuit omnibus seculis, & vbique locorum ferè ac gentium, aliquibus, mortuorum animas ipsas post vitæ exitum adhuc obuersari, & sæpè cerni specie hac aut illa, plerunque autem vel miserabili vel terribili, sæpè non cerni, sed audiri tantùm voces, sonos, strepitus, fremitus, tumultus. Itaque & Saulum Regem Iudæorum legimus Samueli animam curasse euocandam, quam & videre & prædicentem quædam audire se crederet. Neque est ambiguum, quin talia acciderint, cùm nostra ætas experta sit, & nunc quoque istiusmodi passim fieri comperiatur. Neque tantùm certis in locis conspectum & auditum tale quippiam esse scimus, sed certò cognouimus quasdam personas assectata esse illa simulachra, à quibus ipsis solis cernerentur. Cuiusmodi si vellem, omnia nota atque comperta & audita fortè ab alijs, lectaque in multorum libris insererе,

rere, facilè possem ingens volumẽ perscribendo efficere. Sed cùm res ista satis planè demonstrata sit, pluribus commemoratis nihil opus fuerit. Atque ea res sanctam quoque Ecclesiam Christi non parùm conturbauit, introducta assertione Platonicarum nugarum de purgationibus animæ, quæ è corpore excessisset, & constituta veneratione mortuorum quorundam hominum, pietate quidem religiosa, atque virtute excellentum, sed nihil tamen nisi hominum: In quibus errores superstitionis ijdem sunt, qui aliarũ gentium animos occupauerunt. Quid enim obsecro differre aliquis putet à Trophonij Lebadiæ antro, specum Patricij in insula Hibernia? aut fabulam Thespesij Solensis apud Plutarchum in libello de ijs, qui seras pœnas darent numini diuino, à fabula Tondali cuiusdam? Nunquid verò vt quondã in templo Aesculapij & alijs incubantes, & huius illiúsve Dei auxilium petentes, aliquã vim senserunt superantem humanam: Sic mutato cultu illo numinis diuini, nihilominus tamen ad fana confugientes & implorantes opem eorum, quibus illa facta & dicata essent, ea fieri experti sæpè sunt, quæ ab hominibus effici non possent. Quibus quidem timidiores perniciosa supersti-

tionis

tionis labe infecti, audaciores ad impiam confidentiam prolapsi fuerunt, adeò vt illi in falso metu, neque animis acquiescerẽt, & non dubitarent facultates suas profundere arbitrio eorum, qui istarũ fabularum essent architecti, & singularia vitæ genera persequi: Hi nihil esse reliquum post mortem in terris ab homine statuerent, & hinc ad rerum diuinarum humanarumq; contemptũ & incuriam proueheretur. Quod si quis non dubitet, nunc quoq; affirmare, visa ista inania esse, & similia atq; vniusmodi ea quę dormientibus & vigilantibus offerãtur, quemadmodum Epicuro placuit: Eum tàm multa refellere posſint, vt argumentatione nihil opus esse videatur. Quid enim huic loci? vbi de quo agitur, id sensibus deprehenditur. Sed Epicuri tamen rationes videamus. Qui cùm affirmet iudicium sensuum esse certisſimum, vsq; adeò vt sit:

——*Quod in quoq; est his visum tempore verum.*

quemadmodum Lucretius ait, censet tamen non omnia, quæ nos afficiant, quæq; intueamur? veritatem semper habere. In quo hoc est bellum, Sensus non falli retinendum esse, quamuis cur quadrata è longinquo rotunda videantur, ratio afferri nequeat: & præstare, secundum eundem

Lucre-

Lucretium, mēdosè reddere cauſas, quàm violare fidem ſenſuum, quod fundamentum ſit vitæ ſalutisque. Sed non eſt nunc propoſitum in doctrinam vllius accuratè inquirere. Epicurea ergò perſequamur. Cùm ea autem vim iudicij tribuant ſenſibus vniuerſam, Hoc tamen etiam, Senſus, inquiunt illa, mollis res eſt, & fluxa & erroris capax. Cogitatio autem ipſa animi multò etiam acrior atque celerior, quę ſenſum commouere ſolet, ac conuertere ad quamlibet ſpeciem inanem & rei nequaquam conſiſtentis. Nam vt facilè vera figura exprimitur, ſic cùm animus hominis comprehendat id quod effingit & quod effingitur, in promptu maximè eſt, tunc vt ipſe variando quiduis conformet. Perſpici id poſſe de ſomniorum in dormientibus conuerſione multiplice, parte illa in qua viſa repræſentantur, quod φανταστικὸν Græci vocarunt, leui initio ſe conuertente, & exiſtentibus ſomniorum varijs affectionibus ac ſimulachris. Atque partis illius eam eſſe naturam vt moueatur continuè, & motum illum eſſe viſa quædam atque cogitationem. Longum autem eſſet ſimulachrorum ſeu imaginum commenta Epicurea percenſere, quas oĩbus ex rebus emitti, & ante oculos

volitare

volitare illa sapientia insaniens, secundum Horatium, ait. Cùm constet autem, non esse visa ista prorsus inania atque vana, idque ijs in sensus incurrentibus comprobetur, missa faciamus simulachra Epicurea, & alia consideratione de his vtamur. Scribit Diodorus Siculus lib. 3. In Africæ locis supra Syrtin certis temporibus & maximè tranquillis & serenis, conspici in aëre variarum animantum apparentes species, alijs quiescẽtibus, alijs se commouentibus, ita vt modò fugiant, modò insequantur. Magnitudine autem esse ingentes & mirabiliter terrere atque perturbare insuetos. Quos enim assecutæ corripuerint, eorum has corporibus circumfundi cum frigore & trepidatione. Hos externi propter insolentiam cum percellantur vehementer, incolas nihil moueri, atque totum istud vsu familiare ab eis contemni. Narrant nauigatores, in ijs locis quæ extra æquinoctialem circulum occasum versus incoluntur ab hominibus feris, & qui interfectorum carnibus vescuntur, vagari istiusmodi monstra, atque grauiter populos illos affligere. Qui nulla alia re magis defendantur quàm igne. Iam quis dubitat verum esse, quod de Suedicis monstris perhibetur, in quibus sunt & ministrorum

asiduæ

aſsiduæ & vtiles operæ. Audiui ego de patre meo, qui diceret ſua memoria talem miniſtrum habuiſſe ex Nobilitate Equeſtri noſtræ gentis vnum, & quodam tempore fugientem eum hoſtes ereptum præſenti periculo, abducēte miniſtro illo per amnes, & ſyluas, monteſque inuios, Atque ita cognitum fuiſſe, quòd conditio ipſius humanam ſuperaret. Dimittente autem eum nobili illo & interrogante, quid mercedis ſibi dari vellet, petijſſe hunc aliquid de corpore Heri. Quo reſpondente: ne capillum quidem ſe traditurum, nihil illum miniſtrum dixiſſe profuturum ſibi capillum, qui cauus eſſet, præciſos tamen vngues accepturū ſe eſſe, Ludibria ſunt iſta, quis neſcit? Sed de hoc non quæritur, ac illud modo ad oſtendendum propoſitum eſt, verſari in terris, & hominum rebus negotijsq; immiſceri, quaſdam naturas potiores & robuſtiores, neque eſſe hæc commenta tantùm fabularum, neque iſtas ſpecies inanes ſolùm atq; imagines, ſed & res quaſdam conſiſtentes & effectiones manifeſtas. Multa leguntur incredibilia de Apollonio Tyaneo Philoſtrati Lemnij. Irrideantur ſanè ea, q̄ de Lamijs memorantur, Empuſæ & Hecatæ fabulæ ad terrorē puerorum & imperitorum confictę putentur.

Tota vetuſtas mentita exiſtimetur de Lemuribus & laruis. Omnia viſorum monſtra in quibus Marci Bruti inprimis celebratur, pro nugis ducantur. Neque quicquam verè horum omniũ dici aliquis aiat, quia ipſe non viderit. Quis paulò prudentior hoc laturus eſſe videatur? Nam, vt de Hiſtorijs, quid verè aut falsò proditum ſit, defenſione ſua cõſtituere, ſic de opinione decernere facta aut non facta in hoc genere, nimis arrogans, neque longè à dementia abfuturum ſit. Eadem audacia negatur externa vi ſeſe inſinuante, vel vaticinari in furore aliquos, vel alia mirifica facinora facere. Quid? Totam oraculorum veterum facultatem nunquid contineri & efficacem eſſe tali quadam incitatione extraneæ naturę oportuit? De quibus & aliarum complurium mentiones & narratio verboſa atque terribilis Lucani extat libr. 5. Qui verò fuêre apud veteres fanatici? quos ἐνθουσιῶντας & νυμφολήπτους, id eſt, vt opinor, ceritos & laruatos Latini vocarũt. An non Thyades illas, non furore Dæmonio inſtigatas: Non panicos tumultus excitatos ſimili vecordia cenſemus. Iam faſcinorum & carminum, id eſt ἐπῳδῶν, & eorum quæ amuleta appellarunt, qualis Syllæ paruula imago aureola fuit Delphico Apollini con-

ni consecrata, & annulorum, & quę Gręco nomine περίαπτα sunt, vires nullas vel fuisse vel esse, quis audeat affirmare, cum effecta tàm multa esse & effici constet. Sigilla, quæ Græcis στοιχειώματα sunt, & his similia, quorum effectus ad siderum vires atque potestates referuntur, non exagitabo, propter præclaram de Astrologica arte existimationem meam. Et si me non fugit superstitione esse & hæc & istiusmodi alia fœdissimè contaminata. Quam execrantes naturæ veritatem studebimus asseri. De quo nunc plura dicere non est opportunum. Olim tabe aut aqua, quam intercutem vocant, interemptorum liberi in aqua pedes demergere iubebantur, donec combureretur mortuus, vt tuti essent ab illis morbis. Et nuper medicamentum diuulgatum fuit, quo vulnus quamuis longè absentis sanaretur, si quis illo gladium aut telum certa obseruatione perunxisset, quo vulnus esset inflictum. Quid? Quod carminibus certis consecrati ictus cogniti sunt mortiferi, quamuis lōgè absentibus, sedita, vt si fortè aliqua salutari vi illam pestiferam vim propulsante muniretur is, cui strueretur calamitas, in machinatorē exitij conuerteretur interitus. Consulti aliqui de rebus ignotis, in Crystallis

 conspi-

conſpiciunt ea manifeſto, de quibus quæſitum fuit. Cuius rei exemplum, non poſſum facere, quin hoc loco recitem, de narratione optimi, pietateq́ue & prudentia pręſtantis viri Laſſari Spengleri Norici, nó ab alijs audita, ſed à ſeipſo cognita referentis. Fuiſſe, aiebat, ſibi notum vnum ex præcipua familia Norimbergæ, virum honeſtum ac grauem, quem hac in mentione nominatim indicandum non putauimus. Eum quodam tempore veniſſe ad ſe, & attuliſſe in ſerico panniculo inuolutam gemmam Cryſtallinam figura rotundam, & dixiſſe, donatam ſibi illam fuiſſe à quodam ignoto, qui ſe ante multos annos de hoſpitio compellaſſet fortè in foro conuétum, quemq́ue ipſe domum ſuam adduxiſſet, & triduo habuiſſet ſecum. Fuiſſe autem ab illo diſcedente & relinquente munus hoc ad ſignificationem grati animi, edoctum ſe Cryſtalli vſum talem: Si qua de re certior fieri vellet, vt promeret Cryſtallum, & puerum marem caſtum iuberet aſpicere, & ex eo percunctaretur, quid cerneret? Fore enim, vt de apparentibus puero viſis omnia, quæ requireret, indicarentur. Atque affirmarat hic, ſe nulla in re vnquam fuiſſe deceptum, & mirabilia de puerorum indicijs reſciuiſſe, cùm cæterorum nemo

quiſquam

quisquam aliud, quàm nitidam & puram gemmam intuendo videret. Quodam tamen tempore, cùm grauida ipsius vxor puerum marem gestaret in vtero, illi quoque species in Crystallo oblatas. Primò autem omnium formam viri sese exhibere solitam, eo habitu quo tùm communiter vterentur, in quo insigne esset capitis integumentum, cum fasciolis dependentibus (cappas nostri veteres laciniosas vocarunt.) Et ita deindè apparuisse, de quibus interrogatum esset, cætera. Explicatisque cunctis, illam rursum viri figuram discessisse, & euanuisse reliqua. Discedentem autem eam, quam diximus figuram viri, visam sæpè vrbem perambulare & ingredi in templa. Fuerat autem fama passim dissipata de illis inditijs, vt negantibus aut dissimulantibus suis delictum aliquod vulgò minarentur, se relaturos de eo ad illum in Crystallo se ostendentem virunculum.

Quin etiam compertum est, fuisse à doctis quibusdam de dubitationibus suis in literarum studijs aliquando, nescio quid propositum, & in Crystallo lectum. Sed his & alijs huiusmodi compluribus commemoratis, dixit Spenglerus hunc ad se aliquando venisse cum tali oratione: Arbitrari se tempus esse, vt à Crystalli tali vsu

tandem abſtineret. Nam & ſibi iam perſuaſum, eo ipſo non leuiter peccari, & animi pturbati cruciatus grauiſsimos ſe diu ſanè perpeſſum eſſe, itaq; decreuiſſe, ſe deinceps nihil cũ illo experimento velle negotij habere, & tradere nũc ipſi, quod accepiſſet, de quo meminiſſe poſſet, qd ſæpè ei demõſtraſſet, neq; neſciret, qui rumores in tota ciuitate pcrebuiſſent. Permittere aũt vt faceret de illo quod collibuiſſet. Tùm Spenglerus (valdè enim ſupſtitiones oderat) collaudato eo, accepiſſe ſe aiebat Cryſtallum, & in minutiſsimas partes contudiſſe, & vnà cum ſerico inuolucro in latrinam abieciſſe. Quid? quòd hominis mortui caput, poſt certos conſecrationis ritus, & ipſum reſpõſa dediſſe interroganti, non cuiuis illud quidem, ſed ſuo conſecratori tantùm, ſcimus. Atq; hæc ſunt in iſto genere præcipua atque inſignia, quo occulta ac futura explorantur. Cùm alij alia aſſumãt, quibus quaſi inſtrumentis prædictionum & cognitionis vtãtur, ſpecula, vngues, cribra, paxillos. De quibus ſi ocij temporiſq; tantùm fuerit, noſtras rationes aliquando ipſi quoque exponemus.

Quam ſunt admirabiles nunc quoq; effectiones, & olim Sortilegorum omnium fuerunt? Veniamus ad materiam ſermonũ noſtro-

noſtrorum, & quid deprehenſum prolatumque fuerit nuper apud vos conſideremus. Neq; eſt res iſta noua, ſed priſcis quoq; temporibus nota atque vſurpata. Nomina tantùm & voces mutantur, cætera ſunt eadem. Vidi puer in ædibus paternis hoīem nobis ex plebe familiarē, & audiui narrantem, ſe aliquando à vicina ſua fœmina, appetente conſuetudinem ipſius, inuitatum ſub veſperam ad lactis, more noſtræ gētis, ſecundas menſas. Cùm ergò inopinato ianua forte aperta acceſsiſſem, cerno illam, inqt, de cultello in parietem infixo, lac copioſum emulgentem, cùm me ipſa adeſſe nō aīaduerteret. Subduxi igitur me ſtatim clanculū, & poſtridiè excuſaui, expoſtulāte ea mecū, negotia mihi ſubitò tùm oblata. Sagas appellarunt veteres genus iſtud. Ad quas ptinent ἐγγαστρίμυθοι & στερνομάντεις circūferentes εὐρυκλέα, ſecundum Platonem. Et Hebraicum nomen talium habere ſignificationē ſcientię atq; cognitionis perhibetur, quale in noſtrati quoq; ſermone eis tribuitur. Sūt aūt ſupſtitioſæ inprimis, & pdicentes futura, & cōciliantes ſecūdos euētus, aduerſos auerruncātes. Ad q̄ ſacrificia cæſarū pecudum & ſanguinis effuſio olim adhibebatur. De qbus diſputarūt Platonici, ſpiritus illos nondū prorſus liberos

à corporũ mole, nidore cũ hostię adolerentur, & gustatu sanguinis delectari & capi. Quorũ his tẽporibus nihil in vsu est, cùm tamen obsequantur isti spiritus voluntati Magorum per alias superstitiosas obseruationes. Illa verò qualia & quam tetra fuerint, & quam habuerint incredibiles effectiones, adeò, ne alia referam, vt formas hominum aliarumque animantium mutarent, ac mortuis quoque corporibus restituerint vitam, eam sanè, quæ non modò non vera, sed ne certa quidem atq; firma esset, quamuis breuis: Hæc, inquam, si excerpta, de ijs, quæ passim extant, scriptis veterum exponere vellemus, permultę essent chartæ complẽdę eorum commemoratione, quæ à plurimis tradita sunt. Horatij autem de Canidia, & Lucani de illa, quam Erichtho vocat narrationes, & Apuleiana sunt in medio, quibus ad huius rei indicium nunc contenti esse poterimus. Vidi ego istum aliquando apparatum, qui nunc vsurpatur vniuersum, vincula, carcerem, tripodem. Nam Magi bonis spiritibus ministris vti se asserunt, itaque his aduersantes malos priùs impediri includendo oportere aiunt. Id quod fieri volunt circumscriptione notarum certarum & figurarum. Ad terrorem autem stringitur

nunc

nunc quoque ferrum, quod aciem illi spiritus huius reformident, propter id quod corporis instar eis adhæret. Atque haud scio an Herculis & Alcestidos morti ereptę fabula, Poëtæ eorum aliquid innuere voluerint, quæ à Magis mirabiliter effici viderentur. Sed de Sagis istis plura dicamus.

Scripsit Plutarchus Marium Imperatorem summum habuisse secum in exercitu, quę gestaretur in lectica, Syram mulierem Martham nomine, Hanc, quæ Romam aliquando venisset, & vaticinandi facultatem ostentasset, reiectam à Senatu fuisse. At illam in matronarum consuetudinem sese insinuasse, & Marij inprimis coniugis. Ad cuius pedes assidens in spectaculo quodã gladiatorum, cùm qui superiores quique inferiores futuri essent, prorsus respondente exitu, prædiceret, admirata, inquit Plutarchus, Marij coniunx ad maritũ eam curauit deducendam. Qui ipsam præcipuo secum loco habuit. Prodibat autem ad rem diuinam faciendam, cum puniceo amiculo duplice infibulato, hastam gestans, cum limniscata corona. Alia omninò nunc & dicuntur & geruntur ab ista misera & demente caterua superstitiosarũ mulierum, siue hæc futura se prædicere posse, seu occulta atq; tecta indicare pro-

 fiteantur,

fiteantur, ſeu etiam mirabiles res efficere pollicẽatur, vt tempeſtates ciere, morbos immittere & depellere, euolare aliquo ad cœtus familiares, in quibus Dæmones voluptarij aſsint, & hilariter iucundeque & vnà conuiuentur, & illis conſueſcant.

Compertum eſt quendam nocte lanium, qui ſunt ferociores plerique & audaciores, iter per nemus quoddam facientem, audijſſe intra arbuſta colloquia quædam laſciuiæ plena cum riſu & iocis. Ibi ille, quemadmodum ipſe poſteà recitauit, primùm conſiſtere, deindè accedere propiùs atque introſpicere, & tandem etiam introire.

Tùm verò ſubitò euanuiſſe conſpectas ab ipſo humanas ſpecies virorum & mulierum, relictis menſis extructis, cum poculis & cæteris vaſis epulorum & vini, in quibus & ſcyphi argentei viſerentur: Non voluiſſe autem ſe ita ſimpliciter diſcedere dixit, & veniſſe in mentem ſibi aliquid de ea copia, quæ ante oculos verſaretur, eſſe auferendum. Sublatis igitur ſcyphis duobus, ita tùm abijſſe. Manè verò ad Magiſtratum oppidi ſui ſcyphos eos detuliſſe, & quomodo illi ad ſe perueniſſent, demonſtraſſe. Magiſtratus ſigna agnouit eorum, qui in conſilio publico conuenire debe-

rent.

rent. Accersit igitur eos, & scyphos cognoscere iubet, si ipsorum sint. Agnoscunt & suos esse aiunt. & mirati quid de ijs factum sit. Iubet ergò domum eos ire & videre, nunquid suos fortè apud se reperiant. Eunt, non inueniunt. Redeunt & ereptos sibi esse indicant. Ita mulieribus ipsorum in suspicionem venientibus, comprehensæ illæ, & indicato sodalitio præcipuarum in eo oppido fœminarum, mirificæ res & incredibilia facinora exquisita cognitaq; fuerunt. Idem aliquando post Lanius, cùm idem nemus sub vesperam fortè equo vectus transiret, & ad illum locum à se dudum disturbatæ societatis peruenisset, obuiam se habuisse narrauit, equitem terribili specie, & impetum stricto gladio in se fecisse, cum quo, nam & se suum gladium eduxisse, fermè dimidiam noctis dimicando consumpsisse. Fuisse autem eam defatigationem suam, vt postridiè decumbens multis diebus in morbo lecto affixus iacuerit. Vidi arborem magnam & ramis densam, sed planè aridam ante oppidum, cuius in hac mentione nomen ponere non est visum, in qua conuenisse tale sodalitium, comprehensæ in maleficio quædam indicassent.

Iam

Iam suam aliquas Sagas formam in animalis alterius figuram mutasse, vt verbi causa, felis, traditum scimus. Tanta est enim exemplorum huius generis copia, vt eius toti plurimarũ chartarum libri compleri hi quidẽ possent, sed enumerari illa non possent. De epulis quidem lautiss. collatis & appositis, non fingi quæ nunc quoque memorantur, prouerbium etiam testari possit, Pasetis dimidium oboli, quod assis fermè erit precium. Habui notos homines, neque leues & non indoctos, qui affirmabant, se audijsse secum colloquentes dissertè, eos, quos tunc interuallo multorum milium pass. abesse certò scirẽt. Proditum etiam scriptis veterum, & narrationũ multorum nostris temporibus cognitum est, fremitus, strepitus, sonos tàm lætos quàm tristes, Musicas etiam symphonias & Citharæ modos, apparente nemine vspiam, venationesque in syluis auditas, obiectos etiam errores, & exercitus visos monstrosos constat. Ad quæ antiquitas Satyrorum & Faunorum appellationes accommodauit. De Hieronymi autem Moroni summi aliquando viri in Mediolanensis principatus gubernatione, annulo loquẽte, non fabula, sed certa historia alibi à me est exposita. Iam illa parua dæmonia obeuntia

dome-

domesticas operas puerilique specie sese interdum ostendentia, & siue grauiùs offendantur, seu tractentur lautiùs & exquisitiùs, statim discedentia, cum pręsente infortunio incolarum, si negare aliquis audeat obseruata, visa, audita, opera ipsorum manifesta deprehēsa esse: Is licèt nihil credat omnium verum esse, nisi quod ipse suis sensibus aliquando percepit: Et falsa confictaque omnia quæ de externis locis, animantibus, hominum moribus & vita traduntur: Et, quemadmodum Cicero ait, ea genera, quę in rubro mari, Indiáve gignũtur, nulla esse dicamus, quia nunquam vidimus. Sit igitur nobis vel minus præfractis atque duris, vel maius in his considerandis diligentibus & attētis, nequaquam dubium: Non modò naturalibus causis multa mirabilia effici, vel esse potiùs omnia in vniuersa natura admirabilia non negligentibus neque vecordibus, sed alia etiā accidere, quæ omninò aliundè, quàm de rerum natura oriātur, neq; huius quasi limitibus definiantur. Voco autem naturam in ijs, quæ subiecta sunt sensibus, motionis varietatem & perpetuam agitationem, ordine & ratione congruentem, & complectentem ortus occasusque & multiplicem in cunctis vniuersi mundi partibus

bus mutationē. De quibus omnibus, cùm intelligentia atq; ſagacitas mentis humanæ pleraque aſſequi comprehendereque nequeat, nihil vetat, quin qui diſputare & argumentando perquirere plurima velint, ij quam paucisſimorum ſcientiam adipiſcantur atq; teneant. Quamuis enim ea, quę oratione ad ſimilitudinem veri deflectuntur, aures perſuadendo compleant: non tamen his veritas etiam ſimul continetur, & firma ſtabilisque ſententia animis inſeritur. Quod non eo pertinere volo, quaſi eam ſapientiæ partem, quæ naturam & cauſas indagat improbem. Eſt enim ea in rebus humanis præclarisſima. Sed vt intelligatur intra ſuos fines illam conſiſtere debere, & ita perquirere occulta, ne euidentia conturbet atque obſcuret. Quòd, qui veterum diſputationes, de rebus præſertim diuinis, quibus tractatus ὀντίας, id eſt eius naturæ, quæ ſemper & ſimpliciter eſt inprimis continetur, leget, is non fruſtrà admoneri intelliget. Ex poſterioribus Platonicis haud ſcio an exiſtimatione valdè bona dignus ſit Syneſius. Is, vt aliorum commētationes omittam, quid? Eam vim quæ eſt in hominis animo viſorum atque imaginum, Græci φαντασίαν dixêre, ſpiritum ait eſſe animæ. Et hunc ve

attentione conseruari atq; vigere, nec non reddi meliorem, negligentia autem corrumpi atque deprauari, & ita fieri, vt vel felicitatem assequantur homines vel ad hãc certè appropinquent, quem finem esse religiosæ pietatis perhibet, cùm alterũ illud genus pœnas psoluat impietatis & contẽptus numinis diuini, qđ diuinitatis intra se particulam contaminarint. Cogitatio, inquit, & mentis intentio acuit spiritum & tenuem subtilemque efficit, qui talis idoneus deindè est ad diuinum spiritum attrahendum cognatione sua, quo animus consuescat. Sed ille animi spiritus vbi densior atque concretior moleq; sua coactus minor fuerit, quam vt ea loca quæ fabricatrix hominũ Prouidentia asignauit, complere posit (sunt autem ventriculi isti quidam in cerebro) Ibi cùm natura in nulla re admittat vacuitatem, Spiritus tunc malus ingeritur. Quid autem non acciderit? aut non perpetiatur animus? in familiari vsu tàm dici & execrandi mali. Hæc atque huiusmodi ferè Synesius disserit. Aliorum autem his similia qui volet, ipse cognoscat, quib. plerisq; omnibus diuina humanaq; cõfundi animaduertere licebit. Quid aũt obsecro dicemus, de ijs ipsis qui supra modum quasi acuere cogitando & à terrena concre-

concretione, quemadmodum istis placet, quam longissimè abstrahere illam imaginum vim, conati fuêre, cùm ex ipsis, instinctus malorum spirituum in plurimis plurimùm loci inuenerit. Sed de his verba facere supersedebimus. Redeoque ad rem: Et esse aio aliquid, de quo humana sapientia veritatem reperire nunquam potuerit. Quod in hoc mundo exerceat vim potestatemque suam mutando, peruertendo, distorquendo cursum naturæ. Vno omninò æterno & præpotente numine diuino (qui est solus & verus Deus, is quem Christiana religio colit atque veneratur & adorat) gubernante & moderante & regente cuncta, Ita quidem vt eius voluntati inseruiant atque præsto semper sint tanquam ministri, spiritus boni: permittente autem & cōcedente eo, mali spiritus multifariam exagitent, labefactent, conuellant, destruant, lædant, perdant creata atque condita ab ipso. Quorum tamen conatus longius progredi nequeunt, quam patiatur Deus æternus. Patitur autem hic & sinit interdū quasi laxando vincula quibus adstringuntur, excurrere sæuitiam illorum eo vsque, vt, qui considerant, mirificè perturbari soleant. Compertum est interitum calamitatémve, quæ magica superstitione strueretur

retur vni, conuertisse in alterum: atque etiam exitum pestemque paratam hominibus ad bestias redundasse, Sic tamen, vt interim homines quoque corriperentur. Quale est, quod exempli cã breuiter duxi referendum, cùm huiusmodi narrationes crebras huic nostro scripto inserere nõ sit consiliũ. Quodam in oppido venit Iudæus ad mulierculam anum, & petit ab illa, acquirat alicundè sibi lac muliebre, promittitque donum, si afferat. Hęc sibi notam alteram accedit, & rem ei exponit, quidque in mentem venerit sibi, vt Iudęus eludatur & donum tamen accipiatur, indicat. Habebat mulier illa scrophã lactantem, eam mulgent, & lac defertur ad Iudæum. Qui id quod statuerat cùm cepisset agere, audit grunnitum, & intelligit quid factum sit. Atq; tota ea vicinia sues fœda tunc lue interierunt. Re autem cognita, & de Iudæo & illis mulierculis supplicium tanquam veneficis in dolore recentis damni, quod homines eius regionis fecerãt, sumptum fuit. Quod autem attinet ad naturam spirituum quorundam eiusmodi, vt tametsi intra corporum moles non includantur, cùm libeat tamen speciem atque figuram corpoream circumdare sibi possint, Hebræorum scripta & esse tales & ho-

rum diſcrimina planè tradunt. Quib. tanq̃ cœleſtib. oraculis & Dei ipſius verbis fides eſt adhibēda. Non aũt hoc tantùm à nobis affirmatur, q Chriſtiani perhibemur, quorum religio autoritate & fundamēto illorũ ſcriptorum nititur, ſed veteres ẽt Græciæ ſapientes crediderunt, cùm audijſſent iſtius populi in venerando numine diuino pietatē & obſeruantiam ſuorum quoque Deum reſponſis celebrari. Ex quibus verſus huius ſententiæ refert Euſebius:

Soli Chaldæi ſapientiam habent & Hebræi,
Quippè Deum proprij generis caſtè venerantes.

Sed teſtimonijs iſtiuſmodi nihil eſt opus ſacris diuinisq; ſcripturis. Quib. religioſa fides ſimpliciter aſſentiri debet, curioſitas animi adminicula, quæ quaſi fulciant illa, quærere non debet. Atque Hebræi caſtos, & ſanctos, & illuſtres Dei æterni voluntati obedientes ſpiritus, excellente appellatione Nuncios vocarunt (Græco nomine hi Angeli ſunt) ſignificantes bonos ſpiritus inſeruientes iuſsis diuinis, cui ſemper ad obtemperandum & fungendum muneribus ſuis præſtò ſint. Vndè eos & λειτουργικὰ πνεύματα dici inuenimus. Quæ etiam filium Dei patris æterni λόγον συναΐδιον, exequentem arcani conſilij decretum atque ſententiam de humani generis & naturæ

rerum

rerum ortarum instauratione, Hebraicam Esaiæ de ipso mentionem conuertentes in Græcum sermonem septuaginta Hebræi, vt aiunt, μεγάλης βουλῆς ἄγγελον nominarunt. Atque hi sunt cœtus cœlestes & ætherei & beati. Contrarij aūt & hostes Dei æterni, inprimisque filij Dei inimici & aduersarij spiritus, prolapsi per impietatem à naturæ suæ integritate, & tenebricosi, & mali, & huius mūdi principes vocātur, infelices & condemnati ad supplicia sempiterna caliginis horrendæ, quam Abyssi noīe significarūt, respondente ei Tartari Græcorum voce. Atq; eius cateruæ quasi caput Hebręi Satanā, Græci Diabolū appellarunt. Et spiritus istos religiosa pietas Dæmones atq; dæmonia interpretās Hebraica significantia alicubi cōmentitiam diuinitatē, q̄ diuinitas nequaq̄ esset, quasi deridendo ficta numina aliarū gentiū, alicubi calamitatis damnorūq; & omnis miseriæ causam, alicubi ēt vim quandam impetu suo quasi inuolantem & tanq̄ fulmen præcellentē atq; vastātem. Vtriusq; aūt generis ea vis ac potestas est, vt volente ac p̄mittente Deo ęterno, cùm nō exhibendo offerendoq; se conspectui forma cadente sub sensus, tùm quā placuit figuram ostendendo mirificas res efficiant. Atq; ante id tp̄s, quo patefacta est

arcana ſententia Dei de genere humano liberando & reconciliando, quando ſecundum hanc filius Dei in hunc mundum ſe demiſit, & ſibi humanam naturam ita copulauit, vt natus in terris virgine matre, vnus Ieſus verè eſſet Deus & homo: ante hoc, inquam, tp̄s, peſtiferum ac malum ac ſceleſtum genus ſpirituū: quos Dæmones ac Dæmonia appellari diximus, maiorem quaſi dominationem quandam habuit in homines, & his audaciùs licentiusque illuſit. Quippè cùm fraudes omnes occultæ & tectæ eſſent, atque ſub diuinitatis opinione laterent, adeò vt cōſuetudines cum his ſexus vtriuſq; p̄dicabiles & glorioſæ haberētur. Vt (ne ſingillatim multis recēſendis, longior ſim, id qđ modò vitare conſtituimus) cum Nymphis, & ijs quæ Deæ perhiberentur concubitus: Et tàm cœleſtium quàm terreſtrium marinorumque numinum cum mortalibus mulieribus. Hinc enim illud:

Huic mater quamuis atq; huic pater aßit:
Orphi Calliopeia, Lino formoſus Apollo.

Et hoc:

Regina ſacerdos
Marte grauis geminam partu dabit Ilia prolem.

De quibus diſputatio copioſa extat in Plutarchi Numa. Quid familiaritate taliū

ſpirituum loquar, qua & lætatos quoſdam & rebus difficilibus adiutos, quoſdam etiam ab irritatis atque offenſis afflictos, attritosque eſſe accepimus. Quæ quidē eiuſmodi fuêre, vt quaſi conceſſo quodam iure in orbe terrarum regnarent ſpiritus illi oppreſsis hominum mentibus atque corporibus, vt neque iudicium, neque intelligentia, neque ratio, neque voluntas libertatem integritatemque haberet, & ſenſus affectionesq; corporis arbitrio alieno ſeruirent. Nato autem filio Dei in terris, cùm ille ita adiunxiſſet diuinæ naturæ ſuæ humanam naturam, vt ambæ in vno homine Ieſu copularentur. Qui & deſtinatus ab initio & diuinis oraculis promiſſus fuerat, rex omnium gētium ex Dauidica ſtirpe in terris ortus, nomine Hebraico Meſsiæ, quem Chriſtum Græci interpretati ſunt: In quo ipſo ēt improbitas atq; malitia ſpirituum iſtorum peruertendo & euertēdo nihil omiſit omnium, quod vel clàm machinari vel apertè moliri poſſent: Atq; ab his cauſa tādem data fuit mortis, qua per ſummā contumeliam tolleretur è medio. Qua quidem morte eorum vis & poteſtas perempta eſt, & mortuus hic atq; ſepultus, cùm mox diuina potētia excitatus reuixiſſet, vitam amiſſam reconciliata Dei æterni

gratia hominibus restituit. Tunc igitur & potentia ista fracta, & regnum ereptum, & in cōtrarium cuncta fuêre conuersa. Neq; me fugit nō defuisse ex veteribus quoque, qui & consuetudinem & congressus illos, de quibus diximus, spirituum istorum, vel fuisse existimarent errores quosdā apprehendentium vera pro falsis, & visa inania pro rebus certis, vel obtēdisse flagitijs suis ista vtrunq; sexum quasi vela, aut vitia aliquibus oblata, aut suscepti liberi honestarentur & carerent probro. Scio & hoc traditum, præstantiam potentiæ, virtutis sapientiæ esse diuinitatis nomine commendatam. Atque fateor & olim fuisse & nunc esse præstigiarum & inanitatis atque fallaciarum in his omnibus plurimùm, neque non essent in prōptu argumenta quib. hoc demonstraretur. Sed omninò exercuisse vires suas efficacitate manifesta in hōibus spiritus malos, & id fecisse aliquando audacter atq; apertè, negari non posse existimo, tàm euidente sua coniunctione cum hominibus versando, quàm occultiore, in vsus vitæ huius implicatione. Quales totius eius, quam diuinationem vocarunt, euentus fuêre. De quibus vt suprà dixi, longa enim & varia multiplexque disputatio est, aliàs fortasse aliquid non prorsus vulgare,

gare, neque tritum aut commune differemus. Verùm nunc mendacijs & fraudibus detectis, & tyrannide illa malorum spirituum deleta, pleraque exoleuerunt, vsque adeò vt penitùs ignorentur, in quibusdam adhuc experitur, quamuis debilitatas atq; fractas vires illa turba malorum spirituũ. Id quod ad quandam quasi palestram humanorum studiorum, vt periculum fiat fidei constantiæque, certo diuinæ prouidentiæ iudicio permittitur. Est autem in omnibus pernicies & interitus neque dubius neque obscurus, in quibusdam etiam ludibria nugatoria sunt atque ridicula. Quis enim, qui istorum spirituum vsum quempiam admisit, non cum damno atque exitio aliorum detrimenta, atque mala ferè coniunxit? An autem magis ridiculum carmen putandum illud, quo repressa asini vrina eliceretur, ἀλέκτωρ πίνει καὶ οὐκ οὐρεῖ μύξος οὐ πίνει καὶ οὐρᾷ, innumerabilib. veteribus alijs & nouis horum temporum? Sed quicquid adhuc cõceditur potestatis istis spiritib. ad malefaciẽdũ, id in bonum pijs conuertit, q ex eo ipso pspiciunt & ita cõmonefiunt, quantũ illi nunc ét in mundo hoc possint, & ex apparentibus cùm abstrusas insidias tùm in animis labes, quarũ autores hi sint, animaduertũt. Sunt sagarũ

& veneficorum agitationes & impulſus vehementes atque formidandi, ſunt vexationes horribiles eorum, in quorum corpora penetrauit extrinſecus ſpiritus malus quos δαιμονῶντας vocãt Græci, cuius peſtis ne beluarum quidem genus expers eſſe ſcimus. Sed multò deteriores & ſæuerio res & peſtilentiores ſunt motus incitationesque animorum ad flagitia atque ſcelera, quæ nulla niſi inſtinctu talium ſpirituũ & voluntatis improbæ atque prauæ obſequio ſuſcipiuntur ac fiunt. Atque antiquitas aliarum gẽtium omnium, excepto populo Iudaico, vt Dæmonum notionẽ, cum Dei notione cõfundit, & opera amborum permiſcendo implicuit opinione ſua, ſic ad effectiones in rebus affectionibusque humanis quaſcunque, voluntatis arbitrijque aſſentionem applicuerunt. Itaq; modò in Deos, modò in homines, euentuum cauſas à ſapientibus veteribus conferri videmus. Vnde hoc factum:

Non mihi tu cauſa es, Dij ſunt mihi cauſa malorũ.

Et illud:

Nemo hominũ eſt autor ſibi, Cyrne, boni ve mali ve.
Sed cauſam ſortis dant vtriuſq; Dei.

Contra verò hoc, quemadmodum & ipſum ſicut priora nos conuertimus:

Cur tamen accuſant mortales numina cæli?

Autores

Autores etenim perhibent nos esse malorum,
Illa sibi bis præter fatum accersentibus ipsis.

Et istud:

Cuncta auersa iacent & perdita. Nec tamen horum
Causam esse ex aliquo Cyrne putata Deo:
Sed sua vis, mens lucri auida, atq; iniuria multos
Priuauitq; bonis implicuitq; malis.

Ex quibus & alijs huiusmodi, quæ passim occurrunt legentibus scripta veterum Poëtarum inprimis, facilè patet, & statuisse illos esse aliquam vim impellentem ad mala & tribuentem bona: eam tamen vim naturæ humanæ ita quasi afferri, vt adhibeatur ad rationē, qua homines sunt prædìti, & volūtatis alliciat obsequium ab arbitrio ipsorum. Sed cùm de Dæmonibus verba facere cœperimus, de bonis & salutaribus hominum consilijs actionibusq;, & euentis prosperis ac felicibus non habebitur iam à nobis oratio prolixior. Dęmones autem & causas dare malorum semper & esse perniciosos hominibus, quamuis conatu & effectu dissimili & inæquali, vel sumimus tāquam concessum, vel aliquo ēt modo demonstratum, neque iam vlli magnopere esse dubiū cōfidimus. Vt autem omnia mala, sic illud quoque eò est deterius atque periculosius, quò occultius ac latentius. Distribuitur autem variè, nam

etiam ſpiritualis illa prauitas, quaſi ꝓuincias ſuas habet, quas gerit diuerſas. Neque oēs omnia tentant & conantur, cùm vniuerſi quidem naturæ bonitatem corrumpere, & huius proprietate ad perniciē abuti ſtudeant. Alij igitur horum ad alias turpes, flagitioſas ſceleratas actiones adigere homines ſolent, vt ad quasq; aliquos procliues eſſe intelligunt, & ſingularum occaſiones offerunt: in quibus plurimùm momenti ad lapſus & peccata eſſe norunt. Et vtuntur ad ea ſenſuum cogitationumque adiumētis. Eſt alicuius ingenium mollius & magis quaſi tenerum, in hoc libidinum flāmæ accenduntur. Sunt alij indulgētiores in ſeſe & delitijs capiuntur, horum ad fruēdum voluptatibus ijs, quibus corpus & cuticula, vt dicitur, benè lauteq; curatur, cupiditates incitātur. Aliorum natura eſt aſperior, & ſunt animi motus vehementes & acres, & ad iracundiam propenſi, hi impelluntur ad labefactandum Rempublicam aut vim iniuriamque faciendam alijs, ad rapinas atque cædes. Quidam quorum ingeniū eſt triſtius, cogitationesque ſunt profundiores, ad machinatiōes etiam occultiores & magis horribiles conatus inſtigantur, adeò vt aliqui horum ſibi interdum ipſis manus inferant: Iam inertes &

lenti

lenti veluti somniculosi, in q̃ flagitia prolabi & in qua fœditate aliquãdo quasi porcorum genus volutari cernuntur: Ad quæ omnia ab istis maleficis spiritibus naturæ quædam constitutio, & materiæ in primo ortu veluti coagmentatio assumitur, pro eo atque in hoc sanguinis fluxio liquidior est, in illo bilis flaua copiosior, in altero atra abundantior, in vno quopiam pituita tenacior. Vndè ad elationem superbiæ, ad libidinum flammas, ad iracundiæ furores, ad luxuriæ dissolutionem, ad socordiæ negligentiam data occasione, opus, ita consentiente voluntatis prauitate, cum spiritus mali artificio, facilè efficitur. Quia sunt autem animorum duo præcipua discrimina, vnum magnorum, & excellentium, paruorum & humilium alterum: In hoc genere peccata communia ferè designantur, & sunt delicta mediocria, auaritiæ sordes, aut contra indiligentia atque profusio, procliuitas ad iucunda, vt secundum subulcum Homericum habeant homines:

Quod comedant q́; bibant q́;.

Et vt ait latinus Poëta,

Viuant in amore iocis q́;.

Deniq; ea quæ Comœdia ob oculos ponit. Magnæ aũt naturæ & ingenia alta, honorum

norum imperijque & potentiæ cupiditatibus flagrantia, aggredi & patrare audet atrociora, secundum hoc:

Maior mihi moles, maius miscendum est malum.

Et similia, quibus tragœdiæ sunt refertæ. Iam in ijs quorum ad feritatem quandam humanæ naturæ modus detortus est, perspicuè cernitur vis externa quædam peruertens rationem & ad immanitatem animos adigens, vt in Thyesteis epulis & fraude mortifera Antiæ & Phœdræ. E Tyrannicæ crudelitatis facinoribus, qualia Phalaridis, Caligulæ, Neronis, Heliogabali, perhibentur & aliorum complurium, & superiore ætate cuiusdam Dynastæ in Mysia Dracolæ. Quis autem non intelligit? non simpliciter humanam esse posse vel audaciam ac temeritatem, vel desperationem & exanimationem eorum, qui ipsi sibi violentas manus afferunt, quique Respublicas atque ciuitates nefarijs consilijs affectionibus lacerant & euertunt. Idem dici potest de ea impuritate cuius meminisse etiam nefas putatur, & cogitatione pudici erubescunt. Iam corrumpentes veritatem, inprimis rerum diuinarum & sanctæ religionis, & huius lucem obscurantes, & commentationibus callidis & fallacijs argutiarum, nouas absurdasque opi-

niones spargentes, & disserendo confirmātes, habere humanæ improbitatis magistros arbitrari nemo debet. Itaque ad talia antiquitas Atas & Furias & Diras, Et compertum est ostendisse sese aliquando specie quoque manifestos Dæmones, suasores autoresq́; scelerum capitalium, atq; nefariorum, in quibus præ cæteris sectæ, sacrilegia, parricidia, incēdia notata sunt, vt cùm vnius interitu multorū clades exitiumq; coniungeretur. Cuius generis horribile exemplum cognitum est nostra ætate conflagrationis oppidi, cui nomē Schiltachium, sed sunt & alia quoque in medio. Verùm quamuis iusto iudicio Dei æterni istud permittentis fiat, vt quasi aperto Marte, quemadmodum dicitur, homines oppugnet Dæmonum violentia, & hæc terribilis sit atque sæua, Non minus tamen eiusdem Dei æterni animaduersione hoc concedente, insidiosæ & fraudulentæ aggresiones illorum, vel magis etiam metuendæ sunt, & grauiores plagas impingere solēt, cùm illa vis occupat tanquam arcem humanæ naturæ, & in suam potentiam ditionemq́ue redigit mentem, Qui fons est rationis consiliorumq́ue, vndè actiones in hominū vita omnes manant. Quam enim est miserum & deplorandum accidere hoc quod

quod ex Tragœdia affertur? Vt lædente & vrgente aliquem Dæmonum ira:

Primum omnium ex animo auferatur ſanitas
Mentis bonæ, in prauam hac verſa ſententiam,
Peccare ſeſe vt ipſe non intelligat.

Hæc enim exitioſa eſt peruerſitas, aut ruere contemptu atq; contumacia in peccatis, aut aſtutam malitiæ ad hæc quaſi fulcienda defenſionem adhibere. Itaq; priſca religioſæ pietatis conſuetudo, non ſolùm in ijs efficacem perhibuit eſſe vim Dæmonum (Græco hos verbo ἐνεργουμένους appellarunt) qui furore baccantes inſidentium in ſeſe Dæmonũ ſtimulis manifeſtè concitarentur, ſed in patrantibus quoque & exercentibus ea, quæ religioſæ pietatis vſus & Chriſtiani nominis ſanctitas auerſatur atque damnat. Verùm de his, ſi quis ea explanare vellet, alia atque noua ordienda eſſet oratio, Et nos iam extra propoſitum exceſsimus, & fuimus verboſiores, quàm in præſentia deberemus.

FINIS.

TRACTA-

TRACTATVS DE SVPERSTITIONIBVS; EDITVS PER REuerendum dominum Magistrum Martinum de Arles in sacra Theologia Professorem meritissimum: ac Canonicum & Archidiaconum vallis de Aybar in Ecclesia Pamp. Regni Nauariæ.

QVADAM die cùm peractis diuinis officijs post prandiū intra hortos amœnos huius nostræ insignis Ecclesiæ nonnulli ex fratribus Concanonicis essemus simul recreandi causa inter alias honestas colloquutiones, ortus est sermo de superstitionibus, quæ prò dolor, hoste procurante antiquo his diebus vigent in orbe terrarum: cùm ergò de his cōfabularemur quæsiuit à me vnus ex eis, scilicet venerabilis dominus Archidiaconus de Vssum, mihi frater amantissimus, narrando quòd est antiquus vsus in oppido quodam sui Archidiaconatus, vt cùm aliqua necessitas tēpore siccitatis fructibus terræ ingruerit, magna cum deuotione pro-

ne processionaliter clerus & coloni cum hymnis & canticis ad sanctum Petrum de Vssum, titulum videlicet sui Archidiaconatus se conferunt, ibique missa celebrata & orationibus imaginem beati Petri ab altare in dorso vel brachijs ad oram fluminis cum canticis & laudibus deferunt. Aliqui tamen eorum quærunt ab ipsa imagine dicentes: sancte Petre succurre nobis in hac necessitate positis, vt impetres nobis à Deo pluuiam, &c. hoc 2. hoc 3. Et cùm ad singula nihil respondeat, clamant dicentes: submergatur beatissimi Perri imago si nobis apud Deum omnipotentem gratiam expostulatam pro imminenti necessitate non impetrauerit. Respondent aliqui de primatibus: nō equidem ita fiet, nam tanquam bonus pastor impetrabit gratiam præfatam, & intercedet apud Deum. Et ita datis fideiussoribus pro parte beati Petri (vt asserunt ipsi coloni) nunquam fuerunt decepti neque destituti in necessitate & desiderio suo prȩsertim pluuiæ, quin infra 24. horas pluuiam habuerint: ideò super hoc cupiens à me informari, quæsiuit. Vtrùm in hoc committatur aliquod peccatum, secundum idolatriæ superstitionis vel alterius huiusmodi? Quam quȩstionem, frater venerande, proculdubiò

culdubiò tibi explanare & alijs exponere, fateor ingenij mei vires excedere. Cùm non videam in me quid tuæ & aliorum sapientiæ dignum, aut elegantia dicendi aut sententiarum grauitate posſim afferre. Veruntamen (quoniam vires quas imperitia negat, charitas adminiſtrat) vt ſaluti animarum conſulatur. Memor inſuper meæ profeſsionis pioque zelo ſuccenſus. Quæ dominus mihi miniſtrauerit ex præcipuis & authenticis Doctoribus paucula colligere tibi curabo: in quo quidem opuſculo (vt Magiſtri ſententiarum vtar verbis) in prologo non ſolùm pium lectorem, ſed etiam liberum correctorem deſidero, quod vtinam tot haberet zelatores aduerſus maleficia & ſuperſtitiones ſenſualium hominum, quot prò dolor hoc noſtro tem pore reperitur numerus Pythonum & Maleficiorum. Inprimis, frater venerabilis, populus, ipſe (vt video) ſub prætextu Religionis plura mala committit, quæ ex tua informatione elici poſſunt, & ex alia quàm à fide dignis illius loci pſonis accepi. Nam primò committunt actum ſuperſtitionis. Secundò ſacrilegiũ. Tertiò tentant Deum & ſtultè agunt & ſcandalũ ex ſuo actu com mittũt. De quibus omnibus per ordinem eſt dicendum. Et primò de ſuperſtitione.

QVID SIT SVPERSTItio, declaratur.

SVperstitio enim, vt habetur à Doctoribus, & super illo passu ad Collocéses 2. quæ sunt rationem habentia sapientiæ in superstitione, est Religio supra modũ seruata, habens rationem sapientiæ non in veritate, sed in falsitate, quæ est abundans vbi nulla vtilitas, sed per humanam sapientiam, quæ vt dicitur Iacob. 3. Terrena est animalis & diabolica. Item Gregorius ibidem in glo. superstitio simulata est Religio vt videantur vera quæ falsa sunt, quæ mentes in terrena humiliat, ne erigantur ad superna. Et Nicolaus ibidem in superstitione. i. superflua & vana Religione. Ex quibus sequitur, quòd superstitio est Religio supra modum seruata. i. modis & circumstantijs malis & defectuosis. Pro huius tamen ampliori declaratione notandum est, quod dicit beatus Thom. secunda secundæ, quæstione 92. articul. 1. superstitio, inquit, est vitium religioni oppositum, secundum excessum plus exhibens in cultum diuinum quàm vera Religio, quia exhibet cultum diuinum, vel cui non debet, vel eo modo quo non debet, prout in cultu diuino fit aliquid, quod fieri non debet.

bet. Sed actus submergendi imaginem (quem isti faciunt) est huiusmodi. Nam in cultu diuino faciunt illud, quod fieri non debet, ergò cultus diuinus fit eo modo, quo fieri non debet. Et si totus actus eorum redditur malus ex mala circumstantia, quia secundum Dionysium de diuinis nominibus bonum est ex integra causa, malum autem ex singularibus defectibus, ergò isti & alij huiusmodi committunt superstitionem. Nam quòd processionaliter eant ad dictã Ecclesiã, & ꝙ ibidem missam celebrent, &c. actus est religionis, cùm religio sit virtus inclinans ad reddẽdum debitum cultum & honorem Deo, ratione suæ excellentiæ, vt ponit sanctus Thom. secunda secundæ, quæstione 81. articulo primo, & tàm in cordis quàm in corporis actibus.

QVÆSTIO, RELIGIONI OPponitur superstitio, declaratur.

HVIC tamen actui opponitur prima species superstitionis, quam ponit beatus Augustinus in libro de doctrina Christiana, & est quando diuinus cultus exhibetur Deo vero, modo tamen indebito. Nam secundum, quòd diuinus

cultus ordinatur ad quãdam directionem humanorum actuum, secundum instituta Dei qui colitur, ad hoc pertinet superstitio quarundam obseruationum vel obseruantiarum. Cùm igitur sub prætextu Religiõis isti imaginem sancti Petri ad oram fluminis ducant, eamque submergant, vel submergere attentent, indè sperantes sortiri suum optatum effectum. Hoc superstitiosum est. Nam illud quod à Deo vel à sanctis spectare patienter debent, & per debita media impetrare, à creaturis illicitè & indebitè requirunt per media superstitiosa, verbis & factis inordinatis, & ab alijs inusitatis, &c. Quòd autem in cultu diuino possit esse aliquid superstitiosum probat Doctor sanctus in libro suprà nominato, q. 90. 3. ar. 2. vbi magis declaratur definitio superstitionis: & primò dictam conclusionem probat auctoritate beati Augustini 2. de doctrina Christiana, vbi dicit, quòd bonus verusque Christianus etiam in literis superstitiosa figmenta repudiat, sed per sacras literas Deus colendus ostenditur. Concluditur ergò, quòd etiam in cultu diuino potest esse superstitio ex aliqua superfluitate. Vndè in corpore articuli dicit, quòd aliquid dicitur superfluũ dupliciter: vno modo secundum absolu-

tam quantitatem, & secundum hoc non potest esse aliquid superfluum in diuino cultu, quia nihil potest homo facere, quod non sit minus eo quod Deo debet. Alio modo potest habere aliquid superfluum secundum quantitaté proportionis, quia scilicet non est fini proportionatum. finis autem diuini cultus est, vt homo det gloriam Deo & ei se subijciat mente & corpore. Et ideò quicquid homo faciat, quod ad Dei gloriam pertineat, & ad hocquòd mẽs hominis Deo subijciatur, & etiam corpus per moderatam refrenationem concupiscentiarum, secundum Dei Ecclesiæq; ordinationem & consuetudinem eorũ, quibus homo Deo conuiuit non est superfluũ in diuino cultu. Si autem aliquid fit quod quantum est de se, nõ pertinet ad Dei gloriam, neq; adhoc quòd mens hominis feratur in Deum, aut quòd carnis concupiscentiæ inordinatæ refrenentur, aut ẽt si sit præter Dei & Ecclesiæ institutionem, vel contra consuetudinem communem, quæ secundum Augustinum pro lege habenda est, totum hoc reputãdum est superfluum & superstitiosum, quia in exterioribus solùm consistens ad interiorem Dei cultum non pertinet. Vndè Augustinus in libro de vera Religione inducit, quod dicitur Lucæ

17. Regnum Dei intra vos est, loquitur contra superstitiosos, qui secundum exterioribus principalem curam impēdunt. Hæc beatus Thomas.

QVOD SVBMERSIO ILLA imaginum, quantumcunque cum Hymnis & canticis agatur, pertinet ad iniuriam sanctorum, & est actus superstitiosus.

COnstat autem quòd submergere imaginem beati Petri non pertinet ad Dei gloriam, qua laudatur dominus in sanctis eius, sed ad vituperium & iniuriam, neque secundum Dei Ecclesięque ordinationem quę ordinauit, quòd imagines sanctorum adorentur, vt infrà dicetur. Sed econtrà nulla gens neque patria communiter talia agere attentauit vnquam, ergò concludendum est, quòd actus ille per omnia est malus & superstitiosus, quòd si aliquid numinis in simili obseruantia adest, theologi viri Religiosi atque deuoti deberent istam obseruantiam magis cognoscere & custodire. Cuius oppositum inuenitur, quia dissuadent illam, reprobant & prohibent, ergò talis ritus transit in superstitionem, quę nihil aliud est, quàm vana religio, vt suprà dictum

dictum eſt. Dicitur autem vana, quia caret ratione & effectu. Vndè Magiſter Iohan. de Gerſon, de directione cordis, parte 3. ponit hanc regulam dicens.

PONITVR REGVLA GENERALIS ad cognoſcendum, quis ſit actus illicitus, vel ſuperſtitioſus.

OMnis obſeruatio cuius effectus expectatur aliter quàm per rationem naturalem, aut per diuinum miraculum vel voluntatem, debet rationaliter reprobari, & de pacto dæmonum expreſſo, vel occulto, vehemẽter haberi ſuſpecta, ſic (inquit) determinauit tempore noſtro ſacra Theologorum facultas Pariſienſis vniuerſitatis. Hæc ille. Ex quibus inferam aliquas propoſitiones. Prima, ꝙ vicini illi de Labiano, qui ſimiliter agunt & proceſsionaliter ducunt corpus ſanctæ Feliciæ tempore ſiccitatis, & tandem ſubmergunt, habẽtes eandem falſam credulitatem, ſicut prędicti de Lũbier, ſunt eo modo ſuperſtitioſi & vani, quia talis actus caret rationibus in ꝓdicta regula poſitis, & offenditur Deus. Nã ſecundum Augu. de dec. cor. Superſtitio, inquit, eſt de maximis ſeruilibus operibus dęmonum, & contra diuinam reuerentiam.

INFERT QVASDAM PROponens de singularibus actibus superstitiosis peractis in die sancti Iohannis Baptistæ, & beatorum Petri & Pauli.

SEcunda propositio cùm in die festiuitatis sancti Iohannis Baptistæ propter iocunditatem multa piè agũtur à fidelibus, puta pulsatio campanarum, & ignes iocunditatis: similiter summo mane exeunt ad colligẽdum herbas odoriferas & optimas & medicinales ex sua natura & ex plenitudine virtutum propter tempus: sunt quidam vulgares adeò superstitiosi, vt quæ fiunt ad solennitatem & iocunditatem festi, credant fieri ad remedia superstitiosa, vt pulsationem campanarum ad effugandos spiritus vel maleficos: quidam ignes accendunt in compitis viarum in agris, ne indè tales sortilegæ & maleficæ illa nocte transitum faciant, vt ego proprijs oculis vidi: alij enim herbas collectas in die sancti Iohannis incendentes contra fulgura, tonitrua, & tempestates, credunt suis fumigationibus arcere dæmones & tempestates, quod commune est apud nos, & sæpenumerò in mea visitatione reprehendere curaui: alij hoc, alij illud, illa die superstitiosè

tiosè agunt in colligendis herbis & ſcindẽdis ramis nucum, vel aliarum arborum, credentes per hoc guturnoſos poſſe ſanari. Nec tamen negare debemus illas herbas habere virtutem medicinalem ad fumationes faciendas contra infirmitates puerorum & etiam iumentorum: non tamen hoc prouenit ex collectione præcisè talis diei, nec ex collectione ante ſolis ortum vel poſt ſolis ortum (vt quidam fatuè credunt) ſed ex virtute naturali earum herbarum, quam etiam eo tempore iam attingunt, nec in collectione herbarum quarumcunq; medicinalium quocunq; tempore aliquas obſeruationes aut incantationes licet accendere, niſi cum ſymbolo diuino, aut dominica oratione, vt tantùm creator & Deus omnium honoraretur, vt ait ſanctus Thom. ſecunda ſecundæ q. 96. art. 4. Nec video vndè iſti fabri ferrarij ſiue mulciberi die ſancti Iohannis Baptiſtæ, & die Apoſtolorum Petri & Pauli, præcisè minuant vel fleubothonizent equos & alia iumenta potiùs quàm alijs diebus in eodẽ tempore, ſed hoc videtur ſuperſtitioſum & à diabolo ſuaſum, vt dies & ſolennitates tantorum ſanctorum ſoluantur contra diuinam reuerentiam. De ſimilibus dierum obſeruationibus inferiùs tangemus. Alij

enim balneant se in illa die de mane, & saltãt super ignem herbarum illarum de nocte, credentes per hoc carere prurigine & scabie per totum illum annum. Alij hoc, alij illud, superstitiosè & infideliter agunt, de quibus per ordinem est dicendum.

QVOD MVLIERES SORTILEgæ & maleficæ, quæ vulgariter Broxæ nuncupantur, non transferuntur localiter ad loca, in quibus se fuisse de nocte dicunt, sed mentaliter & fantasticè tantùm.

ET primò de falsa opinione credentium illas maleficas & sortilegas mulierculas, quę vt plurimùm vigent in regione Basconica ad septentrionalem partem montium Pireneorum, quæ vulgariter Broxæ nuncupantur, posse transferri de loco in locum per realem mutationẽ. Nam re vera vt habetur 26. q. 5. Episcopi ex concilio Acquiren. tales personæ non transferuntur à dæmone localiter in loco, in quibus dicũt se fuisse, credẽtes cum Diana vel Herodiade nocturnis horis equitare, vel se in alias creaturas transformare. Sed ipse Satanas cùm mentem cuiusque mulieris similis

ceperit,

ceperit, hanc per infidelitatem sibi subiugauerit illicò trãsformat se in diuersarum formarum species & similitudines creaturarum, repræsentat fantasias dormientis, qui huiusmodi superstitionem sequitur. Et mentem, quam captiuam tenet in somnis deludẽs, modò per læta, modò per tristia imaginariè solùm deducit, non veraciter, & cùm hoc sola anima patiatur infidelis, hæc non in animo, sed in corpore euenire opinatur. Vndè quædam mulierculæ inseruientes Satanæ, dæmonum illusionibus seductæ, credunt & profitẽtur nocturnis horis cum Diana Paganorum Dea, vel Venere, in magna mulierum multitudine equitare, & alia nephanda agere, puta paruulos à lacte matris auellere, assare, & comedere, domos per caminos seu fenestras intrare, & habitantes varijs modis inquietare, quæ omnia & consimilia solùm fantasticè accidunt eis.

QVOD ALIQVANDO MVLIEres etiam probæ improbè patiuntur concubitum à dæmone incubo.

ET non solùm apud maleficas, sed & circa alias probas mulieres accidit hæc illusio: nam relatu cuiusdam sacerdotis habui his tẽporibus sibi in confessione reuelatum

latum à quadam proba muliere coniugata, cui sępè in somnis videbatur realiter super iumenta equitare per campos cũ alijs, & sic incedendo super aquam coire hominem cum ea & sentire intensam concupiscentiam in actu & hoc sępè ei accidisse, qđ cùm eius confessor à me quæreret, quid aliud ad illam equitationẽ responderi potuit, q̃ quod de prędictis maleficijs nõ realiter sed fantasticè acciderit sibi, & hoc illusione dęmonis secundum prædicta. Vndè Augustinus super Genesim ad literam. Illa enim quæ accidisse, vt quidam recordarentur se in quorũdam animalium corporibus, aut falsa facta narrarentur, aut illusionibus dæmonum hoc in eorũ animis factum est: si enim contingit vt quis in somnis fallaci memoria recordaretur se aliqd fuisse quod non fuit, aut fecisse quod non egit, quid nimirum si quodam Dei iusto occultoque iudicio sinantur dæmones in cordibus hominũ tale aliquid posse. Hęc Augustinus. Eadem de causa ficta sunt vt dicit Iohan. Nider, & imaginaria solùm quando quædam in quatuor temporibus se in raptu dicunt videre animas purgatorij, & plura alia fantasmata, quæ omnia hîc interposui ad tollẽdam falsam opinionem istorum vulgarium attribuentium ea quæ

Ecclesia

Ecclesia ex pia consuetudine facit ad opiniones superstitiosas conuertere. Quòd autem tàm ardenter sibi visum fuerit hominem coire cum ea in tanta cōcupiscentia, hoc inquam potest procurari à dæmone incubo, vt probat sanctus Thomas prima parte, q. 11. artic. 3. ad sextum, vbi allegat Augustinum 15. de ciuitate Dei, qui ait, multi se expertos, vel ab expertis se audisse confirmant syluanos & faunos, quos vulgus incubos vocat improbos sępè extitisse mulieribus, & earum expetisse concubitum atque peregisse. Vndè hoc negare impudentiæ videtur & infrà: si tamen ex hoc coitu dæmonum, interdum aliqui nascuntur, hoc non est per semen ab eo decisum, aut ex corporibus assumptis, sed per semen alicuius hominis ad hoc acceptum, vtpotè quòd idem dæmon qui est succubus ad virum fiat incubus ad mulierem, sicut & aliarum rerum semina assumunt ad aliquarum rerum generationem, vt Augustinus dicit 3. de Trinit. vt sic ille, qui nascitur, non sit filius dæmonis, sed illius hominis cuius est semen acceptum.

QVOD

QVOD PVLSATIO SIGNOrum siue campanarum in nocte sanctæ Agathæ, non ad euitandum has sortilegas & maleficas fit, vt quidam fatuè intelligunt, sed alijs de causis.

SVnt aliqui, qui attribuunt pulsationem campanarum etiam in nocte sanctæ Agathæ fieri propter similes maleficas, & quę illa nocte specialiter vagantur, vt dictum est, sed hoc falsum est & superstitiosum. Nã pulsatio illa fit, ob deuotionem sanctæ Agathæ, propter miraculum factum, ex incendio montis Ethnę apud Siciliam, quod videntes etiam pagani concurrerunt ad sepulchrum Agathæ, & velũ eius indè trahentes, coram incendio facto, opponẽtes miraculosè cessauit, indè est quòd in aliquibus Ecclesijs habentibus deuotionem ad ipsam campanæ pulsantur.

QVOD SVPERSTITIOSI SVNT qui credunt quosdam dies sanctorum aliquorum esse infortunatos & periculosos, similiter ponentes quosdam dies esse Ægyptiacos infaustos & periculosos.

TErtiò superstitiosi sunt, qui dicunt & credunt quosdam dies esse infortunatos,

tos, infaustos & piculosos, sicut dies Aegypriacos, vt habetur in decretis 26. q. 7. non obseruetis. Et dicuntur dies Aegyptiaci, vel quia illis diebus fuit percussa Aegyptus & plagata, vel quia Aegyptij primò inuenerunt dies cauendos tanq̃ infaustos. Etiam dies sanctorum Martyrum Iohannis & Pauli, & dies beati Martialis. Diem etiam sanctorum Innocentum. vndè dicunt se tales dies obseruare tanquam pestiferos & infortunatos ad aliquid inchoãdum, propter euentus & pericula, quæ consueuerũt euenire his qui inchoãt aliquod opus, vel iter, vel aliquid aliud tali die, sed hoc est vanum & superstitiosum.

QVOD OBSERVATIO PRÆdictorum dierum est contra rationem naturalem Astrologicam & Theologicam.

QVIA aut aliqua ratione Astrologica probaretur, aut naturali, aut Theologica. Sed nulla istarum sufficiens est causa, vt hæc ponatur obseruatio, nec omnes, similiter talis ergò obseruatio vana est & reprobanda. De Astrologica probatur sic. Nam si hæc obseruatio dierum interrogetur ab Astrologis, respondebunt hoc esse contrarium suis regulis & principijs. Quoniam Astrologi variant sua iudicia

secundum

secundum varietatem positionis siderum, ita quòd non posit confici Almanach vniforme perpetuum, quia dies Lunæ (exempli gratia) quæ modò est indisposita vel infausta secundum regulas eorum: si etiam erunt veræ erit in hebdomada sequenti dispositionis alterius.

QVOD IN HIS QVÆ CONCERnunt arbitrij libertatem astra non imponunt necessitatem.

ATtento maximè, quòd in his quæ concernunt arbitrij libertatem astra non imponunt necessitatem, iuxta dictũ Ptolomæi, quòd sapiens dominabitur astris: & hæc ratio fieri solet efficaciter contra signationem, quæ reperitur in Kalendarijs, de diebus Aegyptiacis seu periculosis, secundum dispositionem siderum, quæ contingunt temporibus anni: sed quòd dies sanctorum prædictorum, vel dies translationis beati Martini, quem vulgares dicũt esse semper periculosum, vocantes sua lingua montana vel basconica. *Iando ne Martie erroya.* quod latinè intellectum idem est, ꝙ sanctus Martinus corruus, hoc superstitiosum est, quia non debet hoc iudicari secundum id quod est de peraccidens, sed secundum quod est de per se: quòd autem

cale

tale festum accidat tali die, hoc est de peraccidens, potest enim contingere tale festum alia die sancta & benè constellata.

PONIT CONCLVSIONES *Theologicas contra obseruationem huiusmodi dierum.*

COnsequenter per locum ab autoritate sic argueretur de Theologica. Nā cuilibet experto in vna arte credendum est magis quàm vel idiotis vel inscijs in illa scientia, qui nec intelligūt nec assentiunt. Sententia enim Gregorij presumptionem esse, velle docere se doctiorem. Aliud est.n. garrire, quæ veniunt ad fantasiam. Aliud de scripturis sacris proferre sermonem. Istud cum artis subtilitate subsistit. Illud dilabitur sine firmitate. Ex hoc dixerim, quia sunt quidam sapientes huius seculi, qui dum se vident honorari pro aliqua scientia sit legum, sit canonicum, sit industrię mundanalis, etiam quidam idiotæ de suis diuitijs superbientes, laxant faciliter ora de sermonibus quos nesciunt, vt de Theologia, de Astrologia, qua si verecundarentur aliquid ignorare, aut aliquando maiori dementiaq; non cognoscunt in se despiciunt, in alijs tanquam superuacua & noxia, ne videantur ea quæ sunt vtilia, ne-

quaquam cognoscere. Magna enim pars scientiæ est (dicit Hieronymus) scire quod nescis, magnæ demùm dementiæ taliter agnoscere, sic igitur contentus vnusquisque terminis suæ facultatis, ne in alijs mordeat, quæ in se penitùs ignorat.

QVOD OMNES DIES ANNI boni sunt, & omni anno, & omni die, & omni hora diei bonum & laudabile est opera quælibet sancta, licita & honesta inchoare.

NVnc ergò theologicè probemus obseruationem horum dierum esse vanam & superstitiosam. Et hoc ponendo aliquas cóclusiones collectas ex Doctoribus, præcipuè ex Magistro Iohanne Gerson, quarum prima talis est: Omnes dies anni sunt opera Dei altissimi, patet hoc ex textu sacræ scripturæ, Gene. 1. vbi per totum capitulum deducuntur opera sex dierum, & qualiter primò opera Dei fuerunt dies & anni. Primum autem bonum à bono & optimo cepit operari Deus altissimus, & omnium creator est summum & optimum, ergò omnia eius opera bona sunt. Gen. 1. Vidit DEVS cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona, ergò dies & anni, cùm sunt prima

ma eius opera, hoc idem attestatur regius vates Dauid in Psalmo dicens: Tuus est dies, & tua est nox, tu fabricatus es auroram & solem. Quo circa canit Ecclesia: Aeterne rerum conditor, noctem diemque qui regis, & temporum das tempora, vt alleues fastidium. Secunda conclusio dies anni boni sunt, & omni anno, & omni die & hora diei bonum, & laudabile est opera quælibet sancta, licita & honesta inchoare, facere, operari & profiteri. Intellige, nisi pręcepto Dei vel Ecclesiæ inhibeatur, sicut in diebus festiuis aliqua opera laboriosa prohibentur. Prima pars huius conclusionis patet ex dictis in præcedenti conclusione, quia dies & anni sunt opera summę & infinitæ bonitatis. Optimi autem est optima adducere, dicere ergò aliquem diem esse ex natura sua malum, est iniuriari Deo, qui artifex est dierum & annorum, opus autem malum malitiam arguit artificis. Secunda pars patet, quia sicut dies & anni, & etiam horæ diei à Deo creatore procedunt, sic, & omne opus sanctum, licitum & honestum, quod in omni die & hora inchoatur & perficitur à domino dirigitur, inchoatur, & perficitur, dicente domino: Sine me nihil potestis facere. Et rursus: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factũ

est nihil. Ex quibus sequitur, quòd superstitiosa & vana Religio ac meritò redarguenda est non inchoare operari vel perficere certis annis, diebus, opus bonũ vel sanctum ab Ecclesia non prohibitum, & istud est expressè de mente Apostoli contra similes his quibus scribebat ad Gala. 4. & est textus Augustini 25. q. 7. Quis vbi arguit & reprehendit illos de Galatia, ita dicens: obseruatis dies & mẽses, & tempora, & annos, sequitur. Timeo autem vos, ne fortè sine casu laborauerim in vobis prædicando secundum fidem Catholicam: quę omnia ista reijcit tanquam superstitiosa & vana, non si talis obseruatio dierum fiat propter reuerentiam & sanctitatem alicuius diei solennis, vel propter deuotionem ad aliquem sanctorum. Sed si fiat talis obseruatio propter euentus pericula, quæ consueuerunt euenire his qui inchoant aliquod opus vel iter, arripiunt hoc vanum & superstitiosum, & sine aliqua ratione, quolibet enim die & hora diei, & anno, bona & mala contingunt, cui sniæ potest adaptari.

Quidam articulus Parisiensis, quem ponit Gerson in libr. de erroribus circa artem magicam, & est 20.

QVOD

QVOD IMAGINES DE ÆRE, plumbo, vel cera alba vel rubea, vel alia materia baptisatæ, exorcizatæ, imò potiùs exsecratæ per artes Magicas, & quòd sub diebus certis habeant virtutes mirabiles, quæ in libris talium artium recitantur, error non est contra fidem.

QVOD imagines de ære, vel plumbo, vel auro, vel cera alba vel rubea, vel aliæ materiæ baptizatæ, vel exorcizatæ & consecratæ, imò potiùs exsecratæ per artes Magicorum, & sub diebus certis, habeant virtutes mirabiles, quæ in libris talium artium recitantur Error. In fide in Philosophia naturali & Astrologia vera artic. 21. quòd vti talibus & fidem dare non sit idolatria & infidelitas Error. Notandum tamen est, quòd de imaginibus Astronomicis, quæ fiunt certis temporibus Planetis existentibus in quibusdam locis cœli determinatis, mouet sanctus Thomas difficultatem, secunda secundæ q. 96. art. 2. argu. 2. an sit illicitum tales facere, vel eis vti ad corporum mutationem, puta ad sanitatem vel aliquid huiusmodi. Nam, vt refert Magister Robertus Holkot super libros Sapien.

c.14. lectione 160. quòd temporibus suis quidam in Londonia dicebatur curari à quartana per imaginem Leonis auream secundum certam constellationẽ factam, & dicit, quòd hoc est difficile dicere, quòd sit verum, propter mirabiles operationes corporum cœlestium, quia hoc est certum inquit, quòd nihil est huiusmodi illicitum, quod per naturam compleri potest, sed respondet per sanctum Thomam libr. q. art. & loco præallegatis, vbi sanctus Doctor allegat beatum Augustinum 10. de ciuitate Dei, quòd opinio Porphirij fuit falsa de talibus imaginibus cõstruendis. Verum est autem, quòd res naturales formas suas & virtutes consequuntur ex corporibus cœlestibus, sed imagines artificiales nullam virtutem consequi possunt ab arte, nec aliam virtutem habere possunt, nisi quā habent ratione materię, figura aũt nõ est principium alterandi, ideò non aliam virtutem causandi habet aurum talis imaginis, quàm aliud aurum alterius figuræ. Sed si alium effectum habet, hoc est ex operatione dæmonum, qui sunt ludificatores hominum secundum Augustinum. Ideò tales imagines astronomicè virtutem sortiuntur per dæmonem, cuius signum est, quod opum illis imaginibus quosdã characteres

racteres imprimi, quia ad nihil naturaliter operantur. Vndè ſciendum eſt, quòd imagines aſtronomicæ & nigromãticæ in hoc differunt, quòd in factura nigromanticarum imaginum fiunt expreſſa quædam inuocationes dæmonum, vndè tales imagines pertinent ad expreſſa pacta cum dæmonibus inita. Sed in factura Aſtronomorum ſunt tacita pacta cum dæmonibus per quaſdam characteres & figuras, ab ipſis dæmonibus adinuentas, ad quorum characterum factionẽ dæmones facientibus ſuffragantur. Hæc de ſancto Thoma, vbi ſuprà, ex quibus expreſsè apparet, ꝙ tales imagines & characteres habent effectum ex operatione dæmonũ, & quòd vſus characterum & omnium figurarum (excepta figura crucis) & inuocatio nominum incognitorum & alligatio ſchedularum de Euangelio circa collum patientis cum cæteris conditionibus & multa talia, ad ſuperſtitionem pertinent ſecundum Augu. Et ſunt quædam reliquæ idolatriæ, ſed de his chartulis circa collum alligatis inferiùs dicemus.

QVOD INIENTES PACTVM cum dæmonibus tacitum vel expressum, sunt Idolatræ, Hæretici, & alieni à Catholica fide.

TErtia conclusio. Sicut vera & Christiana fides mirabilia operatur in benè credentibus, sic & falsa & mala credulitas Deo permittente euētus malos interdum operatur, vel potiùs demeretur. Primam partem ad longum deducit per exempla Apostolus ad Hebr. 11. sed de virtute fidei ipsa Euangelia multa loquuntur. Reliqua pars conclusionis experitur quotidiè in malè credulis & superstitiosis, quos ita DEVS punit propter malam fidem. Imò dum cognoscit dominus nimium adhęrere aliquibus vanis obseruantijs permittit aliquos euētus contingere. Et ita eos plus consequentur firmari in tali opinione, vt maior fiat cæcitas eorum, & in laqueum cadant quem sibi parauerunt. Per hæc igitur peccatum, quòd homines decipiuntur per cooperationes dæmonum, propter eorum falsam credulitatem præcedētem: & ideò obseruatores talium multa incommoda recipiunt propter eorum falsam fidem, quæ alij nullatenus patiuntur, qui de talibus non curant.

QVOD

QVOD OBSERVANTES DIES & annos per suam falsam imaginationem quicquid mali euenerit, imputant augurantes malitiæ diei & anni.

PRæstereà dum imaginatio talium obseruãtium dies & annos arctatur nimis circa tales dies, quicqd mali euenerit, imputant auguriantes malitiæ diei. Exempli gratia. Præcipitabatur aliquis ab equo effreni & indomito in via lubrica, vel flumine submergetur, confestim vulgares vt audierint, assignabunt huiusmodi infortunij causas diuersimodè, quæ tamen nullatenus causæ sunt huius casus. Dicet vnus, quòd in exitu domus habuerit vnum catum, vel leporem, vel quòd in egressu domus offenderat pedem, vel quòd manè camisiam auersam induerit, aut calceus dexter pro sinistro acceptus fuerit. Quod signum Cæsar Augustus reputabat infaustissimum. Quibus omnibus & sequentibus, cum innumeris alijs superstitionibus, potissimùm adhæret falsa credulitate, gens illa Hispanica, de prouincia Lusitania, vulgariter Andaluzia appellata (sunt etenim valdè superstitiosi super omnes alias gentes Hispanicas) vndè dicit quis-

piam ipsorum, ego sic somniaueram. Crocitabat coruus super tectũ, aut bubo cum stridore superuolauerat (quod augurium Lucius Sylla accepit de morte sua, vt dicit Appianus de bello ciuili) vel gallus præter horam vocem dederat. Vel si picæ garriãt, significatur aduentus hospitum. Dicet alius, ecce mala dies erat, vel infortunata vel ægra. Dicet alius luna quarta erat, vel tertia, aut sol in ortu nubibus obuolutus palluerat, aut stella decidens per aërem micauerat. Vel sicut apud Comicum legitur introijt in ędes, alter alienus catus, anguis per impluuium decidit, de tegulis gallina cecidit, de quibus prolixè loquitur reprobando beatus August. 2. de doctrina Christiana, c. 2. dicens, tales obseruationes superstitiosas esse, sicut aliqui cùm vident caligas à soricibus rodi timent & de aliquo infortunio euenturo. Vndè legitur Catonem quendam derisisse, qui sibi pro mirabili signo infortunij nunciauit caligas per sorices esse corrosas, certè non est (inquit) mirabile, sed mirabile fuisset, si caligæ sorices corrosissent. Ad ista pertinet, si homo surgens de lecto ad lectum redeat, quia sternutauit antequam potuit se calciare. Item, si homini singultienti dicitur, teneas manu dextra pollicem manus

sinistræ,

ſiniſtræ, vel ſicut me vidiſſe fateor quoſdã manu dextera mentum tenere interim quòd Euangelium cantatur, alios pedem dextrum eleuatum tenere, alius hoc, alius illud. Item, cùm pro malo accipitur, ſi duobus amicis ſimul ambulantibus puer medius intercurrerit, vel aliquod aliud animal: æſtimatur enim quòd eorum ſit amicitia diuidenda. Simile eſt redire domum, ſi homo ſtatim procedens offenderit, & tales multas fatuas obſeruantias ibidem recitat Auguſtin. tale ſimile eſt his duobus, quòd venatores, ſi eundo venatum fratribus aut ſacerdotibus obuiant, pro illo die de venatione diffidunt: cùm igitur tales ſignificationes non ſint à Deo inſtitutæ, dicunt Doctores, quòd tales obſeruationes ſignorum. Huiuſmodi ſunt introductæ ab humana vanitate cooperante Dæmonum malitia, qui gaudent implicare homines in vanitatibus & erroribus, & interdum caſu accidit, quòd tale ſignum talis euentus ſequebatur, ſed poſteà quando homines inceperunt talibus indulgere, multa ſequebantur per cooperationes dęmonum, vt homines magis fierent curioſi, & arctiùs in talibus ſuperſtitionibus traditi. Vndè cùm nulla ratio poſſet eſſe, quare occurſus ſanctorũ virorũ venationem impediat,

impediat, quãdo modò est licita, & ex personis conueniẽtibus licitè exercetur, manifestum est, quòd hoc & alia sunt superstitiosa & erronea, & vana, de quibus longum esset omnia prosequi, quibus falluntur & & fallunt homines stulti, & vulgares prosequentes experientiam quasi certam, & fundant cõfictiones malas & falsas, nec aspiciunt ad ea, quæ benè & prosperè successerunt tali die, adeò etiam occupatur imaginatio eorum circa aliquos euentus minùs bonos, quod non potest conuerti ad alia bona, quæ illo die contingunt.

QVOD MERITO PERMITtit Deus tales augures & superstitiosos decipi, & in laqueum suæ vanæ incredulitatis incidere.

VNdè meritò permittit Deus tales decipi, & in laqueum suæ falsæ credulitatis cadere, quia Deo odibiles sunt, secundum quod scribitur Psalm. 3. Odisti obseruantes vanitates superuacuè: vbi dicit Nicol. de Lyra, per somnia, auguria, & consimilia, per quarum obseruationem aliqui sperant euadere pericula & tribulationes, sed superuacuè obseruant, quia talis obseruatio inutilis est & nociua, quia superstitiosa. Hæc ille.

QVOD

QVOD OBSERVATORES diei sancti Vincentij, & conuersionis sancti Pauli, sunt vani & superstitiosi cum suis ineptis versibus, quibus dicunt: Vincenti festo, &c. Et clara dies Pauli.

EX quibus omnibus possumus inferre, quòd obseruatores dierum sancti Vincentij & conuersionis sancti Pauli, sunt vani & superstitiosi cum suis versibus ineptis, quibus dicunt:

Vincenti festo, si sol radiet, memor esto,
Para tuas cuppas, quia multas colligis vuas.

Et vltrà:

Clara dies Pauli, multas segetes notat anni,
Si fuerint nebulæ, aut venti, erunt prælia genti.

Hoc enim non potest stare, nec ratione naturali, nec Theologica, nec Astrologica probari, vt suprà dictum est: quia quòd illa die sol radiauerit, vel sint nebulæ, vel venti, de per accidens est, quòd plures sint vindemiæ illo anno, vel animalia pereant, vel prælia contingant, accidit non à tali die festo, sed vel potiùs à voluntate diuina. Nam sæpè contrarium videmus esse certius.

QVOD

QVOD STERILITAS FRVctuum & animalium, & quòd prælia vigeant, non accidit à dispositione quorundam dierum, sed à dispositione naturæ, & potiùs à voluntate diuina effectiuæ vel permissiuæ.

QVōd autem interitus pecorum, vel abundantia vel sterilitas seminum, proueniat à voluntate diuina tanquam à superiori causa, & hoc propter peccata patet Iohelis 1. quando propter peccata populi dicitur: Disipata sunt horrea, disipatæ sunt apothecæ, confusum est triticum, ingemuit animal, mugierunt greges armenti, quia non sunt pascua eis, sed & greges pecorum disperierunt. Et Aggæi 1. Ponite corda vestra super vias vestras, dicit dominus. Seminastis multum, & collegistis parum. Comedistis & non estis saturati. Bibistis & non estis inebriati, & infrà. Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus, & intulistis in domum & ego exsufflaui illud. Propter hoc (inquit) super vos prohibiti sunt cœli, ne darent rorem, & terra prohibita est, ne daret germen suum, & vocaui siccitatem super terram & super montes, & super triticum, & vinum, & oleum, & quęcunque profert humus, & super homines &

nes & iumenta, & super omnem laborem manuum vestrarum. Et 2. c. dicit: Percussi vos vento vrente & aurugine, & omnia opera manuum vestrarum, & non fuit qui reuerteretur ad me. Hæc enim etiam proueniunt ex constellatione cœlorum, qui diuersimodè influunt secundũ quod Deo seruimus vel non. Vndè Leuitici 26. Si non feceritis mandata mea, dabo cœlum vobis desuper ferreum, & terram æneam, & consumetur in cassum labor vester. Si autem in præceptis meis ambulaueritis, dabo vobis pluuias temporibus suis, & terra gignet germen suum. Sed de bonis, quæ à Deo procedunt propter conuersionem & pœnitentiam, dicitur Ioelis 2. Zelatus est dominus terram suam & pepercit populo suo, & dicit: Ecce ego mittam vobis frumentum, vinum, & oleum, & replebimini in eis. Et non dabo vos vltrà opprobrium in gentibus.

QVOD VICTORIA BELLI NON diei, sed soli Deo attribuenda est.

SEd de prælijs qualiter in pœnam peccatorum accidant, & à Deo bono & iusto proueniãt in vindictam malefactorum, & patientiã bonorũ, lõgum esset enarrare, qa tota sacra scriptura plena. Vndè & si plura

bella à malis hominibus, vel à principe tenebrarum concitentur, & à Deo permittantur: victoria autem belli non diei, sed soli Deo attribuenda est, patet. Attribuere tantum opus, vt est victoria diei, est tollere honorem Deo debitum cuius est vincere, quòd autem victoria sit solius Dei, habetur in multis locis sacræ scripturæ: vt in libris Iosuæ, Iudicum, Regum, Paralipomenon, & Machabæorum. Hoc testatur Salomon Prouerb. 21. c. sic dicens: Equus paratur ad diem belli, dominus ad salutem tribuet. Indè est, quòd rex deuotissimus Dauid, quotiescunque pugnaturus erat, auxilium Dei quæsisse & inuocasse legitur. Indè est prouerbium vulgare: *Los hombres hazen la guerra, i dios la victoria.* Hoc est, homines faciunt bellum & Deus victoriam. Ex quibus omnibus concluditur, quòd obseruatio dierum ad faciendum aliquem effectum, qui rationabiliter expectari non potest à Deo miraculosè operante, nec à causis naturalibus debet apud Christianos haberi superstitiosa & suspecta de secreto pacto implicito vel explicito cum dæmonibus: & ista est doctrina sanctorum Doctorum, præsertim Augustini in pluribus locis, quibus has obseruationes validè condemnauit, vt 5. de ciuitate Dei. 4. confes-

confessionum, 2. de doctrina Christiana, & recitantur multæ in decretis, 26. q. 5. & q. 7. pluribus capitulis.

QVOD SVPERSTITIOSÆ sunt quædam mulierculæ, affigentes humeris paruulorum specula vel frustula corij vulpis vel melotæ, ne inficiantur ab oculis vetularum.

SImiliter superstitiosæ sunt quędam mulieres, affigentes humeris paruulorum quædam fragmenta speculorum vel frustula vel peciolas ex corio vulpis vel melotæ, credentes per hoc tales paruulos non infici ab oculis maleficarum, hoc vanum & superstitiosum est, & sine vlla ratione naturali, aut Astrologica, aut Theologica, vt suprà dictum est.

QVOD PVERI REALITER possunt fascinari, hoc est à malo oculo infici, sed quale remedium sit adhibendum.

QVòd autem paruuli posſint fascinari, hoc est à malo oculo infici & indè lædi. Tenet sanctus Thom. 1. part. q. 118. art. 3. ad 3. vbi dicit, quòd ex forti imagine immutantur spiritus corporis coniuncti, quæ quidem immutatio spirituum maximè fit

in oculis ad quos subtiliores spiritus perueniunt, oculi autem inficiunt aërem continuum vsq; ad terminatum spacium, per quem modum specula si fuerint noua & pura contrahunt quandam impuritatem ex aspectu mulieris menstruosæ, vt ait Aristoteles libro de somno & vigilia: sic ergò cùm aliqua anima fuerit vehementer commota ad malitiam, sicut maximè in vetulabus contingit, efficitur secundum modum prædictum, aspectus eius venenosus, & noxius & maximè pueris, qui habent corpus tenerum, ac de facili recipiūt talium impressiones. Possibile est etiam ex permissione, vel etiam ex aliquo facto occulto cooperatur ad hoc malignitas dæmonum, cum quibus vetulæ sortilegæ aliquod fœdus habent. Hæc ille. Sed ad Galatas 3. super illud quis vos fascinauit veritati non obedire. Dicit glo. quòd quidam habent oculos vrentes in solo aspectu inficiunt alios & maximè pueros, hoc idem dicit Petrus de Tarantasia super eodem passu. Sunt (inquit) aliqui, qui habent oculos vrẽtes, qui respiciunt paruulos teneros lædunt, ita vt cibum ex stomacho eijciant, & nauseam patiantur, & hoc secundum naturā possibile est. Anima enim vehementer affecta immutat oculos. Oculus

lus immutatus immutat aërem, aër immutat teneram carnem pueri, & sic lędit. Non tamen facienda est aliqua incantatio vel superstitio ad hoc remouendum, vt faciũt mulieres frequenter, sed possunt apprehendi aliqua verba sacra, vt hæc: Dominus mihi adiutor, nõ timebo, quid faciat mihi homo. vel oratio Dominica, cũ signo crucis, &c. quare periculum est firmare fidem & credulitatem talibus incantationibus, quæ tollunt omne iudicium & rationem ad oppositũ. Vndè meritò permittit Deus tales decipi & in laqueum suæ falsæ credulitatis incidere, vt dictum est.

PONIT QVASDAM SVPERstitiones, vt per illas intelligere possumus innumeras alias.

SVnt aliæ innumerabiles & particulares superstitiones, quibus hostis antiquus quotidiè ad se trahere nititur genus humanum. Nam figere actus & spintera cuidam arbori apud Basilicam sancti Christophori, quę sita est super montem excelsum prope ciuitatem nostram Pamp. credẽtes per hoc ꝙ per totum annũ sequẽtem non patiẽtur dolorem capitis, vanũ & superstitiosum est a[illegible]q; vlla ratione. Similiter puellas suspendere capillos suos corã imagine

sancti Vrbani in claustro nostro, credentes per hoc capillos suos non posse cadere, vel debere pulchriores esse, vel aliqd aliud huiusmodi vanum & superstitiosum est. Sed quàm piè & religiosè egerit quidam ex fratribus nostris Canonicis, qui iam decessit ab humanis, qui huius rei superstitionem detestans post matutinas quadam nocte ignem candelæ, quam in manu gestabat, applicuit, & ferè omnes cõbussit. Eodemq; modo superstitiosum est, quòd ferè in omni hac nostra patria vanè obseruatur, vt dũ fœmina est propinqua partui zonam vel corrigiam, qua p̃cingitur, accipiẽtes ad Ecclesiã occurrunt, & cymbalum modo quo possunt corrigia illa, vel zona circũdant, & ter percutientes cymbalum sonum illum credũt valere ad prosperum partum, quod est superstitiosum & vanum. Nam quòd ter campana sonet, hoc potiùs vt ex hoc omnes audientes deuotè orent pro tali parturiente, & ferè periclitanti, offerentes beatæ virgini ter Angelicam salutationem, vt illa quæ immunis & libera fuit à tali dolore, sicut ab omni peccato, liberet huiusmodi mulierem à periculo illius horæ.

QVOD

QVOD SVPERSTITIOSÆ sunt quædam vetulæ affigentes schedulas, siue nomina vulgariter nuncupata contra febres, cum quibusdam vanis obseruationibus.

SImiliter superstitiosæ sunt quædam vetulæ affigentes quasdam chartulas, siue nomina vulgariter appellata, etiam cum verbis Catholicis, sed dicentes has nihil proficere, nisi scribantur in charta virginea, & suspendantur versus solem cum tribus filis tortis manibus alicuius puellæ virginis nomine Mariæ, & quòd illi ligatur, vel cui aliquam herbam pro sanandis febribus comedere dederint, nihil hoc valere dicunt, nisi versus solem in suo ortu genibus flexis hoc accipiat, vt mihi febricitanti nonnunquam quandam vetulam dixisse memini, hoc, inquam, superstitiosum est & vanum, & omni ratione carens. Nam, vt inquit Ioh. Gerson, quid aliud sonant istę traditiones, scribant hoc in Pergameno virgineo, portetur in figura triangulari, cũ characteribus incognitis, & thurificetur suspendaturque ad collum, & fiant ista certis horis, tũc infra triduum aut antequam triduum proueniet effectus ille, quem quærimus absque dubitatione, imò hoc

sub periculo capitis asseritur, hoc supersti. tiosum & diabolicum est. Vndè Augustin. & habetur 28. q. 2. c. illud. vbi dicit, quòd ad superstitionem pertinent omnes ligaturæ & remedia, quæ medicorum disciplina condemnat quibuscunq; rebus suspendendum atque ligandum.

QVOD VERBA SANCTA ET reliquias possumus suspendere in collo, & per easdem benedicere infirmos homines, vel iumenta, seruatis quinque conditionibus.

QVòd autem verba sancta posint affigi in collo, & benedicere infirmos homines, vel iumenta, vel carmina scripta, vel verba sacra, & quòd licitum sit eadem secũ deferre & portare, hoc possum per sanctũ Thomam 2. 2. q. 96. art. 4. quinque conditionibus obseruatis. Prima, vt caueant, ne verba aliqua contineant, quæ pertineant ad inuocationes dæmonum, expressas vel subintellectas. Secunda, ne contineant ignota nomina, quia secundum Chrysostomum talia metuenda sunt, ne illis aliquid superstitiosum lateat. Tertia, ne materia verborum aliquid falsitatis cõtineat, quia sic eius effectus nõ posset expectari à Deo, qui non est testis falsitatis. Quarta, ne ibi contine-

contineantur vana, vt characteres inscripti præter signum crucis. Quinta, ne spes habeatur in modo scribendi vel ligandi, aut in quacunque huiusmodi vanitate, quę ad diuinam reuerẽtiam non pertinẽt, quia aliter iudicaretur superstitiosum. Vndè in decretis dicitur 26. q. 6. non licet attendere, nisi tantùm symbolo diuino, aut Dominicam orationẽ, vt tantùm creator & Deus omnium honoretur. Præter has quinque conditiones ponit Ioannes Nider duas alias in suo præceptorio, præcepto primo, c. 11. quarũ prima est, vt in allegatione, prolatiõe, vel scriptura diuinorum verborum respectus solùm habeantur ad sacra verba & ad intellectum eorum, & ad reuerẽtiam, seu ad virtutem diuinam, à qua expectatur effectus, vel ad sanctas reliquias, quibus etiam præfata expectantur secundario, licèt à Deo principaliter. Secunda vt cõmittatur effectus, qui expectatur diuinæ volũtati, quæ scit vtrùm talis sanitas plus ꝓsit inuocanti, vel minus, vel an obsit. Et hanc conditionem, inquit, ponit sanctus Tho. prima. 2. in materia de gratia. & in 4. distinct. 15. quòd si nulla istarum septem conditionum in opere intercesserit erit illicitum. Et prædicta probat illud Marci vltimo, Christo dicente: Signa eos qui credi-

derint hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent. Item non minoris sanctitatis sunt verba Dei, quàm sanctorum reliquiæ, dicente Aug. Non minus est verbum Dei, q̃ corpus Christi, sed secundum oẽs licet reliquias sanctorum secum reuerenter portare, ergò qualitercunque nomen Dei inuocetur ritè per orationẽ Dominicam, per salutationem Angelicam, vel alio modo licito spes haberi pót in eo committendo effectum diuinæ voluntati.

QVOD PER DIVINA VERba licitum est arcere lupos, serpentes, & locustas, & alia huiusmodi, & quomodo hoc licitè fiat, & quomodo illicitè.

EX quibus dicit sanctus Doctor 2.2. vbi suprà, & etiam in quodlibeto. 12. artic. 14. quòd prædictis seruatis conditionibus per diuina verba licitum est arcere serpentes, & eadem ratione quæcũque animalia, si solus respectus habeatur ad sacra verba & ad diuinam virtutem. Quibus conditionibus obseruatis, dico similiter, quòd licitè potest fieri coniuratio contra lupos, vt arceantur à raptu, vel præda pecorum & aliorum animalium. Similiter contra locustas

custas & contra mures vastantes fructus terræ, si nihil superstitiosum dicunt, docēt vel faciunt, vt dicit Guilhelmus Lugdun. vndè si quæratur, vtrùm liceat adiurare irrationalem creaturam? Respōdet sanctus Thom. 2.2. q. 90. quòd sic per modum con clusionis, quæ referri tunc debet ad diabolum, qui in nocumentum nostrum vtitur irrationabilibus creaturis, & talis modus adiurandi est in Ecclesiæ exorcismis, per quos dæmonum potestas excluditur ab irrationalibus creaturis, si enim referetur intentio ad irrationabilem creaturam quò ad se, quæ nihil intelligit, vana esset, & hoc modo intelligitur illud, quod scribitur Genesis 3. quòd serpens callidior erat cunctis animantibus, quæ calliditas principaliter referenda est ad dæmonem, qui in serpente apparebat: ad serpētem autem non refertur, nisi inquantum calliditate dæmonis agebatur, sicut lingua hominis alicuius dicitur erudita, quia prudenter mouetur ab intellectu, vndè sequitur & ait Dominus ad serpētem glossa. i. Diabolum qui occultabatur & loquebatur in serpente, ita in serpente maledicitur, possumus ergò dæmones adiurare in irrationalibus creaturis, per virtutem diuini nominis, & tanquam inimicos repellere, ne nobis no-

ceant, vel spiritualiter, vel corporaliter, secundum potestatem datam à Christo, Lucę 10. Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & super scorpiones, & super omnem potestatem inimici, & nihil vobis nocebit. Si tātum vtamur licitis verbis & adiurationibus, sicut per pasionem & crucem Christi & huiusmodi, quomodo Simonem & Iudam adiurasse dracones legimus, & eis præcepisse, vt irent in desertum locum. Si autem aliqua inutilia verba & superstitiosa facta admisceantur verbis sanctis, vt isti incantatores equorum & iumentorum faciunt vermen quendam suspendentes, & die lunæ crescentis vel minuentis seruantes prohibendi sunt, qui talia agunt, secundum illud Apostoli 1. ad Thess. 5. Ab oī specie mala abstinete vos. & extrà, de vita & honest. cler. cum ab omni.

QVOD DAMNABILIS ET igni tradendus est quidam libellus coniuratorius, qui in aliquibus Ecclesijs reperitur propter verba suspecta & manifesta mendacia, quæ in eo continentur & apparent.

EX supradictis videtur etiam damnabilis & igni tradendus libellus quidam coniuratorius contra tempestates cū suis

similibus,

ſimilibus, ſi reperiantur, quem ego penes me habeo repertum in quadam parrochia viſitationis meæ, qui incipit ſic: In nomine domini noſtri Ieſu Chriſti ad ſaluandum fructus terræ † Chriſti † Chriſti, ſed fortiter deſcendiſti ad terram, &c. Nam re vera inter bonas inuocationes plurima continet verba ſuſpecta & ſcandaloſa, & ad inuocationem dæmonum expreſſam, vel ſubintellectam pertinentia contra primam conditionem ſuperiùs poſitam per ſanctum Thomam, verba obſcura, ſuſpecta & ignota contra ſecundam, verba etiam continentia falſitatem cõtra tertiam, & ſic de alijs, quibus ſuperſtitionibus & mendacijs ferè totus hic libellus plenus eſt. Nam in ſecundo folio dicitur: Dominus dicit, pax in cœlo, pax in terra, pax ſit in iſto, alleon, iraſtem, drachon, ſalus tibi Deus magnus, Deus mirabilis. Et infrà: Coniuro te, alligo te per ælim, per olin, & per ſaboan, per ælion, per adonay, per alleluia, per tanti, per archabulon, per tetragrammaton, per mare, per mundum, per crura, per tibias, &c. & infrà. Sed ſitis alligati & conſtricti per iſta ſancta nomina Dei Alleluia, hir, ælli, habet, ſat, mi, filiſgiæ, adrotij gundi, tat, chamiteram, dã, yrida, fat, ſathan. de 70. DEVS Agnus, omni-

omnipotens, Iesus Christus, aquila, &c. Nunc autem oro quid sibi volunt ista nomina alleon, irasten, & drachon, & satan, &c. Inter nomen benedictū Iesum & Adonay & tetragrammaton. Nam secundum Apostolum 2. ad Cor. 6. Non est communicatio lucis ad tenebras, & Christi ad Belial. Nónne satanas transfigurat se in Angelum lucis, vt dicitur 2. ad Cor. 11. Sunt & alia nomina in hoc libello lōgè obscuriora & suspectiora, quę scribere omitto properans ad falsitatem quandam & manifestam superstitionem circa finem libri, vt dicit sic: Coniuro te sabella, quæ faciem habes mulieris & renes piscis, caput tenés in nubæ & pedes in mari, septem ventos baiulas, dæmonibus imperas. Adiuro te sabella per ista nomina per balestaco, per ariona, & adiuro vos ductores ventorum per Deum patrem, &c. & infrà. Sabella sabella alta & excelsa, ventum validum contra illas, quas de terminis nostris eijciat. Ex quibus patet, quòd non solùm ex verbis istis ignotis timendum est in hoc tractatu esse multa suspecta & scandalosa verba. Verùm etiam ex inuocatione huius monstri sabella apparere multa falsa & superstitiosa, imò perniciosa & piarum aurium offensiua, vt enim dicit Aug. in libro

contra

contra mendacium, maximè perniciosum, quod fit in his, quæ ad Christianam Religionem pertinet. Est autem mendacium, cùm aliquis exterius significet contrarium veritati. Est autem contrarium veritati adiurare fabellam, veritati, inquit, non solùm Phisicæ, sed etiam Theologicæ. Phisicæ patet. Nam nihil tali reperiri potest inter res naturales, quæ sub certis generibus & speciebus determinatis continentur. Nam secundum Philo. 2. de anima. Omnium natura constantium positus est terminus & ratio magnitudinis & augméti, & hoc ab anima. Vndè cùm vnumquodque animalium habeat suam propriam speciem, & quantitatem & operationem. Si ergò istud monstrum habeat caput in nubibus, & pedes in mari, attingat à mari vsque ad nubes, ergò non connumerabitur inter res naturales per regulam supradictam. Repugnat etiam veritati Theologicæ tale quid esse, quia omnia creata in rerum natura à Deo creata sunt, & inquantum hæc sunt bona. Genes. 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. Ratio autem boni consistit in modo, specie & ordine, quæ pertinent ad rationem cuiuslibet speciei, vt dicit sanctus Thom. 1. parte, quæstio. 8. artic. 5. per

modum

modum autem significatur determinatio, siue commensuratio principiorũ, siue materiarum seu efficientium ipsam. Ipsa autẽ forma significatur per speciem, quia per formam vnumquodque in specie constituitur, ad formam autem consequitur inclinatio ad finem, aut ad actionem, aut ad aliquid huiusmodi, & hoc pertinet ad ordinem. Vndè ratio boni secundum quod consistit in perfectione, consistit etiam in modo, specie & ordine. i. res, inquam, est perfecta & bona, & à Deo creata, & naturalis siue corporea requiritur, quòd habeat principia essentia. i. materiam determinatam in ordine ad formam determinatam, quæ dat esse rei, & per quam ponatur indeterminata specie, & per consequens habeat propriam operationem, sed nil eorum est in hoc monstro sabella, ergò in eo nullum bonum est, & per consequens non est à Deo. Patet, quia in eadem quæstione, vt inducit beatus Thomas Augustinum in libro de natura boni, hæc tria, modus, species, & ordo tanquam generalia bona sunt in rebus à Deo factis, quòd hæc tria vbi magna sunt, magna bona sunt; vbi parua sunt, parua bona sunt. Vbi nulla nullum bonum est, ergò à Deo non est tale monstrum in rebus naturalibus, sed nec erit

Deus vel Angelus, non Deus, quia nephas est Deo tales formas attribuere, quia Deus spiritus est, Ioan. 4. Cùm ergò blasphemia sit attribuere Deo talem effigiem, non ergò esset in spiritu & veritate inuocare Deum, sed in manifesta falsitate. Sed neque Angelus bonus potest esse fabella, quia nihil monstruosum est in eo, sed totus pulcherrimus, & in naturalibus, & in gratuitis. Nec vnquam ad suam operationem legitur accepisse tales formas menstruosas, ergò relinquitur, quòd talis inuocatio fit ad principem dæmonum, quia etiam dæmonibus potest imperare, vt dicit Magister in 2. sententiarum, distin. 6. c. 4. quamdiu, inquit, durat mundus Angeli Angelis, dæmones dæmonibus, homines hominibus præsunt. Relinquitur ergò quòd tàm ex parte nominum ignotorum, quàm ex falsitate inuocationis huius fabellæ, cùm ista nomina sint suspecta & scandalosa, & secundum Chrysostomum euitanda & cauenda. quòd vbicunq; similis libellus coniurationis reperiatur est iure damnandus & igni tradendus, tanquam superstitiosus, suspectus & scandalosus, quòd si reperiantur talia nomina in Hebraicis nominibus, nos veri Christiani non vtimur talibus terminis in Ecclesia. Imò magis est suspicandum,

candum, cùm & ipsi Hebræi nephandi & malefici vt plurimùm sint, & non solùm ipsi, sed & quidam noui Christiani ex ipsis ad fidem conuersi pro magna parte in Hispania infideles hæretici & apostatæ à fide nostris temporibus reperti sunt. Nō enim desunt nobis coniurationes sanctæ & honestæ & catholicæ approbatæ, per consilia prouincialia & synodalia, quales sunt in nostra diœcesi absque suspicione aliqua, in quibus nihil continetur, nisi sanctum & catholicum. Neque in eis vnum nomen reperitur ignotum, sed inuocatio solùm sanctissimæ Trinitatis & sanctorum. Neque obstat, si aliquando inuocetur nomen Trinitatis, & misceantur aliqua nomina sancta inter istas superstitiones, quia etiam frequenter multa inueniuntur obseruari in artibus magicis, & sortilegis, & superstitionibus, quæ sunt sancta & honesta, vt ieiunare, castum esse, dicere Pat. no. & Euangelium, quia vt dicit Ioan. Gerson in suo prologo Astrologiæ theologizatæ, quòd superstitio tantò peior est, quantò plura miscentur bona, quoniam vndè deberet honorari Deus, honoratur Diabolus.

QVOD

QVOD SVPERSTITIOSÆ, suspectæ & scandalosæ sunt quædam schedulæ sine nomine nuncupatæ, datæ quibusdam superstitiosis quarum forma ponitur.

SImiliter superstitiosæ & suspectæ & scandalosæ sunt quædam schedulæ sine nomine appellatæ, quæ dantur à quibusdam superstitiosis, de quib. aliquæ peruenerũt ad manus meas sub hac serie † on † corision † matatron Caladafon, Corobam, Ozcozo, Vriel, vriel, Yosiel, yosiel, Michael, Azariel, Raphael, Daniel, Ya, Ya, Vba, Adonay, Sabaoth, Heloim, & similia: & ratio est, primò propter auctoritatẽ Chrysostomi dicentis, quòd non debemus vti nominibus ignotis, quia talia metuẽda sunt, ne sub illis sit aliquod superstitiosum latens, vt suprà dictum est, nam hoc Paulus intelligit, cùm dixit ad discipulum, prima ad Timoth. 8. Prophanas vocum nouitates deuita. Qualiter verba sacra possunt deferri quinque conditionibus seruatis, dictũ est suprà, quòd si dicas sunt nomina græca & sacra. Dico tibi, quòd nos Latini ignorãtes linguam græcam, non debemus vti eis propter suspicionem, non enim desunt nobis termini latini sermonis, vt quę-

ramus nobis terminos grecos & suspectos in tali materia. Eadem ratione sunt reprobanda quædam breuiola sine nomine nuncupata, quæ data fuerunt olim contra febres à quodam nebulone quæstore, quarũ forma talis erat: Ananisapta ferit mortem quæ lædere querit. Est mala mors capta dũ dicitur ananisapta. Ananisapta Dei, miserere mei, à signis cœli, quæ timent gentes: Nolite timere, quia ego vobiscum sum, dicit Dominus. Nam in principio apparet falsitas, quia vbicunque ista dictio ananisapta reperitur in vocabularijs sunt isti duo versiculi: Ananisapta ferit mortẽ, quæ lædere querit. Est mala mors capta dum dicitur ananisapta. Ananisapta autem, vt dicit Guarinus, mala mors interpretatur, & quælibet litera repræsentat vnam dictionem secundum antidotum, nazareni, auferat, necem, intoxicationis, sanctificet, alimenta, pocula, trinitas, alma. Est ergò sensus primi versiculi, Ananisapta, id est, mala mors Christi ex suo genere, vel ex parte Iudæorum preciosa. Ex parte Dei & fructus redemptionis ferit mortem. i. diabolum, quæ lædere querit. Nam mortem nostram moriẽdo destruxit Christus, non ergò primus versiculus ille schedularũ concordat in forma verborum, nec in sensu

cum

cum isto versiculo vero hîc exposito, imò habet contrarium sensum & verba, vt patet intuenti. Sunt etiam suspectæ illæ schedulæ ex parte dantis. Nam erat ille homo apostata à Religione fratrum minorum, nunc sub habitu Canonici regularis, nunc sub habitu sancti Anthonij prędicando incedens. Nam vt dicitur Prouerbiorum 6. Homo apostata vir inutilis graditur ore peruerso. Ex quibus sequitur, quòd quæcunque similes schedulæ, quæ à similibus vel alijs idiotis hominibus traduntur, deberent magna cum diligentia priùs à sapientibus examinari. Similiter dicit Guilhelmus Lugdunen. quòd illa breuia, quæ continent huiusmodi verba, si quis portauerit hoc non peribit in igne vel aqua, non morietur morte subitanea vel peste, vel consequetur tale bonum, talia sunt reprobanda, & non portanda, & peccant facientes & vtentes, consulentes & vendentes, quia catholica fides nullatenus debet admittere similes traditiones & superstitiones, quę dicuntur nomine suspensę ad collum, nisi de consilio maiorum & sapientium, quibus credere debemus, non indoctis & impijs idolatris non hominibus datis in reprobum sensum.

QVOD SVNT QVÆDAM species aliæ superstitionum, videlicet Pythonum & Maleficorum, & Diuinorum, & qui sunt diuini Pythones & Malefici, & vndè prouenit eorum diuinatio.

SVnt & aliæ species superstitionum, videlicet Pythonum & Maleficorum, quibus proh dolor hac nostra tempestate totum hoc regnum plenum est. Pythones.n. à Pythone Apolline dicti sunt, quę dicebãt esse auctorem diuinandi, vt Isidorus dicit 8.li.Etymologiarum. Diuini enim dicuntur, quasi Dij pleni. Diuinitate enim se plenos simulant, & astutia quadam fraudulentiæ hominibus futura cõiectant. Vndè diuinatio est vna species superstitionis per quam quis aut occulta aut futura inuestigare nititur, per pacta, aut occulta, aut manifesta cum dæmonibus. Et hæc diuinatio habet plures species, quas tangit B. Tho. 2.2.q.95.artic.3.vbi dicit: Omnis diuinatio vtitur ad præcognitionem futuri euentus aliquo dæmonum consilio vel auxilio, qđ quidem vel expresse imploratur, vel præter intentionẽ hominis se occultè dæmon ingerit ad prænunciandum futura quædã, quæ hominibus sunt ignota, eis autem cognita.

gnita. Dæmones enim expresſè innocati ſolent futura prænunciare multipliciter: Aliquando præſtigioſis quibuſdam apparitionibus aſpectui hominum ingerentes ad pronunciandum futura, & hæc ſpecies vocatur præſtigium ex eo, quòd oculi hominum præſtringantur. In ſecundo artic. prçcedenti dicit, quòd omnis diuinatio ex operatione dæmonum prouenit. Vel quia expreſsè dæmones inuocantur ad futura manifeſtanda, vel quia dæmones ingerunt ſe vanis inquiſitionibus futurorũ, vt mentes hominum implicentur. De qua vanitate dicitur in Pſalmo: Non reſpexit in vanitates & inſanias falſas. Hæc ex dictis ſancti Thomæ.

QVOD NIGROMANTICI, PYthones & præſtigioſi ſint hi, ad quos populares concurrunt, vt futura agnoſcant, vel aut perdita ſibi reſtituantur, & quòd iſti ſemper miſcere conantur ſancta inter ſuas ſuperſtitiones, & hoc inſtinctu dæmonum.

EX quibus inferri poteſt, quòd præſtigioſi & Pythones & Nigromantici ſunt iſti, ad quos quotidiè populus ſtultus & inſipiens concurrit, vt futura cognoſcat, vel

aut perdita sibi restituantur, quibus fiunt vt communiter dicitur, apparitiones dæmonum in filialis vel anulis, vbi veniunt inuocati ad futura prædicenda, vel ablata manifestāda. Et vt fertur isti arioli semper miscere conātur sancta inter suas superstitiones, vt attestantur hi simplices, qui ad ipsos concurrunt. Nam & infelices ipsi eodem die quo similia nephanda perpetrare non verentur sacrificium Eucharistiæ celebrare infeliciter audent, quod probat Magister Ioan. Nider dicens in suo præceptorio: Malefici instrumenta suæ malitiæ per sacramenta Ecclesiæ, vel per alia diuina tangere procurant, vt filum trahendo per chrisma sanctum, imaginem terream sub pala altaris ad tempus ponendo, & similia faciendo. Nam sacramento Eucharistiæ, vt fertur, vtuntur in suis maleficijs, & plurima alia nephanda committunt miscentes res sanctas suis superstitionibus, sed ex instinctu dæmonis ista fiunt triplici de causa, vt ponit idem doctor. Primò, vt non solùm homines per talia perfidi fiant, sed etiam sacrilegi diuina quantum in eis est contaminando, vt magis creatorem suum offendant, & intimius animas proprias contemnant, & plures in peccata ruere faciant. Secundò, vt Deus sit grauiter offen-

ter offensus per homines secundum beati Augustini sententiam. Dæmon maiorem potestatē in homines malos tribuat, quibus Deus concedit iratus, quod denegaret propitius. Tertiò, vt sic sub specie boni apparentis plures simplices faciliùs recipiāt, qui tacta diuinis rebus & orationibus à Deo, putant etiam aliquid numinis obtulisse, vbi solùm maiora peccata sunt commissa. Hæc ille. In alijs autem superstitionibus quæ fiunt ab istis ruralibus, & si dæmones nō expresse inuocentur, vt in proposita quæstione & similibus, interserunt tamen se vanis actibus & superstitiosis, vt mentes hominum decipiantur.

QVÆRITVR, VNDE DÆMOnes sciant futura interdum, & vndè tàm miros effectus facere possunt, aßignantur causæ.

SEd quæritur, ex quo isti Pythones & diuini manifestant occulta aut futura, & hoc ex pacto inito cum dæmone. Vndè & quibus ex causis dæmones sciant futura interdum, & vndè tàm miros effectus possunt, cùm Deus permittit, efficere. Ad quā respondet Augustinus, de natura dæmonum, asignando septem causas sentētialiter, non quòd futura contingentia sciant,

 quia

quia hoc solius Dei est, sed coniecturant probabiliter. Prima, quia licèt sint obtenebrati per priuationem luminis gratiæ, sunt tamen lucidi lumine intellectualis naturæ. Secunda, plura sciunt quàm nos propter experientiam temporum. Tertia, propter celeritatē motus, dæmones multa futura prædicere possunt, quæ hominibus latent. Quarta, sua potētia, cùm Deus permittit possunt morbos immittere, & hos prædicere. Quinta, per signa futura possunt prædicere subtilius quàm Medicus videndo pulsum & vrinam. Nam sicut Medicus videt per signa aliquid in infirmo, quod homo simplex non videt, ita & dęmon, quod nullus homo naturaliter videt. Sexta, ex signis quę procedunt ab animo homines coniecturant ea, quę sunt vel erunt in anima astutiùs prudenti viro. Sciunt enim qui instinctus eorum sunt similiter secuturi. Septima, acta & scripta Prophetarum noscunt, ex quibus futura prædicere possunt. Et hæc tanguntur 26. q. 4. c. sciendum. in glossa. Et vt dicit S. Thomas vbi suprà. Homines in seipsis effectus considerare possunt solùm dum sunt præsentes sicut homo videt sortē currere vel ambulare, sed considerare huiusmodi in seipsis antequam fiant est Dei proprium, qui

solus

solus in sua æternitate videt ea, quæ futura sunt quasi præsentia. Vndè dicitur Esaiæ 41. Annunciate quæ ventura sunt in futurum, sciemus quia Dij estis vos. Si quis huiusmodi futura prænunciare aut pcognoscere, quocunq; modo præsumpserit, nisi Deo reuelãte, manifestè vsurpat sibi quod Dei est.

VNDE DIVINI DICVNTVR, & diuinatio quàm graue sit peccatum.

ET ex hoc aliqui diuini dicuntur, vt dicit Isidorus in libro Etymologiarum, vt suprà notatum est. Diuinatio aũt quantum sit peccatum, ostendit sanctus Thomas libro & quæstione suprà dicta, artic. 4. Primò auctoritate, quæ scribitur Deut. 18. vbi dicitur: Non inuenitur in te, qui ariolos sciscitetur, & Pythones consulat, Ratione probat sic: Omnis diuinatio, quæ fit per incantationes Dæmonum, est illicita duplici ratione. Quarum prima sumitur ex parte principij diuinationis, quod est pactũ expressè cũ dæmone initum p ipsam dæmonis inuocationẽ, & hoc est oĩnò illicitum. Vndè contra quosdam dicitur Esa. 28. Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum, & adhuc grauius

esset, si sacrificium vel reuerentia dæmoni inuocato exhiberetur. Alia ratio sumitur ex parte futuri euentus, dæmon enim qui intendit perditioni hominum ex huiusmodi suis responsis etiam si aliquando vera dicat, intendit homines assuefacere ad hoc quod ei credatur, & sic intendit perducere in aliquid quod sit saluti humanæ nociuum. Vndè Anastasius exponens illud, quod habetur Lucæ 4. Increpauit illum dicens: Obmutesce, quamuis illa fateretur dæmō, compescebat Christus eius sermonem, ne simul cum veritate etiam suam iniquitatem promulget, vt nos etiam assuefaciat, ne curemus de talibus, etiam si vera loqui videantur. Nephas enim est, vt cùm asit nobis scriptura diuina à diabolo instruamur. Hæc beatus Thomas, vnde. 11. q. 7. Episcopi à diabolo captiui tenentur, qui relicto creatore à diabolo auxilium quærunt.

QVOD PYTHONES ISTI ET nigromantici sunt apostatæ à fide, & qui ad eos concurrunt pro remedijs rerum perditarum, & alijs huiusmodi sunt superstitiosi & claudicant à fide.

EX quibus colligitur, quòd cùm Pythones isti & nigromantici, qui nunc vigent in hoc regno, qui expreſsè dæmones inuocant ad futura manifeſtanda, & alios effectus exercendos, ſunt apoſtatæ à fide. Vt dicit ſanctus Thomas in ſecundo ſententiarum. d. 7. q. 43. art. 2. ſimiliter & qui ad eos concurrunt pro acquirendis remedijs rerum perditarum, & infirmis, & ſanandis, vel ad cognoſcenda aliqua futura, & qui pluuiam vel alias neceſsitates corporales obtinere procurant per ſuperſtitioſas obſeruantias, ſunt etiam ſuperſtitioſi & claudicant in fide catholica. Sicut enim vera fides meretur dotari miraculis, dum opus eſt ad ædificationem, ita falſa fides portentis & figmentis in ſui damnationem, vel aliorum probationem demeretur illud. Peccant etiam mortaliter, quia faciunt contra primum præceptum, & etiam expreſsè prohibetur, Deuteron. decimooctauo: Non ſit qui Pythones conſulat neq; diuinos. Hi enim qui Pythones conſulunt, credunt per illũ actum realiter aſſequi quod intendunt, puta alicuius furti reuelationem, vel futuri euentus præcognitionem pluuiam, vel alicuius amoris adeptionem. Certum eſt, quòd qui talia credunt, conſequi per actum illum deceptum,

ceptum, quòd credãt illum actum aliquid existere diuini numinis, & tunc talis fidem abnegat, vt habetur per Augustinum 26.q. 7. non obseruabitis vbi enumeratis multis superstitionibus, sic concludit, qui hanc & quascunque obseruationes, aut facta, aut auguria obseruat, aut attendit, aut consentit obseruantibus, aut talibus credit, aut ad domum eorum vadit, aut in suam domum introducit, aut interrogat, sciat se fidem Christianam, aut baptismum præuaricasse, & vt paganũ & apostatam, & Dei inimicum, iram Dei in æternum grauiter incurrere, nisi Ecclesiæ pœnitentia emendatus & Deo reconcilietur.

QVOD MALEFICI, MAGI, INcantatores, diuini & nigromantici, pro eodem supponunt, imò veriùs idem significant communiter.

NVnc verò dicendum est de maleficis quibusdam præsuppositis, primùm, ꝙ malefici, & magi, & incantatores, & diuinatores pro eodem accipiuntur communiter. 26. q. 4. ergò & q. 5. si quis. Malefici enim sunt, vt dicit Magister Iohannes Nider in suo præceptorio. ca. 9. qui nituntur mutare corpora à sanitate certa generationem

tionem impedire animam ad amorem vel odium concitare, & his similia, sicut dicit Isidorus 8. Etymologiarum, c. 18. Malefici dicuntur ob facinorum magnitudinem, hi elementa concutiunt, & turbant mentes hominum, & sine vllo veneni ausu, violentia tamen carminis interimunt.

QVOD MALEFICI DÆMONE operante, possunt suis maleficijs & incantationibus veraciter homines lædere, agros & fructus eorum deuastare, & in quibus dæmones possunt homines specialiter lædere, Deo permittente.

PRO cuius maiori declaratione notandum. Primò, vtrùm malefici possint veraciter suis maleficijs & incantationibus homines lædere, agros & fructus eorum deuastare, & si sic quibus modis. Ad quam quæstionem respondent Doctores Theologi, quòd malefici omnibus istis modis possunt procurare læsiones in hominibus & eorum rebus, cooperante dæmone. In quibus potest dæmon solùm lædere, & decipere principaliter, & malefici instrumentaliter vel ministerialiter, quia vt dicit sanctus Thomas in 4. distinct. 34. arti. 3. maleficia verè fiunt à dęmonibus non apparenter,

ter, tamen & qui inducunt eos ad hoc malefici vocantur. Possunt enim dæmones Deo permittente grauiter homines lædere, & hoc quintupliciter, vt dicit Magister Iohannes Nider in suo præceptorio, præcepto primo, c.11. videlicet in rebus, fama, corpore, vsu rationis, & vita. De rebus patet Iob.1.& 2. Cui pecora, domum, abstulit & liberos. De fama patet in legenda beati Hieronymi originaliter. 3. parte Epistolarum, tractatu 15. Epistola 86. capit. 3. quòd diabolus se transformauit in formam sancti Siluani Episcopi in Nazareth amatoris sancti Hieronymi. Qui dæmon fœminam nobilem nocte in lecto precari & prouocari cepit ad luxuriam verbis, & indè factis sollicitauit ad malum, quæ cùm clamaret, dæmon in specie Episcopi statim sub lecto se abscondit, vbi requisitus inuentus per luxuriosa verba se mentitus est esse Episcopum Siluanum, in crastinum autem sanctus vir disparente diabolo diffamatus est grauissimè, quia infamia tandem circa sepulchrum sancti Hieronymi, fatente diabolo, in possesso corpore purgatus est. De corpore patet in beato Iob, qui percussus est à diabolo vlcere pessimo. Iob.2. De nocumento vsus rationis & vexatione interiorum sensuum, patet in possessis

ſeſsis & arreptis per Euangelicas etiam hiſtorias. De morte, & quòd vita etiam quoſdam priuet, patet Thobiæ 2. de ſeptem viris virginis Saræ occiſis propter luxurioſum & effrenem appetitum in virginem Saram, qui ejuſdem non erant digni matrimonio. Hæc Nider, ſed quibus modis lædant.

QVOD MALEFICATVS A DÆmonio impeditur ab actu coniugali ſecundum petitionem ſortilegæ mulieris & maleficæ.

DIcit ſanctus Bonauentura in 4. diſt. 34. art. 2. q. 2. in reſponſione vltimi argumenti loquendo de impedimento matrimonij per maleficium, dicit, quod talis impeditus dæmonio impeditur, quòd abſiſtit & ſe obijcit ſecundum petitionem ſortilegæ mulieris & maleficę. Impetrãte hoc meritò infidelitatis, ſicut fides impetrat, vt Deus adſiſtat ad facienda miracula, ſic ſortiaria reſpectu perſonæ determinatę facit ſortilegiũ, qa diabolus in actu illo præſto eſt, & tũc vel propria virtute, vel per herbam, vel per lapidem, vel naturam occultam vim impedit, ne in actum exeat, non reſpectu alterius mulieris, quia ad hoc inuitatus fuit, aut quia DEVS non permittit.

Occultum

Occultum enim Dei iudicium hîc latet, sicut patet in vxore Thobiæ. Hæc ille. Sed quare potestas maleficorum permittitur dæmonibus in actu generatiuæ potentiæ potiùs quàm in alijs. Respondet sanctus Thomas in 4. distin. 34. arti. 3. ad primum, quia per eam peccatum originale transfunditur.

QVOD HERBA ET LAPIS, ET alia huiusmodi, quibus vtitur malefica, nullam vim habent ad effectum maleficij, quantum est de se, sed vtitur his maleficus, tanquam signis pacti initi cum dæmone.

ATtende tamen, quòd herba, vel lapis, vel alia huiusmodi, nullam vim habent ad effectum maleficij, quantum est de se, vt dicit sanctus Thomas 1. part. q. 115. art. 5. ad 3. allegans Augustinum 21. de ciuitate Dei. quòd dæmones alliciuntur per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum, non vt animalia cibis, sed vt spiritus signis, inquantū si hæc eis exhibentur in signum diuini honoris, cuius ipsi sunt cupidi. His ergò rebus vtitur maleficus vel malefica instinctu dæmonis per pactum inuocationis tacitè vel expresse, vel ad infamandum creaturas Dei,

Dei, quæ per se bonæ sunt, vel ad maiorem credulitatem & deceptionem fidei animarum hominum perditorum, qui his & alijs vtuntur ad dęmonum inuocationem, non igitur vtitur maleficus, imò verius dæmon huiusmodi tanquam rebus efficacioribus ad tale maleficium, sed tanquam signis pacti illius inter se & ipsum maleficum, quem jam vt suum cultorem possidet, tanquam hæreticum & à fide alienum.

QVOD INIENTES PACTVM *cum dæmonibus tacitum vel expressum sunt idolatræ, hæretici, & alieni à catholica fide.*

QVòd autem isti sint hæretici, est articulus de erroribus circa artem magicã, quòd inire pactum cum dæmonibus tacitum vel expressum nõ sit idolatria, vel species idolatriæ & apostasiæ. Error. & intendimus pactum esse implicitum in omni obseruatione superstitiosa, cuius effectus non debet à Deo vel natura expectari rationabiliter. Vndè talia exercens, idolatra est, quia inter alios articulos de erroribus circa artem magicam, quos ponit Gerson, quartus in ordine est, quòd per artes magicas dæmones in lapidibus, anulis, aut speculis, aut imaginibus, nomine eorum

consecratis, vel potiùs exsecratis inducere, cogere, vel arcere, vel eas velle viuificare non sit idolatria. Error. & articulus 19. quòd sanguis vpupę vel hœdi, vel alterius animalis, vel pergamenum virgineum, aut corium leonis, & similia, habeant efficaciam ad expellendum dæmones ministerio huiusmodi artium. Error. Intellige hoc vt sunt res, quia vt sic sunt, & bonę à Deo sunt, sed vt dictum est, vtitur his maleficus vt signo inuocati dæmonis tacitè vel expressè, & quod dico de his rebus intelligo de characteribus, quibus sæpissimè vtuntur in suis superstitionibus.

QVOD VBI PER MALEFICIum concubitus non sequitur, vel alterius alicuius malefici effectus, non ad nigromanticos, sed ad Deum est recurrendum pro solutionis remedio.

ATtende tamen, quòd vbi per maleficium, Deo permittēte, occulto iudicio, & diabolo procurante, concubitus non sequitur inter coniugatos, vel alicuius alterius maleficij effectus apparet, non ad magos, & nigromanticos, & sortilegos est recurrendum pro solutione & remedio, vt in hac nostra tempestate ad quosdā nephandos

dos sacerdotes paſsim iſti vulgares concurrere non verentur. Sed ad Deum, per humilem confeſsionem & deuotam orationem. Vt habetur 33. quæſtio. 1. cap. vltimo. & Gerſon de erroribus, circa artem magicam inter quoſdam articulos Pariſijs declaratos, ponit quintum in ordine, dicens, quòd licitum ſit magicis artibus, vel alijs quibuſdam ſuperſtitionibus à Deo, aut ab Eccleſia prohibitis aliqua facere pro quocunque bono fine. Error. Quia ſecundum Apoſtolum, non ſunt facienda mala, vt bona eueniant. articul. 6. quòd licitum ſit etiam promittendum maleficia maleficijs repellere. Error. & de hoc habes exemplum in legenda beati Iacobi, qualiter ſoluit Filetum à vinculis, quibus Hermogenes maleficus eum arctarat, cùm non per incantationem, ſed virtute illius oraculi, ſcilicet, Dominus ſoluit compeditos, Dominus illuminat cæcos, Dominus eregit eliſos, &c. Cuius cõtrarium fecit Saul, vt habet 1. Regum vigeſimooctauo, vbi dicit, quòd Saul Pythoniſſam conſuluerit, nec ſperauerat in Domino, propter quòd interfecit eum, & tranſtulit regnum eius ad Dauid. Sed Magiſter Iohannes Nider pręcepto. primo, cap. decimo, mouens quæſtionem, an licitum ſit talia maleficia

tollere, qui respondet sub distinctione conformiter ad Doctores, quòd aut tolli possunt sine superstitiosis modis, vt per licitum exorcismum, aut per orationem vel per intercessionem sanctorum, vel per sacramentalem malefici confessionem, vel per præcisam ostensionem seu indicationem alicuius, qui scit vbi est imago, vel per solum motum localem, vel modo cógruo. Similiter & sic est licitum, aut non potest tolli, nisi per superstitiosum modum, vel per noua maleficiorum opera, & sic est illicitũ per auctoritatem Apostoli supradictã, non sunt facienda mala, &c. Hæc ille.

QVOD ET SI NIGROMANtici & malefici aliquando vera dicant, sæpiùs tamen fallunt & mentiuntur, quare ad illos non est concurrendum.

QVare autem ad prædictos nigromanticos, sacrilegos & diuinos, nullus debet concurrere vltra hæc quòd peccant mortaliter, & participes efficiuntur culpæ & damnatiõis ipsorum. Ratio est, quia ipsi & si, Deo permittente, aliquando vera dicunt, eorum tamen testimonio non est vtendum, quia sæpiùs fallunt & mentiũtur. Patet, quoniam in spiritu veritatis falsitas non est, in spiritu autem mẽdacij plurimæ quan-

quandoque sunt veritates, vt vnica latenti falsitate decipiat, vt dicit Gerson de probatione spirituum. Hac ratione (inquit) prohibuerũt à testimonio veritatis quam fatebãtur, & Christus dæmoniacos, & Paulus pythonissam, Actuum 18. Et alibi theologizat aliquando dæmon (ait Thimacus, vt patet in Euangelijs) etiam coram Iesu quem tentare pręsumpsit, & dicere scriptũ est: Angelis Deus mandauit de te. Et nihilominus prohibuit eũ Christus, vt dictum est, ne testimonium quantumlibet in superficie verum acciperetur à dæmoniacis, vel Pythonibus, vel magicis maledictis. Nã quæ communicatio lucis ad tenebras, & Christi ad Belial, vt dicitur 2. ad The. 6. Ratio prima, quia isti Pythones & nigromantici sunt excommunicati. Secunda, quia nullum verum bono fine dicunt. Tertia, quia continuò aut tãdem falsitatem ingerent, & simile præmiserint veritati. Non est n. doctrina fallẽs, q̃ vera non misceat, secundum Bedã. Sciendum tamẽ est, ꝙ aliud est inuocare dæmonẽ ad aliquid sciẽdum vel agendũ ab eo (quod nunq̃ licet.) Aliud est ab ipso nõ inuocato occurrẽte aliq̃d inquirere ꝓpter vtilitatẽ aliorũ, & maximè quãdo virtute diuina põt cogi ad dicendũ aliqua vera, sicut aliquando fecerunt plures sancti.

QVOD ACTVS ILLE SVBMERsionis imaginum & reliquiarum est sacrilegium, & quid sit sacrilegium.

SEquitur nunc qualiter actus ille, scilicet submergendi imaginē S. Petri sit sacrilegium. Nā, vt dicit S. Tho. 2.2.q.99.ar.1. Sacrilegiū est sacræ rei violatio.i. sacræ rei læsio, & probat sic: sacrum dicitur aliquid ex eo, qđ ad diuinū cultū ordinatur. Sicut aūt ex eo, qđ aliquid ordinatur in finē bonum sortitur rationem boni. Ita ēt ex hoc quod aliquid deputatur ad cultum Dei efficitur quoddā diuinum. Et sic ei quædā reuerentia debetur, quæ refertur in Deum: & ideò oē illud quod ad irreuerentiam rerum sacrarum pertinet, ad iniuriā Dei pertinet, & habet sacrilegij rationem. Hæc ille. Sed quòd talis submersio imaginis sit sacrilegiū, probatur per ipsum ex 3. art. vbi ponit, ꝙ species sacrilegij distinguitur secundum res sacras, & ꝙ sacrilegium diuersos habet gradus, secundum differentiam rerum sacrarum, locorū & personarū. Tantò. n. sacrilegium est grauiùs, quantò res sacra in qua peccatur, maiorem obtinet sanctitatē, inter res aūt sacras summum locum obtinent sacramenta, quibus homo sanctificatur, quorum præcipuū est Eucharistiæ sacramen-

cramentum, quod continet ipſum Chri-
ſtum, & ideò ſacrilegiũ, quod contra hoc
ſacramẽtum cõmittitur, grauiſsimum eſt
inter oĩa. Poſt ſacramenta aũt ſecundum
locum obtinent vaſa conſecrata ad ſacra-
mẽtorum ſuſceptionem, & ipſæ imagines
ſacræ & reliquiæ ſanctorũ, quibus quodã-
modo perſonæ ſanctorũ venerãtur vel de-
honorantur. Hæc ille. Conſtat. n. quòd in
illo dementiſsimo actu ſubmerſionis ima-
ginis S. Petri, vel alterius cuiuſcunq;, maxi
mè illuditur ſanctus & dehonoratur, ergò
cõmittunt ſacrilegiũ, & maximè illi, q prò
dolor digniſsimo & precioſiſsimo ſacra-
mento Euchariſtiæ abutuntur ad ſuas ſu-
perſtitiones & ſortilegia exercenda, vt cõ-
pertũ eſt illos nephãdos Pythones & nigro
manticos in ſuis maleficijs frequenter ab-
uti. Eſt ẽt ſpeciale peccatũ diſtinctũ ab alijs
vt idẽ Doctor dicit ar. 2. prædictæ q̃ſtionis,
quia in eo reperitur ſpecialis ratio diffor-
mitatis, quia ſ. violatur res ſacra per aliquã
irreuerentiã, & opponitur virtuti Religio-
nis, ita ꝙ ipſa irreuerentia & deordinatio,
quæ fit rei ſacræ, dicitur violatio. Sicut. n.
honor eſt in honorante, nõ in eo qui hono
ratur, vt patet 1. Ethicorũ. Ita irreuerentia
eſt in eo, q irreuerẽter ſe hƀt, quãuis ẽt ni-
hil noceat ei cui irreuerẽtiã ꝓbet. Vndè ẽt

res sacra non violatur. Tamen quãtum est in ipso sacrilego violat eam. Sicut & purpura regale indumentum facta honoratur & glorificatur. Et si quis hanc perforauerit morti damnatur, quasi cõtra Regiam maiestatem agens, quamuis nihil agat in Regiam personam secundum Damascenum. Ita si quis rem sacrã violet ex hoc ipso contra Deum irreuerentiam facit, & sic per irreligiositatem peccat. Hæc ille.

QVOD VERA FIDES IMAGInes assumit ad diuinum cultum in Ecclesia, non vt eis cultus latriæ exhibeatur, excepta imagine Christi, sed quandam significationem.

VEra enim fides imagines quasdam assumit ad diuinum cultum in Ecclesia quas fideles adorant, & in tabernaculo erant imagines Cherubin (vt legitur Exod. 25.) quamuis neque in veteris legis tabernaculo seu templo, neque etiam nũc imagines cõstituuntur, vt eis cultus latriæ exhibeatur, sed ad quãdam significationem, vt per huiusmodi imagines mentibus hominum imprimatur & confirmetur fides de excellentia Angelorum & sanctorum. Secùs est de imagine Christi, cui ratione diuinitatis latria debetur. Hæc sanctus

Thom.

Thom.2.2.q.494.artic.2.ad primum. Sed nunc ponere imagines Christi & sanctorum, & adorare eas licet, quamuis non in veteri Testamento, vt idem Doctor tenet in tertio sententiarum, & hoc adoratione duliæ tantùm, vt probat 3.parte, q.25.ar.6. de reliquijs sanctorum, ergò faciens irreuerentiam imagini facit similiter imaginato, quia vt idem Doctor tenet artic.2. eiusdem quæstionis. Damascenus introducit Basilium, dicentem, imaginis honor ad prototypum pertinet.i.exemplar.

QVOD FACIENS IRREVERENtiam imagini, facit etiam imaginato per ipsam.

NAM, vt idem Doctor dicit 2.2.q.81.art. 3.ad tertium quamuis imaginibus nō exhibetur Religionis cultus secundum qđ in seipsis considerantur, quasi res quædam scilicet de ligno & lapide, sed secundum quòd sunt imagines ducētes in Deum incarnatum vel sanctos, motus autem qui est ad imaginem, prout est imago non consistit in ipsa, sed tendit in id cuius est imago. Nam ex hoc quod imaginibus Christi exhibetur Religionis cultus, non diuersificatur ratio latriæ, nec virtus Religionis. Hæc ille. Si ergò suo modo adorandi ado-

ratione duliæ fit imaginibus sanctorum, quia eodem modo, quo fertur quis in imaginem sancti honoris vel inuocationis, fit expresse vel interpretatiuè in ipsum sanctum, vndè cùm meritum & actus Religionis consistat in hoc, quòd homo reuerenter se habeat ad res sacras. Sic (vt idem Doctor dicit in eodem libro q. 99. art. 3.) peccatum sacrilegij in hoc consistit, quòd aliquis irreuerēter se habeat ad rem sacram. Debetur autem reuerentia imagini sacræ ratione sanctitatis eius sancti cuius est imago. Ideò necesse est, quòd irreuerentia exhibita ipsi imagini tendat in irreuerētiam & iniuriam ipsius sancti, cuiusmodi est actus ille, de quo in proposito & aliorum plurimorum in simili necessitate irreuerenter & superstitiosè baptisantium imagines & reliquia sanctorum.

QVOD TRIPLEX POENA est sacrilegorum.

SEd quæ pœna sit Pythonū sacrilegorum ponit sanctus Thomas eodem libro & quæstione suprà nominatis, ar. 4. Et est triplex, aliquando excommunicatio, aliquando pecuniaria pœna, aliquando decapitatio. Hoc intellige secundum gradus diuersos sacrilegij, vndè secūdum eundem Doctorem

ctorem excommunicatione vel pœna pecuniaria debẽt ſimiles arceri à talibus nephãdis operibus, & in quo quis peccat per ea torqueatur, vt dicitur Sapientiæ 11. & hoc modo conueniens pœna ſacrilegi, qui ſacris iniuriam infert, eſt excommunicatio per quam à ſacris arcetur, & quia pœnę quaſi medicinæ quædam infligũtur, vt his territi homines à peccato deſiſtant. Sacrilegus autem, qui ſacra non veretur, non ſufficienter videtur à peccato arceri per hoc, quòd ſacra ei interdicũtur, de quibus non curat. Et ideò ſecundum leges humanas adhibetur pœna capitalis, ſecundum verò Eccleſiæ inſtituta, quæ mortem corporalem non infligunt, adhibetur pœna pecuniaria, vt ſaltem pœnis temporalibus homines à ſacrilegijs reuocentur.

QVOD ILLI SVBMERSORES imaginum & reliquiarum tentant Deum, & quid ſit tentare Deum.

DEindè dicendum eſt, qualiter iſti tentant Deum in ſuo actu, dicentes: ſubmergatur beati Petri imago, ſi nobis apud Deum pluuiam in imminenti neceſsitate non impetrauerit. Pro quo notandum eſt, quod vt dicit Thomas 2. 2. q. 97. per totũ. Deum tentat, qui experimentum ſumit, ſeu

ſeu explorat per ſua verba vel facta, de Dei potentia, ſapientia, pietate, & bonitate vel voluntate. Dicitur enim qui experimētum ſumit ſeu explorat tentare, quia tētare eſt experimentum de aliquo ſumere, nullus experimentum ſumit, niſi de re ignota vel dubia. Ex quo patet, quòd omnis Deum tentans, Deum ignorat, vel dubitat de aliqua perfectione eius, quod ſemper eſt peccatum. Sumimus autem experimentum de aliquo, verbis & factis. Verbis quidem, vt experiamur, an ſciat, quod quęrimus vel poſsit, aut velit illum implere. Factis autē, cùm per ea quæ facimus, exploramus alterius prudentiam, vel voluntatem, vel potentiam. Vtrunque horum contingit dupliciter: vno quidem modo apertè, ſicut cùm quis tentatorem ſe profitetur, ſicut Samſon, Iudicum 14. propoſuit Philiſtæis problema ad eos tentandum. Alio modo inſidiosè & occultè, ſicut Phariſæi tentauerunt Chriſtum, vt legitur Ma. 10. quandoque verò interpretatiuè, quando ſcilicet ſi hoc non intendat, vt experimentum ſumat, id tamen agit vel dicit, quod ad nihil aliud videtur ordinabile, niſi ad experimentum ſumendum. Si ergò iſti Deum tentant in ſuo facto ſuperſtitioſo, & verbis & factis, non apertè ſicut Samſon, non inſidiosè

fidiosè ſicut Phariſęi, nõ expreſsè, ſed quaſi interpretatiuè, quia & ſi non intendunt experimentum de Deo expreſsè aſſumere, aliquid tamen in hoc petunt vel faciũt, quod ad nihil aliud eſt vtile vel ordinabile, niſi ad probandum Dei poteſtatem, bonitatem, vel cognitionem. Nam præfigitur ibi terminus operandi ipſi diuinæ omnipotentiæ, præſtituitur modus, quo quaſi compellatur operari ipſi diuinæ ſapiẽtiæ. ſtatuitur etiam finis ipſi diuinæ bonitati & clementię. Nam quid aliud ſonant illa verba, ſi nobis apud Deum non impetrauerit pluuiam expoſtulatam, niſi tentare Deum dubitando de ſua omnipotentia, & præfigendo ſibi terminum ad diuinam operationem de ſua bonitate & clementia, quæ ex ſola gratia prouenit, velle per illicitos illos actus effectum attingere de ſua ſapientia, præſtituendo modum ſuperſtitioſum, quòd quaſi compellatur ad libitum eorum petitionem concedere. Non ſecundum ordinem ſuæ ſapientiæ, quæ attingit à fine vſque ad finem fortiter diſponit omnia ſuauiter. Sapientię 8. Scit etenim Deus vtrùm expediens ipſis illud ſit vel ne, ſed in quantum tempus miſerendi Deo conſtituunt ſimiles ſunt illis, de quibus dicitur Iudith 8. Qui poſuerunt terminum, vt ſi

transſactis

transfactis quinque diebus Deus non misereretur eis, traderent se & ciuitatē suam in manu Holofernis principis Asyriorū: quos reprehendebat Iudith, inquiens, qui estis vos, qui tentatis Dominum? non est (inquit) iste sermo, qui misericordiā prouocet, sed potiùs qui iram excitet & furorem accendat. Posuistis (inquit) vos tempus miserationis diuinæ, & in arbitrium vestrum diē constituistis. Vndè glossa dicit super hoc, quod nec tp̄s, nec modum præscribere domino debemus, magis arbitrio eius cūcta relinquamus. Vndè quidā puerum in oratione sua dixisse legitur: fili Dei sicut scis & sicut vis, miserere mei. Sicut.n. Iudæi illi, quos reprehendit Iudith, grauiter peccauerunt, præfigentes Deo terminum miserationis, vt dicit Nicolaus de Lyra, ita & isti imaginum & reliquiarū submersores. Vtrique enim visi sunt explorare diuina illicitè, quod etiam probat sanctus Thomas q. superiùs dicta, artic. 2. dicens, quòd talis tētatio est peccatum, quia prohibetur in lege Dei. Deuteron. 6. Non tentabis Dominum Deum tuum, & illud idem Dominus contra Diabolum, Mat. 4. Est etiam actus virtuti Religionis oppositus, quia vt dicit gloss. super illud Psalm. Et tentauerunt Deum in cordibus suis. Tentare

tare Deum eſt inordinatè poſtulare. Sed debito modo poſtulare eſt actus Religionis, ergò tentare Deum eſt actus Religioni oppoſitus. Cõfirmatur, quia finis Religionis eſt Deo reuerentiam exhibere. Vndè omnia illa quæ directè pertinent ad irreuerentiam Dei, Religioni opponuntur. Manifeſtum eſt autem quòd tentare aliquem ad irreuerẽtiam eius pertinet. Nullus enim præſumit tentare eum de cuius excellentia certus eſt. Vndè manifeſtum eſt, quòd tentare Deum eſt peccatum Religioni oppoſitum.

QVOD TENTARE DEVM eſt grauiſsimum peccatum, non tamen grauiùs quàm ſuperſtitio.

NAm ad Religionem pertinet proteſtari fidem per aliqua ſigna ad diuinã reuerentiam pertinentia, & ideò ad Religioſitatem pertinet, quod ex incertitudine fidei homo aliqua faciat, quę ad diuinam irreuerentiam pertinent, cuius eſt tentare Deum, & ideò eſt irreligioſitatis ſpecies & grauiſsimum peccatum, non tamen grauiùs quàm ſuperſtitio, vt idem ſanctus Thomas tenet in prædicta quæſtione, art. 3. & 4. & dat rationem, quia grauiùs peccat ſuperſtitioſus, & magis diuinæ reuerentiæ aduer-

aduersatur, qui suo facto protestantur errorem contra diuinam excellētiam, quam qui protestatur dubitationem, vt qui tentat Deum, dubitauit de diuina excellētia, videlicet potentia, sapientia, vel bonitate, vt dictum est.

QVOD ILLI SVBMERSORES imaginum scandalum committunt & stultè agunt.

EX his enim suprà dictis apparet, qualiter prædicti superstitiosi etiam scandalum committunt, quia suis dictis vel factis minus rectis, alijs præbent occasionē ruinæ. Necesse est (inquit Saluator Mar. 9.) vt veniant scandala. Necessitas tamen hæc est consequentis, non antecedētis. Non enim est necessarium, quòd prædicti illos inordinatos actus faciant antecedenter, sed necessariò sequitur, quòd plures saltē idiotæ ex illo actu scandalizentur consequenter, cùm ad eorum exemplum alij similia agere intentent, in hoc etiam grauissimè peccant (dicente Christo ibidē) Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundū maris. Super quo Nicolaus de Lyra loquitur, inquit Saluator, more Palęstinorum,

norum, qui condemnatos ad mortem pro maiori crimine ligato ſaxo ad collum, præcipitabant in mare, ſenſus eſt ergò, expedit, &c. i. melius eſſet homini mori temporaliter, quàm ex malo exemplo ſuo facere alium ruere in peccatum mortale, quia ex hoc meretur mortem æternam, quæ grauior eſt morte temporali. Ex quibus infero, quòd melius eſſet hos nephandos ſuperſtitioſos & nigromanticos huius regni per rigoroſam inquiſitiõem punire, quàm quòd per eos tot animæ ſpecialiter perirent, & Deus tot plagas nobis infligeret. Stultè quoq; agunt per talia media ſuperſtitioſa diuinum quęrere auxilium. Nam quid ſtultius hoc actu ſubmergendi imaginem in aqua & reliquias ad obtinẽdum pluuiã. Quid inſaniùs quàm alloqui imagini & proteſtari contra ipſam, quæ aures habet & non audit, & oculos & non videt: vndè deridet ſpiritusſanctus, vel is, qui per ſpiritum ſanctum loquitur. Sapien. 8. c. ſimiles ſuperſtitioſos, cùm dicit: Non erubeſcunt loqui cum illo qui eſt ſine anima.

QVOD SACRILEGIA ET MAleficia habent efficaciam ex quinq;.

SEd quoniam falſa credulitate præditi, & ſimiles per tales actus illicitos firmiter

credunt infra certum terminum obtinere pluuiam, vel alios effectus. Nunc restat declarare aliqua. Et primò vndè sortilegia & maleficia suum sortiuntur effectum. Ad quod respondet Magister Iohannes Nider in suo præceptorio, præcepto 1. ca. 9. quòd sortilegia & maleficia habent efficaciam ex quinque. Primò, ex parua confidentia quam homines habent in Deũ, ideò permittit eos à dæmonibus impediri secundum illud. Psalmus 110. Quoniam in me sperauit & liberabo eum, scilicet iustum, & per argumentum à contrario sensu, qui non sperant in Deum, dæmonis potestati relinquuntur. Secundò, ex errore qui in hominibus est, cuius penè frequenter est effectus maleficij secundum illud ad Rom. 1. Cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, &c. & obscuratum est insipiens cor eorum. Tertiò, vt fides probetur bonorum, secundum August. quod probat per illud Deute. 13. Si surrexerit in medio tui Propheta, aut qui somnium se vidisse dicat, & prędixerit signum, aut portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi: eamus sequamurque Deos alienos quos ignoras & seruiemus eis. Nõ audias verba Prophetæ illius, aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus, vt palàm

lām ſciat, an diligatis Deum, an non. Quartò, propter pactum expreſſum vel tacitum, cum dæmonibus initum & ſocietatē, qualiter fit in omni ſuperſtitione, vt dicit Auguſt. de doctrina Chriſtiana, lib. 2. quæ ſocietas (vt dicit) ab omni penitùs fugienda eſt Chriſtiano. Quintò, ex deſiderio diaboli, qui conatur continuò decipere. 1. Petri 5. Aduerſarius veſter Diabolus tāquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide. Et c. 11. eiuſdē præſcripti libri dicit iſte Doctor, & conformiter ad ſanctum Thomam in ſecundo circa diſtin. 7. & 8. & in 4. diſtin. 34. & cōiter ſecundum omnes Theologos ibidem ſcribentes, quòd malefici (procurante dæmone) omnibus iſtis modis poſſunt procurare læſiones in hominibus & eorum reb., cooperante Dæmone, quibus poteſt dæmon ſolùm lædere & decipere.

QVOD MALEFICI NON FAciunt illos effectus immediatè actione propria, ſed talia faciunt per dæmones ex pacto cum eis inito. Et hoc, permittente Deo, ad cæcitatem, & in pœnam eorum, qui ſimilibus vanitatibus nimium adhærent.

NOn enim fiunt illa maleficorum operatione propria & immediatè, sed talia fiũt per dæmones, qui (visis maleficijs) immediatè ex pacto dudum cum maleficis à principio mũdi & tempore veris idolatriæ habito, sciunt qũalem effectum debent ad intentionem maleficiorum procurare, vt exempli gratia: Scopa quam malefica intingit in aqua, vt pluat, non causat pluuiam, sed dæmon talibus visis. Qui (si DEVS permiserit) potestatem habet in omnia corporalia, & in aërem, & ventos, & nubes, & statim talia procurare & causare valet. Maga siquidem dat signum per scopam, sed dæmon illud procurat & agit, vt pluat per dæmonis actionem, cui Maga mala fide & opere seruit, & se tradidit obsequijs illius vel alijs, si quando imaginem terream, vel characteres, vel simile aliquid ad maleficandum aliquem maleficus facit, vel aliquãdo maleficio alicuius in aqua vel plumbo apparet, quicquid molestiæ infertur tali imagini, tale experitur fieri imaginato & omni maleficato, puta punctura vel alia læsura, quæcunque læsio realiter quidem infertur imagini per maleficum, vel per alium hominem. Sed inuisibiliter dęmon maleficatum hominem eodem modo lędit, Dei permissiõe, si demeruerit

ruerit reus, quod probat Magist. Gerson 1. par. in triologio Astrologiæ theologizatę, propositione 21. sic inquit: Angelos præter tim malos in artibus magicis, & omnibus superstitiosis operationibus, quæ nec rationem naturalem, nec miraculum verum habent, sed ex pacto noto vel occulto non dubium operari, ac effectum sortiri, vndè dicit in commēto eiusdem propositionis, allegando Augustinum: Oēs tales obseruationes tantò magis suspectas & fugiendas esse, quantò sæpiùs videntur suum sortiri effectū. Et idem Doctor contra superstitionem cuiusdam Medici eod. libr. conclus. 6. vt sup. dictum est, quòd sicut vera & Christiana fides mirabilia operātur in benè credentibus, sic mala & falsa credulitas, Deo permittente, euentus malos interdū operatur, vel potiùs demeretur. Nam experimur quotidiè in malè credulis, quos ita Deus punit propter malam fidem, imò dum cognoscit Dominus nimium adhærere aliquibus vanis obseruantijs, permittit aliquos euentus contingere, & ita eos plus consequēter firmari in tali opinione, vt maior fiat cæcitas eorum, & in laqueum cadant, quem sibi fecerūt. Et de erroribus circa artē magicam, ar. 17. sic inquit: Quòd per tales artes & ritus impios, per sortile-

gia & carmina, per inuocationem dæmonum, per quasdam inuultuationes, & gestus, & talia maleficia nullus vnquam effectus ministerio dæmonum subsequatur. Error. Nam talia quandoq; permittit Deus contingere, vt patuit in Magis Pharaonis, vel alibi pluries, vel ad probationem fidelium, sicut habetur Deuter. 13. vel iniquorum hominum dignam flagellatiōem, vel quia abutentes seu cōsulentes propter malam fidem, aut alia peccata nepharia dati sunt in reprobum sensum, & demerentur sic illudi. Hæc ille.

QVOD AD DIGNAM FLAGELlationem & punitionem horum flagitiorum permittit Deus tot infirmitates, pestilentias, & tempestates, sterilitates quoque terræ, nascentium fructuum, & interitum pecorum & iumentorum euenire.

EX quibus liquidè apparet, ex qua origine hac nostra tempestate tot infirmitates, pestilentiæ, sterilitates terræ, nascentium fructuum, frugum, & vinorum, accidant, totq; millia pecudum, aliorum pecorū continuò pereant, totq; grandines, tempestates, & intemperies aërium & fulgurū eueniant. Cùm (proh dolor) in hoc regno

pro maiori parte ad hos diuinos, Pythones & nigromanticos, (ēt pro re minima reperienda vel ſcienda) paſsim concurrūt puſilli & magni.

QVOD HIS DIEBVS HÆC PEſtis ſuperſtitionum maximè viget in principibus, prælatis, & nephandis quibuſdam ſacerdotibus.

VNdè pōt verificari illud Eſaiæ 1. de nobis, ꝙ omne caput lāguidum, & omne cor merens à planta pedis vſque ad verticē non eſt in eo ſanitas. Per caput intelliguntur principes, ſecundum illud qđ ſcribitur 1. Reg. 15. de Saul rege, caput in tribubus Iſraël factus eſt. Per pedes, cor, & totū corpus, inferiores & mediocres in corpore miſtico & ciuili intelligere poſſumus, qui circa has ſuperſtitiones & dęmoniacas abhominationes paſsim & abſq; vllo timore indies concurrūt, q deberent ab his ſtultitijs per principes ſeculares vel Eccleſiaſticos, & ꝑ fideles inquiſitores diſtrictiſsimè arceri. Sed nihil horū fit, vt verificetur illud Gregorij in paſtore, cùm paſtor ꝑ arrupta vadit, neceſſe eſt vt grex ad p̄cipitium trahatur. Sed væ illis, qa (vt idem Eſa. dicit c. 9.) Et diſperdet dominus ab Iſraël caput & caudam. i. malos principes & ſacerdotes

 obſe-

obsequentes eis. secundum Nicolaum in glossa morali. Nam in textu exponens ipse dicit: Longęuus & honorabilis ipse est caput & Prophet. loquens mendacium ipse cauda est, & qui sunt isti Prophetę mendaces, nisi sacerdotes quidam nephandi Pythones & nigromantici, ad quos populus iste stultus & insipiens passim cõcurrit, credens ab eis in suis infirmitatibus liberari, res perditas per eorum diuinationem recuperare fauentes malæ fidei & idolatriæ ipsorum in sui damnationem & maximum scandalum aliorum. Sed væ illis omnibus, quia (vt dicit Esa. c. statim prænominato.) Et erunt qui beatificant populum istum, & qui beatificantur. i. decipiunt & decipiuntur. præcipitati scilicet in fossam inferni. Dicuntur enim isti Pythones falsicauda, quia adhærent diabolo tanquam principi eorum, sicut adhærentes principi terreno vulgariter dicuntur ire ad caudam eius, & in ista cauda. i. adhærentia per mendacia sua incuruant populum à rectitudine veritatis, & humiliant eum per falsas superstitiones ad immolandum & adorandum dęmonibus, vel expressè, sicut ipsi faciunt, vel subintellectæ, sicut populus facit credendo suis maleficijs: sed videãt principes & nobiles huius tẽporis, si immunes sunt

ab hoc vitio ipsi qui similes debent punire, & vtinā soli quoniā voluntariè sese ducūt, & alios secum trahunt. Nam, vt dicit Iohā. Gerson, de superstitiosa obseruatione dierum. quòd tempore suo vnus principum cùm induceretur, vt q̄reret cōsilium à sapiētibus, quos sciebat esse tales, & sibi beneuolos, vtrùm licitę essent superstitiones quas exercebat & credebat, respondit cur inquirerē à talibus. Ego scio.n.quòd dissulerēt mihi. Ego tamen sic agere & sic credere penitùs disposui, nec omittā, & in hac infelicitate positus & præuentus morte repentina destitit, vellet, nollet, nunc agnoscēs in inferno, quoniam odit Dominus obseruantes vanitates superuacuæ. Et contrà: Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas. Hæc ille.

QVOD SVPERSTITIO TANtò peior est, quantò in tali actu plura miscentur bona.

SED dicunt isti vulgares, quòd multa iubentur illis obseruari ab istis nigromanticis in suis actibus & sortilegijs, quæ sunt sancta & honesta, vt ieiunare, castum esse, missas celebrare, & dicere Pater noster & Euangelium, quod etiam ipsi nigroman

rici faciunt, sed non attendunt miseri, q͞d secundum Doctores Theologos, superstitio tantò maior est, quantò plura miscentur bona, quoniam vndè deberet honorari Deus, honoratur diabolus. Colitur reuera dæmon per orationes & sacrificia, & thurificationes iussas fieri in artib. magicis. Transfiguratur. n. Angelus satanæ in Angelū lucis (vt ait Apostolus) Immutando doctrinas, & obseruationes sanctas, & amorē castitatis, & virtutis causa, vt seducat faciliùs, q̃ vt veneretur & colatur sicut Deus. Nam (vt dicit Iohannes Gerson de passionibus animæ, par. 3. consideratione 16.) propter quid aliud iubemus in superstitionibus magicis fieri thurificationes & orationes deuotas & ieiunia, petit quoq; fieri ministeria per pueros innocētes, nisi vt efficaciùs fallat & colatur sicut Deus.

QVOD ILLI SVBMERSORES imaginū, & qui in coniurijs & incantationib. concurrunt quotidiè ad hos nigromanticos, & cæteri in alijs similibus, si ex suis superstitionibus obtineant optatum effectum à Dæmone accipiunt, Deo permittente.

EX quibus omnibus etiam poterit quis inferre. Vndè illi superstitiosi submersores

sores imaginum & reliquiarum & alijs similes credentes per similes actus indubitanter pluuiam obtinere tempore necessitatis suum obtineant effectum, quia à dæmone, Deo permittēte, ad vindictam malefactorum & peruersè credulitatis illorum. Similiter vndè coniuria illa nephanda, quæ suprà nominata sunt, & aliæ superstitiosæ coniurationes, vt iacere lapillos contra nubes in coniuratione credentes, per hoc repellere tempestatem (vt fateor me vidisse quendam sacerdotem sic facientem.) Effectus enim, si quando veniat, non ex vi illius coniurationis superstitiosæ euenit, sed ex pacto dæmonis expresso vel subintellecto cum causis prædictis, DEO permittente, vt dictum est. Habent enim dæmones efficacias magnas ad mutādum corpora & elementa, causare pluuiam, & alios effectus & actiōes aliquas mirabiles, vt scriptura sacra docet de Magis Pharaonis. Exodi 7. & octauo c. qui per virtutem dæmonum veros serpentes & ranas fecerūt, vt ponit S. Tho. 1. par. q. 114. ar. 4. in corpore. Hoc idem ponit super Iob. c. 1. Etiam possunt verè naturales effectus producere, sed mediantibus agētibus naturalibus, vt idē Doctor tenet de potētia Dei. q. 6. ar. 5. Similiter ex his haberi potest, vnde hi q concur-

concurrunt his diebus sine vllo Dei timore ad maleficos & diuinos istos pro recuperandis rebus perditis, si contingat aliquãdo reperiri, vndè hoc puueniat. Possunt n. Angeli mali, quantum Dei prouidentia permiserit, agere multa similia ad Angelos bonos, tàm ob subtilitatem vigoremque substantiæ suæ, q̃ hoc perspicuitatem naturalis ingenij quam etiam propter experientiam diuturnitatem. Nunc in naturalibus actionibus sursum & deorsum in cœlo & in terra, nunc in operationibus miraculosis Angelorum & omnium spirituum beatorum, quamuis errent frequẽter. Excęcat enim eos malitia amẽs, superbia fremens, sine lege & ordine liuor insaniens. Excæcat etiam eos potissimùm iustũ Dei iudicium illudens eis, peruersionesq; eorũ & cognatus aduersus electos suos conuertens in vsum suæ bonitatis.

QVÆ AVTEM ET QVOT NEphanda isti nigromantici committant in suis diuinationibus, referant stulti illi qui passim ad illos concurrere non verentur.

QVæ autem & quot nephãda isti nepharij Pythones & nigromantici committunt in suis diuinationibus, etiam sub prętextu

textu Religionis, puta ſacrificij vel ieiunij nouerunt ſtulti illi, qui quotidiè non verentur ad illos cócurrere contra fidei pietatem, quæ has omnes impias ſuperſtitiones damnat, excecraturque. Vt enim dictum eſt ſuprà, nec pudet me iterum repetere, quòd ſicut vera fides meretur dotari miraculis, dum opus eſt ad ædificatióem: Ita falſa fides portentis & figmentis in ſui damnationem, vel aliorum probationem, demeretur illudi. Non ergò in his actibus Pythonũ & nigromanticorum ſpecie ponere debemus, ſed in Deo, dicentes illud Pſal. In manibus tuis ſortes meæ, quæ dat per hoc intelligi, non in ſuperſtitionibus & ſortilegijs fictis, & plerunque noxis eſſe confidendum. Recta enim ſpes in Deo ponenda eſt, non in huiuſmodi vanitatibus, nec ſuis obſeruantijs. Obſunt aliquando Reipublicæ & viã ad hæreſes & idolatriam aperiunt. Nam articulus eſt Pariſienſis inter alios, primo de erroribus circa artem magicam, quam ponit Iohannes Gerſon prima parte, quòd per artes magicas, & maleficia, & inuocationes nepharias quærere familiaritates, & auxilia dæmonum, cùm ſit Idolatria.

Error.

QVAE-

QVÆRITVR VNDE PROVENIT, quòd fœminæ in maiori numero reperiantur superstitiosæ quàm viri.

NVnc quærendum est, vndè prouenit, ꝙ fœminæ in maiori numero reperiũtur superstitiosæ & maleficæ quàm viri. Ad quod respondet primò Magister Iohã. Nider in suo p̃ceptorio, quòd triplici de causa: Primò, quia promptè sunt ad credendũ. Fidem autem malam dæmõ principaliter quærit. Vndè Eccle. 19. Qui citò credit, leuis est corde. Secũdò, quia natura propter fluxibilitatem cõplexionis facilioris sunt impressionis ad reuelationes capiendum per impressionem separatorum spiritu, vt dicit Guilelmus Lugdun. quia cõplexione dum benè vtuntur multum bonæ sunt, dũ malè peiores sunt. Tertiò, quia linguã lubricã habent, & ea quę mala arte sciunt, eis cõparibus fœminis vix celare possunt, seq; occultè (cùm vires non habent) per maleficia vindicare quærũt faciliter. Vndè Eccles. 25. Cõmorari leoni & draconi minus nocebit, q̃ habitare cum muliere nequam. Breuis omnis malitia super malitiam mulieris. Hæc Nider. & Io. Gerson contra superstitiosam obseruationem dierum dicit: quòd vetulę, pueri & puellæ, & idiotę, pro-

niores

niores sunt ad tales superstitiones credendum & obseruandum, vndè ortum habuit illud epithetum vetulæ sortilegæ.

QVÆRITVR VNDE PROVENIT, quòd res perditæ vel furatæ, quas quærũt simplices concurrentes ad nigromanticos in speculis & fialis, siue vnguibus maleficorum, & cur malefici ad sua maleficia potiùs recipiunt virgines mares vel fœminas, quàm corruptos, & vndè isti nigromantici vt plurimùm turpes habeant aspectus.

QVæritur etiam vndè prouenit, quòd res perditæ & furatæ, quas quærunt simplices concurrentes ad nigromãticos appareant in speculis, fialis, siue vnguibus maleficorum nigromanticorũ, & cur malefici ad sua maleficia potiùs recipiunt virgines mares vel fœminas quàm corruptos, & vndè etiam prouenit, quòd isti sortilegi vt plurimùm turpes habeant conspectus. Ad primam respondet sanctus Thom. prima parte q. 114. arti. 4. Ad 2. quòd hoc quidem potest dupliciter cõtingere, vno modo ab interiore secundum quòd dæmon potest immutare fantasiã omnis, & etiam sensus

sensus corporeos, vt aliquid videatur aliter quàm sit, hoc etiam interdum fieri dicitur virtute aliquarum rerum corporearum, sicut alibi ponit exemplum, quòd quædam herba apposita ad lumen candelæ, faciat trabes apparere serpētes. Alio modo ab exteriori, secundum quod dæmon possit formam & corpus ex aëre cuiuscunque formæ & figuræ assumere, vt illud assumēs in eo visibiliter appareat, potest eadem ratione circumponere cuiuscunque rei corporeæ, quamcunque formam corpoream, vt in eius specie videatur, vndè dæmon, qui in fantasia hominis format aliquam speciem, ipse etiam potest similiter speciem alterius sensibus offerre. Hæc ille. Sed & Guil. Parisiensis in vltima parte de vniuerso. dicit, quòd opere dæmonum fit per plures modos. Primò, naturali applicatione alicuius rei, quia potestatem habet in hoc plusquam homo & scientiam, maximè quando Deus permittit exequi, vt suprà dictum est. Secundo modo, assumpto corpore potest se ostendere aliquam rem, quæ non est vt lactucam, vt accidisse videtur moniali, de qua refert Gregorius primo libro dialogorum, quæ gustata immediatè à dęmone obsessa est. Vel in massa auri, vt beato Antonio factum legitur, vel

lupum,

lupũ, vel vrſum, vel alia huiuſmodi ſe oſtẽdere põt, & ſic tegere rem alienam ſuo corpore aſſumpto. Tertiò põt turbare organum viſus, vt videatur res nubiloſa, quæ eſt clara, & huiuſmodi. Sicut ẽt poſt fletum lumen apparet aliter quàm anteà. Quartò in imaginatiuã potentiã operando tranſmutatione ſpecierum ſenſibilium, vel humores varios mouẽdo, vt appareant ignea vel aquea huiuſmodi, ſicut in melancholicis naturaliter fit, vel in dæmoniacis, vt dicit ſanctus Tho. 1. par. q. 111. art. 3. q. vt dicit Nider. Virgines tamen ad hoc idoneos vel idoneas dæmon mentitur triplici de cauſa, licèt corruptis idem oſtendere valeret. Prima, vt fingat falsò ſe caſtitatem amare quam odit, quia caſtiſsimã virginem ſummè odit, q̃ contriuit caput ſerpentis, vndè inſidiatur calcaneo eius. Vndè Deus ait ſerpẽti: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuũ & ſemen illius, ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius. Gen. 3. Hoc ẽt dicit S. Th. de potentia Dei. q. 6. ar. 10. ad 4. ꝙ dæmones vocati à virginibus veniunt, vt ducant homines in opinionem ſuæ diuinitatis, quaſi mundiciam ament. Secundò, vt ſic animas maleficorum, & eis credentium decipiant ad amicitiam dæmonis inclinatas, per in-

fidelitatem vitium sub specie boni, non sub specie mali. Tertiò, vt corpora sic lædat innocentium vel minus vitijs infectorum, nam posteà (vt per experientiam patet) tales habent visum frequenter horribiliorem, quam anteà ex vestigijs dæmonũ relictis in oculis vel facie videntis. Hæc ex Doctoribus prædictis, sed & Ioan. Gerson, de distinctione verarum visionum à falsis, parte prima, sic inquit: Cæterùm qui perscrutatur acutius artium magicarum traditiones sacrilegas & impias facillimè noscit plurima ibidem obseruanda proponi super immoderatis ieiunijs & alijs non ad aliud quàm ad sensus & rationis perturbationem, quo fit vt etiam plerunque talibus dediti cadant in insaniam & vultus, oculorumque errorem terrificiam potiantur. Hæc ille. Sed & hoc naturali ratione & experientia videmus. Nã, vt dicitur per quendam concionatorem Hispanicum: *Amarillo haze el oro al que sige su minero y tenblador el thesoro dela azogue al del venero.* (quod est dicere) pallidum facit aurum ille, qui sequitur suum minerale, & tremulum qui tractat venam thesauri, viui argenti, & sic de alijs mineralibus. Nam si facies Moysi splendida facta est ex consortio sermonis diuini, ita vt non possent filij Israël prospicere in faciẽ eius

propter

propter claritatem vultus illius, vt habetur Exodi 34. Nimirum si facies nigromanticorum & sacrilegorum istorum turpes & teterrimæ appareãt ex consortio tàm horribilium visionum dæmonum, vt turpium animalium in quibus appareant, quorum vt dicit sanctus Thom. super Iob. 19. c. lectione 2. de grauitate huius peccati in principio dæmones frequenter apparent in figuris bestiarum, quæ designant conditiones eorum ex prouidentia Dei.

FINIS.

IOANNIS TRITEMII, ABBATIS SANCTI IACOBI APVD Herbipolim, quondam verò Spanheimensis, TRACTATVS:

DE REPROBIS ATQVE MALEFICIS.

QVARE homines impij, mali & reprobi circa fidem, vt sunt illæ mulieres, quas vulgò maleficas nuncupamus, spiritibus queant imperare malignis, cùm viri boni & fidei Christianæ studiosissimi obseruatores, neque bonis spiritibus imperare posſint, nec semper malignis.

Ad hāc quæstionem ita me pridem memini respondisse. In omnibus diuinæ maiestatis operibus series & ordo pulchritudinis est, inuiolabilis æquitatis, quo singula conuenienter disposita, in eo quem acceperunt gradu perseuerant. Nam sine ordine proprio libertas arbitrij, quam creator omnium dedit hominibus, nulla impellitur

pellitur violentia potestatis: quo minùs semper maneat in ordine, quem à principio creationis suæ homo primus accepit. Vndè nemo bonus inter mortales, nisi propriæ consilio voluntatis adiutus per gratiam miserētis Dei, & nemo malus nisi sua spōte gratia destitutus propter obstaculum peccati. Volūtatis autem rectitudine bonis spiritibus efficimur similes, si pietatē fidei quam habemus in Christum sanctis & necessarijs operibus comprobemus. Et sicuti bonæ voluntatis consummatio bonos homines spiritibus pares facit angelicis, ita peruersitas impiorum eos similes reddit dæmonibus. Vndè mali homines atq; peruersi, quantò amplius malitia proprię voluntatis deprauati fuerint: tantò fiunt dæmonibus affectu similiores. Similitudine verò amicitiæ familiaritas introducitur, ex qua paulatim confidētia mutua generatur. Ex confidentia minoris in maiorem nascitur imperium, siue sit verum, siue astutia simulatū. Prauorum itaq; hominum, si quod imperium esse videtur in dæmones ex magnitudine prauitatis oritur, quando videlicet affectus eorum vsque adeò deprauatur, quòd concurrentiū sibi dæmonum malitiam voluntate reproba, vel superant vel ęquant. Non enim sunt

dæmones omnes malitia vel intelligentia pares, ſed eſt alius alio multum & aſtutior agilitate intelligendi & deprauata affe-ctione longè deterior. Nam qui labentes è ſedibus altis terræ magis coniuncti ca-uernas ſpeluncasque inhabitant: cæteris profectò ſunt obtuſiores, vſq; adeò quòd & gladios metuant & virgas minisque moneri videntur territantium hominum, quemadmodum in his cõtueri licet quos energumenos appellamus. Dæmones au-tem, qui magis remoti commorantur à terra, & ſubtiliores ſunt naturæ, & rariùs conueniunt hominibus. Homines verò malitia pleni quantò magis in voluntatis peruerſitate profecerint, tantò fiunt ſimi-liores dæmonibus, à quibus in familiari-tatem admiſsi, iam deinceps efficiuntur audaces, accipiuntque ſuper dæmones quorum familiaritate vtuntur imperium non violentæ poteſtatis, ſed fictæ ſimu-lationis. Dæmones enim vt eos homines, quos ſemel in deditionem acceperunt, voluntarios in eorum prauitate contine-ant, ſimulata ſe dominatione motos li-benter ſe illis ſubijciunt, & quod ſponte faciunt, quaſi compellantur ad obedien-tiam fingunt. Nemo quippè verum ſuper Dæmones imperium conſequitur, niſi quem

quem fides in Dominum nostrum Iesum Christum per sanctitatis meritum fecerit DEO acceptabilem & amicum. Sic enim de verè credentibus in Dominum Iesum scriptura dicit: Et eis dedit potestatem super omnia dæmonia. Imperant ergò dæmonibus homines mali, quos illis maliuolentia similes, similitudo familiares, & familiaritas proprios fecit atque subiectos.

Quemadmodum si magno principi (quod fieri sæpè contingit) seruorum quispiam humili natus loco diuturna familiaritate coniunctus imperare dicatur, à quo totum quod postulauerit sine contradictione assequitur, vt magis ipse dominum regere, quàm ab eo regi videatur. Iuxta hanc similitudinem homines mali & reprobi, qui à dæmonibus in eorum admittuntur familiaritatem, & fiunt protractiore confidentia multum audaces, accipiuntque simulatum in illos, ne dicam familiare imperium, quod prauissimæ volũtatis similitudine meruerunt. Vndè quicquid à dæmonibus sibi ex cõpacto implicito vel explicito concurrentibus expostulauerint accipiunt, nisi quoties ordinatione diuina prohibiti, præstare nequeunt qđ petitur. Nec tamen passim

reprobis & malis ita cócurrunt omnibus, sed illis duntaxat cum quibus interueniente compacto aliquo fœdera inierunt, vt sunt maleficæ mulieres, quæ homagium præstitere diabolo, & inuocatores illi dæmonum quos vsitato vocabulo necromanticos vulgus nuncupat. Duo sunt genera hominum, qui dæmonibus imperare licitè possunt.

Primum quidem illorum est hominum, qui meritò sanctitatis Deo dilecti potestatem ab ipso cóculcandi caput antiqui serpentis acceperunt, qualis in Ecclesia primitiua fuerunt Apostoli, eorumq; sequaces atque discipuli, de quibus in sancto Euangelio Dominus loquitur: In nomine meo dæmonia eijcient, & quia serpentes tollent.

Secundum verò genus eorum est hominum, quibus ratione ordinis in Ecclesia Dei conceditur, vt dæmones de hominum corporibus accepti potestate ministerij depellant. Et hoc ministerium exorcistis in Ecclesia Dei committitur, quando videlicet à pontifice ordinantur.

Rursus sunt duo genera hominum, qui dæmonibus imperare cupiút, quod quam illicitè pręsumant iniquissimis conditionibus ostendunt.

Primum

Primum genus perniciosissimũ est maleficarum, quæ pacta ineunt cum dęmonibus, & professione solenni præmissa in ius proprietatis, perpetuumque obsequium dęmonũ alicui semetipsas tradunt. Quanta mala hoc perniciosissimum genus hominum faciat in imperio tuo, nemo est sapientissime Cæsar, qui possit exprimere. Nam Deum inprimis fidemque Christi & sacrum baptisma negantes: se mente & corpore dæmonibus offerunt, homines & iumenta suis maleficijs infirmant, lædunt & occidunt. Non est morbus quem (permittente Deo) nõ possint inducere, quia cùm se dæmonibus in obseruatione compactati fœderis famulatrices exhibent, illorum comparatione, quicquid voluerint, audent. Vndè non sunt vspiam tolerandæ, sed potiùs in loco omni funditùs exterminandæ, omnium creatore Deo sic præcipiente. Maleficos non patieris viuere. Maleficarum aliæ carminibus dæmones aduocãt, aliæ precationibus & sacrificijs eos alliciunt, reliqua nefandis rebus & cærimonijs eos prouocantes in adiutorium impietatis suæ trahunt. Mirandum igitur non est, quòd maleficæ dæmonibus imperare videntur, quibus impietate peruersæ voluntatis factæ sunt similes, & mutua

conuersatione in malum humani generis concordes.

Secundum genus prauorum hominum dæmonibus imperare volentium illorum est, quos vulgò necromanticos appellamus, qui artes profitentur execrationibus plenas, quibus pollicentur se dæmones in circulum posse conuocare, vel in crystallum, siue vas aliud inclusos palàm visibiles ostendere. Hi perniciosissimi homines pleni mendacio & superstitionibus tanta committunt mala, quanta bonus nemo posset excogitare. Nam, vt in obsequium sibi dæmones alliciant, sacrificijs turpissimis plerunque vtuntur & expressum cum eis ineunt pactum, Multos variosq; libellos circumferunt spurcitijs, impietate, ac mendacio plenos, veterumq; Philosophorum & sapiētum nominibus fallaciter inscriptos, quorum exhibitione incautos & curiosos plures decipiūt, & in foueam dæmonum secum trahunt. Promittunt magna & penitùs incredibilia, quorum auditione homines in admirationem mendaciter suspendunt. Annulis, pentaculis, imaginibus, exorcismis, & coniurationibus, dicunt se dæmones posse coartare malignos, vt in circulo vel in crystallo seu alio receptaculo visibiles appareant, & ad omnia

nia interrogata diſtinctè reſpondeant. Hoc omnes quidem promittunt, ſed pauciſsimi noſtris temporibus inueniuntur, quibus maligni ſpiritus etiam malis per hunc modum obediant, DEO id iuſtiſſima ratione non permittente, ne curioſitas hominum ad nouitates prona, contempta religione CHRISTI ſuffragia in neceſsitate poſtularet à dæmonibus. Omnes autem quibus maligni ſpiritus aduocati coniurationibus necromanticorum obediunt, in eorum conſortium per pactum explicitum vel implicitum ſine dubio tranſierunt. Reliquorum verò maior eſt numerus, quibus obedire maligni ſpiritus deſpiciunt, quamuis in profanis ſe necromanticorum artibus omni tempore non vereantur occupare. Et quia noſtris maximè temporibus abundare cœpit iniquitas, & refriguit charitas multorum, iſti maledicti ac mendaciſsimi homines nimium inualuerunt, & quamuis contemnantur à dęmonibus, nihilominus in ſuis pernicioſis dogmatibus perſeuerantes multos decipiunt. Crede mihi Cæſar, quoniam hoc mendaciſſimum genus hominum ſacro imperio tuo valdè eſt pernicioſum, & ideò non minùs quàm Maleficarum ſcaturigo penitùs

penitùs exterminandum. Pollicentur magna, & mētiuntur omnia. Enimuerò cuncta, quæ in libris eorum promittuntur, vana sunt & mentita, & nihil præstant credentibus aliud, quàm dolos, fraudes & subtilissimas deceptiones. Quòd si quando videntur exhibere promissa nō aliter quàm dæmonum id fieri cooperatione manifestum sit omnibus, à quorum cōsortio non minus est fugiendum, quàm à sæuissimis inferni cruciatibus. Occurrunt .n. plerũq; his necromanticis operationibus dæmones, & vt inuocatores suos incepta perfidia pertinaces contineant eis, si possunt rogata præstant. Aliquando verò coniurationibus inuocati comparere despiciunt, & nihilominus inuocantium se mentes abduxerunt.

Est & aliud genus hominum, non minùs fatuum quàm superstitiosum illorum, videlicet, qui nullum volunt cum dæmonibus habere commercium, & nihilominus rebus vtuntur in operationibus vanis dæmonibus appropriatis, & ob id penitùs illicitis. Pictant enim characteribus magnā & occultam inesse virtutem, & ideò varios contra fidem Christi committunt errores. Verùm, quia nō est huius temporis eorum recensere vesaniam, propositum nostrum prose-

prosequamur. Quare autem boni & iusti homines super dæmones non consequantur imperium breuiter est dicendum. Quemadmodum similitudo voluntatum homines malos & impios pares facit esse dæmonibus, ita bonos & iustos dissimilitudo voluntatum eis reddit omninò contrarios. Inter contrarios verò atque dissimiles nulla potest esse familiaritas, sed repugnantia potiùs continua versatur & odium. Vbi autem nulla reperitur similitudine voluntatum contracta familiaritas, neque confidentia potest esse vnius ad alium, neque mutuus in operatione mirabilium concursus. Nec tu, Cæsar gloriose, homo cùm sis hominum moderator magnus, & princeps, quempiam tibi familiarem admittis moribus tibi omninò contrarium atque dissimilem, & tuæ voluntati iugiter reluctantem. Viri autem boni & recti, quia prauissimæ volũtati dæmonum semper obnitũtur, nequaquam in eorum possunt transire consortium, quibus nec volunt nec consentiunt esse familiares, sed eorum totis viribus refugiunt & detestantur occursum, & ideò fictum illud de quo dictum est in eos non assequuntur imperium. Nusquam enim tuta familiaritas quam voluntatum similitudo nulla præcessit,

cessit, nec potest inter contrarios esse concordia, nec inter dispares voluntate constat amicitia. Nec tamen omnibus malis & reprobis passim dæmones obediunt, sed illis duntaxat quibus confœderantur pactis & obsequijs & quos aliter nequeũt habere fideles inuocati libenter occurrũt, licèt se compelli mentiantur. Mirandum itaque non est, optime Cæsar, quòd maligni spiritus prauis atque peruersis nonnunquam videntur obtemperare hominibus, quos sicut diximus & maleuolentia similes & pernicies in genus humanum fecit esse concordes. Sed procul sit ab omni Christiano praua similitudine voluntatis velle imperare dæmonibus, quoniā si quis in hac vita malignorum spirituum habere consortium cœperit, in futuro cum eis sine fine ardebit. Sed quare boni & iusti homines imperare sanctis Dei Angelis nequeunt in quorum similitudinem bonæ voluntatis transierunt? Puto, ex prædictis facilè quæstionis huius daretur solutio, si differētia intellectuum ad memoriam reuocetur. Quamuis enim plures in Ecclesia Dei sint homines constituti, quorum iustitia multis proficit ad salutem, paucissimi tamen vsque adeò nostris temporibus proficiunt, vt propter sanctitatis meritum

vel

vel metuendi ſint dæmonibus, vel in conſortium familiaritatis recipiantur ab Angelis. Hinc fit, quòd homines noſtræ tempeſtatis, neque malignis ſpiritibus meritò ſanctitatis imperant, neque ſanctis Angelis familiares eſſe merentur, ſi qui verò in illum ſanctitatis gradum profecerint, quo miracula facientes in Eccleſia, quemadmodum ſancti quondam profecerunt, iam potenter & imperare dæmonibus poſſunt, & familiare beatorum ſpirituum habere conſortium. Certum eſt enim, quòd ſancti & Deo dilecti homines in primitiua Chriſtianorum Eccleſia maiora quōdam bonorum operatione ſpirituum beneficia præſtitêre mortalibus, quàm prauorum hominum impietas maleficia dęmonum miniſterio vnquam inferre potuiſſet. Multa enim poteſt mirāda precantibus quiſquis Dei cultor verus, ſimilis euaſerit Angelis ſanctis.

DE POTESTATE *Maleficarum.*

VNdè poteſtas hæc tanta maleficis, qua patrare tàm multa varia & miranda poſſunt etiam in vna hora, qualia vel quanta nullus bonorum facere poſſet in omni vita ſua.

Ad

Ad hanc quæſtionem ſi breuiter voluerimus reſpondere, neceſſariò dicemus, quòd omnis poteſtas à Domino Deo eſt, ſine quo nihil poteſt omnis creatura. Dicit enim in ſancto Euangelio Chriſtus: Sine me nihil poteſtis facere. Vndè manifeſtũ eſt, ꝙ omnis poteſtas faciendi aliquid hominibus à Domino Deo & non aliundè cõceditur, ſiue bonum homines, ſiue malum operentur. Hinc ſanctiſsimus Præſul Auguſtinus dicit: Voluntas Dei eſt prima & ſumma cauſa omniũ corporalium ſpecierum ac motionum, nihilque fit in iſta totius creaturæ ampliſsima & immenſa Republica viſibiliter, quod non de interiori inuiſibili atq; intelligibili aula ſummi Imperatoris aut iubeatur, aut permittatur, ſecundum ineffabilem iuſtitiam præmiorum atq; pœnarum. Vndè non eſt dubitandum Cæſar, quòd poteſtas illa maleficarum, in qua mirandos (cooperatione dæmonum) horrendosque producunt effectus à Domino Deo concedatur, cuius voluntati nemo poteſt reſiſtere, & ſine cuius influxu nec manum homo poteſt mouere. Concludunt enim ſancti Doctores, quòd neque dęmones neq; maleficę quicquam facere poſſunt, ſiue hominem lædere, ſiue iumentum, niſi omnipotens Deus

velit,

velit, consentiat potestatemque concedat, vt faciant quod iam peruersa volũtate decreuerunt. Nisi Deus consentiat & velit, nihil potest omnis creatura, alioqn si fieri aliquid eo non volente & consentiente posset, sequeretur necessariò Deum esse infirmum, qui prohibere nõ posset, quod fieri inuitus permittere cogeretur. Sed quoniam omnis homo in quantum creatura est à Deo dependet, nihil potest agere sine illius voluntate à quo & velle habet & posse. Quicquid igitur maleficæ faciunt Deo fit permittente, sine cuius voluntate nihil possunt, quia vt posśint quod volunt, nisi Deus concesserit, neque à se neque à dæmonibus consequerentur. Omnis itaque potestas à Domino Deo est, in quo & sunt omnia & mouentur, sicut in prima rerum omnium causa, quoniam à quo libertatem arbitrij accepimus, ab ipso etiã posse quod volumus habemus. Sed cùm maleficarum sit multum confusus intellectus non arte humana perpetrant mala, quę faciunt, sed cooperatione dæmonum: quos & natura subtiles ita & experientia longa fecit ad producendum miranda veloces. Non enim causantur mirandi effectus maleficarum ab huiusmodi medijs quibus vtuntur ad maleficandum, vt sunt ca-

pita mortuorum, bufones, serpentes, characteres, imagines & his similia, sed ab instituente hæc signa diabolo, qui cùm sit superbissimus, Deo cupit in omnibus videri comparandus. Enimuerò quemadmodum omnipotēs Deus quædam in Ecclesia sua Sacramenta instituit, quæ dignè ministrantibus ipso assistente salutarem designant & producunt effectum ipso qui instituit operante salutem, ita & diabolus qui nihil plùs appetit quàm æstimari Deo æqualis, quædam signa tanquam Sacramenta instituit, quibus inuocatus ab his quibus confœderatus pactis operator malignus assistit, & quoties Deus permiserit, quod rogatur malum efficit, si non permiserit ille, nihil omninò facit. Omnium siquidem effectuum necromanticorum & maleficarum operator diabolus est, qui per applicationem mediorum quæ priùs ipse instituit in materiam subiectam opus producit optatum, aliquando realiter, aliquando solùm apparenter. Mulieres autem maleficæ, quæ iam voluntate deprauata & consensu in consortium dæmonum per pacta transierūt, notas quasdam & signa symbolica ab ipsis recipiunt, quibus aduocati mox dæmones occurrunt. Nihil in his perniciosis operationibus

bus dæmonum fortius, stulta credulitate maleficarum quæ pactis augetur & votis, quoniam quantò vel dæmonibus vel eorum signis firmiorem adhibuerint fidem, tantò velociorem assequuntur ipsis cooperantibus operationem. Volũtatis enim maleficarum nimis truculenta deprauatio eas quodammodò conuertit in furorem, quo mentem præoccupante mox dęmones se furentibus applicant & effectum petitionis pactis inuitati & signis, Deo permittente, insanientibus præstant. Simile namque Plato recitauit in libro de furore Poëtico dicens: Quemadmodum bachantes fœminæ mente non sana, mel & lac ex fluminibus hauriunt, mente autem sanæ haurire nequeunt. Id autem efficit eorum animus in consortium dæmonis mali extra se raptus. Exploratum habemus maleficas in fluminibus concitatis hausisse butyrum temporibus, quod aliter fieri quàm dæmonis ministerio nullatenus potest. Simili modō in odium traductę alicuius vel hominis vel iumenti suspirantes interitum grauissimo agitantur furore, nihil aliud quàm vindictam in animo cogitantes. Res capiunt ad maleficium sibi notas & familiares, inuocant dæmones, ostendunt signa ab illis instituta simul

& characteres, & quod propria virtute perficere nequeunt, illorum ministerio consequuntur. Alius verò qui non est dæmonibus pacto & deditione subiectus, etiam si res conuenientes ad maleficium nouerit simul & modum operandi, quamuis exhibeat signa, rarò tamen effectum consequitur, propterea quòd inter familiares dæmonum non habetur. Vsque adeò quippè diabolus elatus superbia Ecclesiam Christi æmulatur, vt quemadmodum non ordinatus Christi corpus non potest conficere, quantumlibet verba consecrationis proferat: sic etiam dæmon quantumuis inuocanti & signa siue characteres ostendenti, quem pacto sibi non nouit subiectum, aut nunquam, aut rarò concurrit. Nam si omnibus se inuocantibus sine pactis passim interpositis occurreret, non tot maleficas sibi proprietatis iure dicatas possideret. Hinc est, quod multi profanis artibus dediti dæmones ad circulum, ad speculum, siue ad quælibet alia receptacula horrendis coniurationibus conuocare laborantes nullum consequuntur effectum, quoniam aut Dei obstat imperium, aut diabolus contemnit curiosum hominem sibi homagio non dicatum. Tria etenim requiruntur ad maleficium,

cium, sine quibus nullum constat esse perpetratum: Animo furens ac deprauata voluntate malefica, cooperatio quoque familiaris diabolica, & ante omnia permissio diuina. Quia si vnum istorum non concurrerit, maleficium perpetrare non poterit. Nam si Deus non permitteret, nec Diabolus quicquam nec malefica posset. Et si diabolus prauæ mulieris voluntati non occurreret, nullum illa maleficium perpetraret. Rursum si malefica defuerit, diabolus maleficium nullatenus consummabit. Vtitur enim voluntate furentis maleficæ diabolus tanquam artifex instrumento ad operandum, sine quo non posset inferre maleficium. Et sicuti dæmones in potestate acumineque subtilitatis ab inuicem differunt, ita maleficarum potestas non est in omnibus vna, sed in singulis prout dæmonibus concurrunt natura subtilioribus vel grossioribus diuersa. Multa enim sunt genera dęmonum, & certis inter se gradibus distant, ratione locorum in quæ cadentes à principio sunt detrusi. Primum quidem genus dæmonum appellatur igneum, quod circa superiorem peruagatur aërem, nec vnquam ante iudicij diem ad inferiora demergitur, sed continuè sub regionibus permanentes lunaribus,

 naribus,

naribus, nullum habent cum hominibus in terra commercium. Quòd verò sub luna permaneant sanctus testatur Augustinus in opere de agone Christiano, sic dicens: Dæmones non habitant in cœlo vbi sol & stellæ sunt, sed omnes sub regione lunari versantur. Hinc motus vt reor Apuleus dæmonia dixit animalia esse ignita, propterea quòd Aristoteles confirmauit in fornacibus ardentibus quædam animalia parua sæpiùs visa volitasse pennulis apta, quæ totum æuum suum diuersantur in igne, quoniam cum igne oriũtur & cum eo extinguuntur, & ad suum vndè venerant locum euanescentes redeunt. Nulla sunt eis cum maleficijs cõsortia, quoniam cùm demorentur in igne propter subtilitatem suam non possunt corpus induere grossum siue aëreum. Secundum genus aëreum dicitur, quòd in aëre oberrans nobis propinquo commoratur. Hi quidem possunt ad inferiora descendere, & assumptis de crasſiore aëre corporibus, quandoque visibiles hominibus apparere. Aëra, permittente Deo, sæpiùs turbant, tonitrua & tempestates concitant, & omnes simul in perniciem humani generis conspirant, More hominum affectionibus mouentur pasſionum, superbia maximè & inuidia,

uidia, tanganturq; perturbationibus continuis, & nec ſolido veſtiuntur corpore, nec vno conſiſtunt loco. Neque vnam omnes formam habent, ſed plurimas, easque ſæpiùs mutant, ſecundum varietatem affectionum quibus vel occurrunt maleficarum carminibus euocati, vel impulſi perturbatione ad nocẽdum. Habent enim omninò violentum & furioſum morem turbationibus plenum, vndè vehementer malefacti & perturbati repentinas plurimùm machinantur inſidias, & dum ſuas agunt incurſiones partim latere volunt, partim inferunt violentiam. Maleficæ horum dæmonũ cooperatione ſuffultæ tantò ſunt ad maleficandũ potentiores, quantò ſuperiorem ex eorum ordine concurrentem fuerint aſſecutæ. In vita ſancti Anthonij diuus Athanaſius aẽrem plenum dixit eſſe dęmonibus, quod Mercurius anteà dixerat ter maximus: nullam videlicet mundi partem dæmonum pręſentia deſtitutam. Sanctus quoque Præſul Ambroſius dicit: Plenus eſt mundus ſanctarum virtutũ, quia plenus eſt nequitiarum. Vndè platonici dæmones in aẽre volantes in modũ denſiſsimæ niuis ignitæ cupientibus tradidere viſibiles, ſi aliquandiu verſus cœlum ſole ſplendente irreuerberatis oculis conti-

continuauerint obtutus. Sed neſcio an in aëre cauſetur obiectum ex conſiſtentia reali, vel certè oculorum motus intercluſus repræſentet imagines falſas, non ſine detrimento ſenſus tamen leui, promiſſorum cepi experimentum.

Tertium verò genus dæmonum terreſtrium dicimus, quos prolapſos è cœlo in terram pro ſuis demeritis minimè dubitamus. De his ſanctiſsimus præſul & martyr Chriſti Theophorus quondam Ignacius in Epiſtola quadã ita ſcripſit ad Epheſios: Nihil meliùs eſt quàm pacẽ habere, in qua omne telum euacuatur aëreorum ſimul & terreſtrium ſpirituum. Ex his autem dæmonibus alij verſantur in ſyluis atque nemoribus qui venatoribus ponunt inſidias, alij verò patulis degunt in campis, qui nocte oberrare faciunt itinerantes, nonnulli commorantur in locis abditis atque cauernis, reliqui cæteris minùs furioſi & perturbati demorari cum hominibus in obſcuro delectantur. Non vno ducuntur affectu ſed vario, quoniam alij ſunt alijs minus deprauati, quanquam omnes ſint malis turbationibus pleni. Ex his quidam ſolis gaudent illuſionibus territare homines, alij prædictionibus futurorum in admirationem ſui trahere cupiunt audien-

tes.

tes. Nonnulli verò ad hoc ſummo conatu laborant, vt homines irrationabili furore turbatos aut melancholia furentes terreant, lædant vel occidant, quod experientia ſæpiùs factum agnouimus. Hinc ſanctus Ioannes Chryſoſtomus in tertio libro de prouidentia ad Stagyrium Monachum dicit: Omni actione diabolica potentior eſt ad nocendum mœroris magnitudo, quia dæmon quoſcunque ſuperat per mœrorem ſuperat. Eum ſi auferas, nihil à dæmone quiſquam lædi poterit. Hoc autem dæmonum genus raró eſt maleficis familiare, propter inconſtantiam affectionum, & leuitatem qua territare multos gaudent potiùs quàm vnius mulierculę ſubeſſe imperio. Commorantur tamen interdum vt pollicentur veſanis in vitro, vel in Gryſtallo ſiue in ſpeculo, & carminibus concitati reſponſa dant mulieribus, & ſi quis venturus eis malè dixiſſet in via prænunciant. Et hoc maleficarum genus multum aliquotiens differt à reliquis, quoniam quod illę maleficio reddunt infirmum, iſtę curare pollicentur: Verùm quia maleficium vtplurimùm repellunt maleficio, earum acceſſus interdicitur ab Eccleſia omni Chriſtiano. Quartum genus dęmonum nuncupatur aquaticum, quoniam ſe hu-

moribus immergens circa lacus & fluuios habitat, ira plenum, turbatum, inquietum & fraudulentum, quod in mari tempestates concitat, nauigiaque demergens in profundum, multis vitam aufert in aquis. Et isti dæmones quoties assumunt corpus visibile in sexu frequentius apparent fœmineo, & in masculino rariùs videntur, propterea quòd in locis versantur humidis, & molliorem vitæ ductum sequuntur, nec vile schema facilè cæterorum consuetudine possunt assumere. Vndè Naiades Nereidesq; aquarum Nymphas non masculino sexu, sed fœminino dudum nominauit antiquitas. A nostris autem aquaticæ mulieres, id est, Wasserfrauwen/communi vocabulo dicuntur. Qui verò habitant in locis siccioribus & subaridis, quoties hominibus corporaliter apparent visibiles in viros se transformant. Diuersarum quoque species assumunt bestiarum, prout varijs tanguntur affectionibus. Sancti autem Angeli quoniam affectione nunquam variantur, vniformiter semper apparent in forma virili. Nusquam enim legimus scriptum, quòd bonus spiritus in forma sit visus muliebri aut bestiæ cuiuscunque, sed semper in specie virili. At verò sæpiùs visi sunt dæmones circa flumina &

ſontes in ſpecie mulierum, aliquando cho riſantes, aliquando capillos more fœminarum explicantes, nonnunquam verò cum hominibus loquentes, & varias ludificationes exercentes. Et hoc genus dæmonum non conſueuit cum maleficis habere commercium. Quintum genus ſubterraneum dicitur, quod in ſpeluncis & cauernis, montiumque remotis concauitatibus demoratur. Et iſti dæmones affectione ſunt peſsimi, eosque inuadunt maximè qui puteos & metalla fodiunt, & qui theſauros in terra latentes quærunt, in perniciem humani generis paratiſsimi. Hiatus efficiunt terræ, ventosque flammiuomos ſuſcitant, & fundamenta ædificiorum concutiunt. Noctibus aliquando de montibus turmatim egreſsi mirandas ſtupendasque in campis ducunt choreas, & quaſi vnius ducis metuẽtes imperiũ, ſubitò euaneſcũt ad ſignum, & ad ſua diuerticula reuertuntur. Interdũ nolarum inter eos auditur ſonitus, & ſe nonnunq̃ ſpiritus eſſe hominum, vita defunctorum mẽtiuntur. Nihil magis quęrunt quàm metum hominũ & admirationẽ. Vndè habemus compertum quòd ſimpliciores hominũ quoſdam nonnunquam in ſua latibula montium duxerunt ſtupenda mirantibus oſtendentes

dentes spectacula, & quasi beatorum ibi sint mansiones, amicos se viuorum mentiuntur. Ex his quoque dæmonibus quidã incubones sunt thesaurorum, quos auaritia mortalium abscondit in terram, & ne rursus in vsus perueniant hominum, eos subducunt, furantur & custodiunt, & quandoque de loco in locum transponunt. Et hoc genus dæmonum cum maleficis mulieribus nullum consueuit habere commercium.

Sextum verò dæmonum genus appellatur lucifugum, propterea quòd lucẽ maximè horrent & detestantur: quia nec diebus vnquam apparent, nec alio modo corpus quàm de nocte possunt assumere. Hoc est negotium quod in tenebris perambulat, genus dæmonum imperscrutabile ac penitùs tenebrosum, pasionibusque frigidis agitatum, malitiosum, inquietum & perturbatum, quod occurrentes homines nocturnis violenter comprimit horis, sæpiusque (Deo permittẽte) aut flatu quosdam interficit, aut contactu. Maleficis non conuenit hoc genus dæmonum, neque carminibus arctari potest, quia & lucem fugit, voces hominum simulque omnem tumultum. Aëreum maximè ad maleficia & fœminarum consueuit occurrere, quoniam

niam cæteris est omnibus magis subtile, & audacissimæ temeritatis. Terrestriũ quoque nonnulli maleficis, vt est dictum, subseruiunt, qui tamen inferiori gradu habiti, maiora illa maleficia inducere minimè possunt. Cõstat igitur manifestè quòd tota potestas maleficarum in qua tàm miranda faciunt dæmonibus à Domino Deo limitata conceditur, & quando ille non permittit, nihil operantur.

DE PERMISSIONE diuina.

QVare Deus cùm sit iustus & vindex malorum, tanta maleficia in perniciem humani generis fieri permittit, quibus nõ solùm peccatores, sed etiam innocentes multi pereunt grauiter cruciati.

Ad hanc quæstionem taliter me dudum coram Maiestate tua constitutum memini respondisse. Optimus Deus iustus & rectus, pius & misericors, quicquid permittit, iustè permittit, quoniam iustus est, & non est apud illum iniquitas, sed omnia in vero iudicio quę fiunt aut facit, aut permittit. Cùm ergò quæritur, quare Deus mala fieri permittat, respondemus. Ideò permittit, quia iustus est. Num videatur

Maiestati

Maiestati tuæ ô Cæsar quam dedimus absurda responsio, quoniam diuinæ bonitati non præiudicat vllatenus, quod mala fieri iustissima ratione permittit, potiùs autem præiudicaret si mala in præsenti mundo fieri non permitteret. Enimuerò si non permitteret fieri mala, iam homo peccare non posset, esset certè inpeccabilis quod eius naturæ non conuenit, cui ab initio liberum arbitrium conditor omnium dedit. Homo etenim creatura cùm sit & non creator, est necessariò tàm ad bonum conuertibilis quàm ad malum, cuius esse dependet à summo creaturarum opifice omnium, quemadmodum à causa sui esse omne causatum. Creare verò soli Deo relictum est, qui est incorruptibilis & sempiternus, corruptibile autem omne necessariò deficit, conseruatur autem bonitate creatoris quamdiu causæ influentiam non amittit. Vndè fieri nec potuit, nec decuit quòd homo ex conditione suæ naturæ crearetur impeccabilis, quo solus gaudet naturaliter opifex omnium Deus, qui est incommutabilis & sempiternus. Quoties verò confertur homini vt peccare nó posse videatur, nec libertas arbitrij tollitur, nec possibilitas simpliciter aufertur, sed voluntas in bono confirmatur. Et quoti-

enscun-

eiuscunque hoc donum confertur creaturæ, munus est gratiæ non naturæ. Dicit .n. scriptura: Deus ab initio creauit hominem & reliquit eum in manu consilij sui. Nam propriè loquendo esse nō potest, vt homo mortalis in originali displicentia conceptus & liberum habeat arbitrium, & non posit committere peccatum. Dicit enim sanctissimus præsul August. Prima libertas voluntatis erat posse peccare, nouissima erit in gloria multò magis, non posse peccare. Itaque si homo peccare non posset, propriæ voluntatis suæ dominum non haberet. Vndè quamuis omnipotens Deus peccatum non velit, peccare tamen homines & malum facere iustè permittit, quatenus libertate arbitrij permanente, & virtus boni operis meritum, & prauitas voluntaria recipiat, quod fecerit malum. Nemo enim aut benè facit aut peccat inuitus. Iustè igitur omnipotens Deus peccare & malum facere homines permittit, quibus à principio libertatem arbitrij cōcessit. Sunt autem multæ rationes à sanctis Doctoribus dudum assignatæ, quare omnipotens maleficia tanta fieri per dæmonum cooperationem permittat, quarum ordine necessario breuiter faciemus mentionem.

Prima

Prima est, vt diuinæ manifestetur excellentia potestatis, qui solus est incommutabilis, & supra omnem longe positionem. Omnis autem creatura mutabilis, ad incommutabilem creatorem nullam habet comparationem. Vndè in Numeris legitur: Non est Deus quasi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur. In Esaia quoque dicitur: Deus fidelis absque iniquitate iustus & rectus. In libro etiam Thobiæ scribitur: Iustus es Domine, & omnia iudicia tua vera sunt, & oẽs viæ tuæ misericordia, veritas & iudicium. Et in libro sancti Iob legimus: Absit à Deo impietas, & ab omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddit ei, & iuxta vias singulorum restituet eis. Omnis igitur homo qui suam ignorantiam & infirmitatem rectè intelligit, quam sit nihil comparatus ad creatorem suum patenter agnoscit. Iustè namque Deus permittit peccare hominem, quo & libertas continuetur arbitrij, & excellentia hominibus innotescat magni Dei. Secunda ratio est, vt inperscrutabilis Dei sapientia innotescat mortalibus, quę nouit ex nostris malis elicere bonum, cùm vnius peccatum alterius facit esse meritum ad virtutis incrementum. Nam si malum fieri non permitteret, quis nostrum

ſtrum intelligeret bonum? Facit enim Deus bonum & ordinat, mala verò non facit, ſed ab impijs facta ne inordinatè veniant ipſe diſponit. Neq; malitia hominum Dei voluntatem impedit, neque poteſt homo quicquam quod Deus non permittit.

Tertia verò cauſa eſt, quòd omnipotẽs fieri maleficia permittit, vt manifeſtet ſuam clementiſsimam bonitatem in eos qui peccauerunt & egerunt pœnitentiã, quam nullatenus poſſet oſtendere, ſi creaturam non permitteret peccare. Nã ſi nullus eſſet peccator, nec Deus poſſet eſſe miſerator. Sed quoniam in multis offendimus omnes, vbiq́ue Deus inuenit quod remittat, vbiq́ue reus occurrit, in quo ſuam miſericordiam pius conditor oſtendat. Vndè ſanctus Præſul Auguſtinus: Si leuis morbus eſſet contemneretur Medicus, non quæreretur, ſi Medicus non quæreretur, morbus non finiretur, ideò vbi abundauit peccatum abũdauit & gratia, quæ ſola diſcernit redemptos à perditis, quos in vnum coaceruat maſſa perditionis, ab origine ducta creationis. Eſt ergò miſericordia Domini ſuper omnia opera eius.

Quarta verò ratio diuinæ permiſsionis eſt, vt iuſtitia creatoris in eos declaretur, qui peccauerunt, & non egerunt pœ-

nitentiam, quoniam si omnes benefacerent, & nemo peccaret, nihil haberet Dei iustitia quod puniret. Vt ergò iustitia locum habeat, diuina permissione creatura peccat. Iustus enim est Dominus, qui reddet vnicuique secundum opera voluntatis suæ.

Quinta ratio est dignitas conditionis humanę, quia si Deus non permitteret peccare hominem, brutis videretur deterior, quæ nulla impellēte violentia naturæ motibus liberè vtuntur. Nā & si ratione bruta careant, liberum tamen naturæ motū habent, quem sequuntur, in quorum comparatione homo videretur inferioris conditionis, si liberum non haberet arbitrium voluntatis. Permisit autem homini Deus voluntatem liberam, cui nec reges imperant, nec principes.

Sexta ratio est laus meriti constantiæ humanæ virtutis, quando iustum virum propterea laudamus, quia cùm potuisset transgredi non est transgressus, sed gratia Dei adiuuante in bonæ voluntatis cōstantia permansit.

Septima ratio quare omnipotens Deus permittat dæmones tanta maleficia inter cursu maleficarū facere, est vt illi qui contempta veritate delectantur mendacio, per

per inuentorem mendacij diabolum seducti penitùs decipiantur. Dignum est enim, vt incantatores atque maleficæ, qui salutaria Christi documenta sequi despiciunt, à dæmonibus decepti omnes ad inferos demergantur in æternum puniendi. Suffragium à dæmonibus totius humani generis hostibus expetunt, & saluatorem mundi, quem solùm adorare debuerant, contemnunt. Iustum est enim, vt is qui veritatem spontanea voluntate deserens adhæret mendacio, in interitũ à diabolo precipitetur. Octaua causa est manifestatio diuinæ potestatis, cuius potentia & virtus est super omnem creaturam. Enimuerò cùm Deus omnipotens aliquando magna permittit diabolo, & parua quædam denegat, quam sit infirmus humani generis hostis, & diuinæ Maiestati subiectus in omnibus manifestat. Nihil enim à se ipso potest Diabolus, sed omnia quæ facit, Deo permittente facit. Causa igitur omnium prima, propter quam omnipotens Deus fieri maleficia permittit iustitia est, qua libertatẽ quam creaturæ semel à principio contulit, ordine inuiolabili custodit. Verùm qa potestas creaturæ omnis à suo creatore dependentis restricta est & limitata, nec diabolum omne quod vult posse mani

festum est, nec hominem voluntate quantumlibet deprauatum. Voluntas quidem est libera, sed potestas certis & necessarijs gradibus limitata. Quoniamquidem si dæmones possent omne quod volunt, nihil tutum in humanis permaneret, sed labefactarent omnia. Ligatam verò potestatem dæmonum historia sancti Iob manifesto demonstrat exemplo, quem non amplius tentare Satan audebat, quàm ei fuerat dispensatione diuina permissum. Nemo enim in pręsenti mundo quantumlibet iustus aut fortis dæmonum furori posset resistere, si pro eorum arbitrio libera semper nocendi possent vti potestate. Ante verò dominicam pasionem maiore quàm posteà libertate vtebantur potestatis, sed Christo mortem pro nobis in ara crucis gustante, valdè iam deinceps eorum est imminuta potestas. Saluatore in Euangelio dicente: Nunc princeps mundi eijcietur foras. Etenim Christi humilitas & perseuerantia sanctorum audaciam dæmonum valdè restrinxerunt, ita q̃ incentores malorũ rectè nũcupari possunt, impulsores verò minimè. Nec inualesceret contra nos diabolus, nisi vires ex nostris peccatis acciperet. Hinc nos scriptura admonet, dicens: Resistite diabolo & fugiet à vobis.

vobis. Et iterum: Nolite locum dare Diabolo. Concludendo igitur sermonem ad intelligentiam propositæ quæstionis, quare DEVS fieri tot maleficia permittat, rationes credo sufficienter manifestas. Nam & si voluntas dęmonum semper sit iniqua, potestas tamen nunquam potest esse iniusta, quoniam quòd malè vult ex proprio habet arbitrio, quòd autem malè facere potest solùm habet à Deo. Et hæc quantum ad eos pertinet qui mala faciunt dicta sunt. Sed quare omnipotens Deus permittit dæmones lædere homines medio maleficarum, qui in nomine sanctæ Trinitatis baptisati sunt, & fideliter credunt in vnigenitum filium eius Dominũ nostrum Iesum Christum? Nam si malos, peruersos, & infideles in corpore & in rebus tantùm lædere possent, coercerentur verò ab accessu & læsione bonorũ atq; fidelium, permisionis iustum rectè videretur esse iudicium. Nunc autem frequentiùs boni & innocentes dæmonum maleficijs infirmantur, & quandoque etiam vita priuantur, vt silentio iacturam rerum temporalium quam sæpè maleficiati patiuntur transeamus, multis venit in scrupulum cur ista permittat omnipotens, qui nihil permittit iniustè.

Huius propositæ quæstionis non aliàs quàm à priscis atq; catholicis accepi Doctoribus, quātum potero breuiter necessarias per ordinem aßignabo rationes. Et prima quidem ratio est probatio fidei Christianorum & experientia integritatis, vt maleficijs dęmonum flagellati discāt in paßionibus carnis, quam fidem & dilectionem ad Deum habeant in abscondito mentis. In prosperis esse longanimem non est difficile, sed in aduersis cum humili patientia à Saluatore fidelium præstolari auxilium, non mollium est, sed fortium & verè fidelium Christianorum. Didicit in sua tribulatione sanctißimus Iob, quantam in Deum fidei haberet constantiam, qui anteà in trāquillitate custodierat sine tentationis iaculo pietatem. Hinc simul notandum, quòd illi quos dæmonum vel hominum maleficia quomodocunque fecerunt infirmos, qui pro sanitate recuperanda maleficos & incantatores quoscunque vel accedunt, vel consulunt, siue per se, siue per alios, contra Dei & Ecclesiæ præcepta faciunt, & neque fidem in Deum habent veram, neque dilectionem. Sanitatem quippè morituræ carnis Deo præferunt, & salutem non à Christo sed à diabolo & eius ministro quærunt. Malunt enim in no-

in nomine diaboli ſani ſed infeliciter viuere, quàm hîc pro Chriſti amore modicum pati, & poſteà cum eo in perpetuum gaudere. Qui verò maleficos non accedit, propterea quoniã Deus prohibuit, malés viuere cum obſeruantia mandatorum Dei in egeſtate & ægritudine quàm cõtra Deũ in diuitijs & corporis ſanitate, ille DEVM veraciter diligit, & integritatem Chriſtianę fidei rectè cuſtodit. Nõ ſunt inter Chriſtianos tollerandi ô ſacratiſsime Cęſar homines mente corrupti & reprobi circa fidem, qui per maleficia curant maleficiatos, qui furta miniſterio dæmonum reuelant & adulteria, qui lapidum aut ſpeculorum inſpectione prędnunciant futura. Non exaudias illos precor qui diuinarũ legum ignari, huiuſmodi miniſtros dæmonum imperio tuo exiſtimant vtiles, propterea quod maleficio nouerunt maleficia diſſoluere, quoniam iſta pernicioſa curatio corporum, mortem inducit animarum, & facit homines à Deo creatore omnium recedere, & impijs apoſtatis dæmonibus adhærere, cum quibus poſt mortem damnabuntur in æternum.

Secunda ratio quare omnipotens Deus maleficio lædi permittat innocentes, eſt augmentum meritorum, vt videlicet pro-

bata eorum in tribulatione patientia, coronam glorię in cœlo digniorem mereantur. Nam vt sacer inquit August. Homo sibi ignotus est quid ferre possit, quid non possit, aliquando metuit se nō posse quod tamen potest, cùm accedit tentatio quasi interrogator quidam, homo inuenitur à seipso, qui priùs latens nesciebat seipsum. Diuus Archiapostolus Petrus, antequam superuenisset ei tentatio, & se latebat & alios quam esset inconsideratus & infirmus, accessit illa & apparuit, infirmitas quæ latebat. Maxima igitur hominis probatio tentatio est, sacra testante scriptura: Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Facilis est in prosperitate patientia, quoniam mentem nulla pulsant aduersa. Multæ autem tribulationes iustorum, sed de omnibus liberabit eos Dominus noster Iesus Christus.

Tertia diuinæ permissionis ratio est humilitatis custodia, quatenus homo fidelis & iustus Deum semper timeat, & nūquam de sua fortitudine vel iustitia præsumat. Hinc de reprobis dicit scriptura: In labore hominum nō sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideò tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua,

prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum. Miſerentis Dei eſt, quòd homines bonos & iuſtos interdũ permittit aduerſitatibus concuti, quos nouit in proſperis non poſſe humiliari. Multos enim tribulatio fecit humiles, quos ſecũda reddidiſſent elatos. Denique maleficiorum timida imaginatio facit bonum hominem timere Deum ſuum, & eius ſedulò inuocare auxilium, quo munitus contra dæmonum incurſus, ſe poſsit confidere tutum. Nemo autem ſuperbus & præſumens de viribus ſuis à maleficijs dæmonum ſe tutum exiſtimet, quoniam quẽ inflatum ſuperbia Dei protectio deſerit, dæmonum maleficijs proculdubiò pateſcit.

Quarta ratio eſt, vt bonorum malorumque diſcretio habeatur. Dicit enim de bonis ac Deo dilectis hominibus ſcriptura in actibus Apoſtolorum, quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Et ſanctus Chriſti amator Paulus in quadam Epiſtola dicit: Omnes qui volunt in Chriſto piè viuere, perſecutionem patientur. Sapientiſsimus quoq; rex Salomon in Prouerbijs dicit: Quem diligit Dominus corripit, & quaſi pater in filio complacet ſibi. Res Chriſtiano nimis glorioſa, pro Dei amore patiẽter tolerare

aduersa, siue à malis hominibus inferātur siue à dæmonibus. Datur enim potestas diabolo eiusque ministris lædendi homines bonos & iustos, non in eorum confusionem sicut petrones existimant, sed in maximam potiùs & certam animæ consolationem. Enimuerò cùm benè viuit homo iustus neminem lædit, neminem offendit, nulli facit iniuriam, Deum suum toto corde diligit, timet & veneratur, omni sollicitudine mandata eius custodiens, & nihilominus tribulatur à maleficis, siue in corpore, siue in reb., siue in vtroq;, verè beatus est homo ille, qm̃ cùm probatus fuerit accipiet coronā vitæ, quam promisit Deus his qui diligunt eum. Oīs qui rectè viuit in vnitate fidei catholicæ Ecclesiæ Christianorum, & mala in hoc mundo recipiens pro Dei amore patienter tolerat, certum est signum quod in Dei gratia saluandus perseuerat. Quo circa de malis & reprobis ita scriptum legimus: Quare impij viuunt, subleuati sunt, confortatique diuitijs. Domus eorum securæ sunt & pacatæ, & non est virga Dei super illos, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Manifestum enim damnationis est signum, si hîc malè viuas in peccatis & vitijs Deo contrarius & in bonis fortunæ

corporis-

corporisque sanitate prosperatus. Quinta ratio quòd omnipotens permittit homines bonos & iustos tribulari à malis & reprobis, est propter mentis omnimodam purgationem. Nam sicut scriptura dicit: Non est homo iustus in terra qui faciat bonum & non peccet. Sed cùm Deus nullum peccatum transeat impunitum, ordinat iustis hominibus per misericordiam pro eorum delictis pœnas temporales, impijs verò & reprobis per iustitiam æternas. Commutat ergò ex misericordia pœnitentibus pœnam æternam in temporalem, quam vel in hoc mundo patiantur necessarium est, vel post mortem in purgatorio. Verùm quia purgatorij tormenta sunt horrenda atque grauissima, misericors Deus pœnitentes quos diligit in hac vita purgare varijs modis cõsueuit, per incommoda diuersarum in corpore & in rebus tribulationum. Prosunt enim maleficia impiorum bonis & iustis hominibus ad medelam, ipsis autem inferentibus ad damnationem.

Sexta ratio est vt homo per incursus dęmonum maleficatus reuocetur ad pœnitentiam, & proponat in corde suo necessariam vitæ emendationem. Omnipotens etenim Deus non subitò, cùm peccamus, immittit

immittit vindictam, sed vsque ad præfinitum tempus nostram expectat emendationem. Si verò pœnitentiam agere neglexerimus venit ad nos vindex malorũ, quando non putamus, & qui nos peccatores in tranquillitate pœnitendo recognoscere contempsimus, in tribulatione serò tandem recognoscemus. Hinc sanctus Propheta in persona Dei loquitur, dicens: Si dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint, & mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eis, neque nocebo in veritate mea.

Septima ratio quare omnipotens Deus permittit maleficia dæmonum præualere bonis & innocentibus, est vt amputetur eis nimium licentiosa peccandi occasio. Sunt enim multi pauperes & infirmi Deo placentes, boni & deuoti & humiles, quos inopia & ægritudo corporis in Dei amore conseruant, qui si diuites honoribusque sublimati essent, citò in profundum vitiorum à sanctitatis proposito defluerent. Non expedit omnibus ad salutem habere cum sanitate honores atque diuitias, nec diuturnior vita hominem semper efficit melio-

meliorem. Propterea omnipotens Deus volens in eos quos elegit misericordiam suam ostendere permittit bonos, iustos & innocẽtes varijs calamitatibus subiacere. Et aliqñ per dæmones, aliqñ per malos homines, aliqñ per diuersis alijs modis ac medijs aufert ab huiusmodi hoĩbus diuitias & honores, ꝗbus malè p̃sciuit vsuros, quatenus humilitatem in paupertate & abiectione custodiant, quam in opulentia & sublimitate positi minimè conseruassent. Permittit etiam sæpiùs multas eos & magnas ægritudines incidere, quibus læta sanitas carnis maximam intulisset ægritudinem mentis. Denique permittit maleficio quosdam ad mortem impelli, vt amputetur eis peccandi licentia, qua fuerãt abusuri diutius in vita permissi. Hinc de viro iusto dicit scriptura: Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, & ne fictio deciperet animam eius.

Octaua ratio diuinæ permissionis est, vt homines Sacramenta venerentur Ecclesiæ, quæ magnam habent virtutem contra omnia maleficia malignorum spirituum. Rarò enim maleficijs dæmonum læditur, qui Sacramenta & ritus Ecclesiæ Catholicæ debito cum honore veneratur. Et propria maleficarum confessione sæpiùs audiuimus,

diuimus, quòd missarum auditio & vsus rerum benedictarum ab Ecclesia multùm infirment dæmonum potestates. Neque enim frustrà benedicũtur in Ecclesia Dei, sed vt sint quæ diuinæ protectionis munimen dæmonibus ostendant metuenda signacula. De pueris verò & infantibus, qui in Christo renati maleficijs dæmonum vel hominum quandoque necantur, non dubitamus quin diuina prouidentia hoc fieri permittat eis in salutem, quæ omnia nouit in melius ordinare mortalibus. Sæpè tamen contingit infantes maleficijs perire propter delicta parentum.

FINIS.

DE

DE VENEFICIO ET VENEFICIS, scripturæ diuinæ, & quorundam Patrum testimonia.

GAL. 5. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt hæc, adulterium, scortatio, &c. veneficium, φαρμακεία, &c. de quibus prædico vobis quemadmodum & prædixi, quòd qui talia agunt, regni Dei hæredes non erunt. De pœna æterna Magorum & Veneficarum non resipiscentium, quid nobis statuendum sit, hinc colligere promptum est.

Exodi vigesimosecundo: Maleficam non sines viuere. Deuteron. decimooctauo: Non inuenietur in te, qui transire faciat filium suum aut filiam suam per ignem, diuinans diuinationes, præstigiator & augur, neq; maleficus neq; incantator, neq; interrogans Pythonem, neque magus, neque quærens à mortuis.

Abomina-

Abominatio enim Iehouæ est, quicunque facit hæc, & propter abominationes istas Iehoua Deus tuus eijcit illas à facie tua. Ier. 27. Negat Propheta audiendos esse Pseudoprophetas, diuinos, augures, maleficos. 1. Sam. 28. Saul boni principis officium fecit, sublatis è terra Pythonißis & Magis. 2. Reg. 1. Ahasiæ regi vicio datur, quòd BaalZebub Idolum Ecronitarum, de valetudine sua sibi consulendum duxit: ac tùm periere centum viri, cum suis ducibus, qui mißi erant ad comprehendendum Heliam Prophetam, eò quòd is impium Regis institutum improbasset, & quidem secundum legem. Deut. 18. Quid igitur de ijs dicemus, qui cum aduersa valetudine correpti pœnas dant peccatorum suorum, non verentur Magos & Lamias consulere?

D. Iohannes Chrysost.

Si quis Medicus est, potionemq; dat, accipienda est, nec curiosè inquirendum qualis ea sit, sed habenda vti sanitati conducens: sin veneficus est, magus, incantator, non modò non inquirendum qualis sit, sed etiam vox fugienda, vtpotè letifera. De Fato, Serm. 7.

D. August.

D. August.

Porrò aduersus Magicas artes, de quibus quosdam nimis infelices & nimis impios etiam gloriari libet in nomine Dæmonum, ipsam publicam lucem testem citabo. Cur enim tàm grauiter ista plectuntur seueritate legum, si opera sunt numinum colendorum? An fortè istas Leges Christiani instituerunt, quibus artes Magicæ puniuntur, secundum quem alium sensum, nisi quòd hæc maleficia generi humano pernitiosa esse non dubium est? Ait Poëta clarissimus:

Testor chara Deos, & te germana, tuumq́
Dulce caput, magicas inuitā accingier artes.

Illud etiam quod alio loco de his artibus dicit idem Poëta:

Atque satas aliò vidi traducere messes.

Eò quòd hac pestifera scelerataque doctrina, fructus alieni in alias terras transferri perhibentur, nónne in Duodecim tabulis, id est, Romanorum antiquissimis Legibus, Cicero commemorat esse conscriptum, & ei qui hoc fecerit, supplicium constitutum? Postremò ipse Apuleius nunquam apud Iudices Christianos de Magicis artibus fuit accusatus? Quas

vtique sibi obiectas, si diuinas & pias esse nouerat, & diuinarum potestatum operibus congruas: nō solùm eas confiteri debuit, sed etiam profiteri, Leges culpās potiùs, quibus hæc prohiberentur, & damnanda putarentur, quæ haberi miranda & veneranda oporteret. Ita enim vel sententiam suam persuaderet Iudicibus, vel si illi secundum iniquas leges saperent, eumque talia prædicantem atque laudantem morte mulctarent, digna animæ illius Dæmones dona rependerent, pro quorum diuinis operibus prædicandis, humanam vitam sibi adimi non timeret. Paulò pòst addit Augustinus. Huius autem Philosophi Platonici copiosissima & disertissima extat oratio, qua crimen artium Magicarum à se alienum esse defendit: seq; aliter non vult innocentem videri, nisi ea negando, quæ non possunt ab innocente committi. At omnia miracula Magorum, quos rectè sentit esse damnandos, doctrinis fiunt & operibus Dæmonum: quos videat cur censeat esse honorandos, necessarios eos asserens perferendis ad Deos nostris precibus: quorum debemus opera deuitare, si ad Deum verum preces nostras volumus peruenire.

re. De Ciuitate Dei, libro octauo, cap. 19.

Imperatorum Christianorum, Constantini, Constantij & Theodosij. Item Ethnicorum, Diocletiani, Maximiani, Antonini, Iuliani, constitutiones aduersus Magos, Aruspices, Ariolos, & alios Maleficos, petere licebit è Codicis libro nono, Titul. 18.

DISPVTATIO DE LAMIIS, SEV *STRIGIBVS, IN QVA DE earum viribus perspicuè disputatur à Thoma Erasto.*

FVR. Quæ superioribus annis de Lamijs seu Strigibus inter nos disceptata fuerant, ea sic putabam argumentis firmata, vt contradictioni locus relictus non esset. Scio enim te de rebus tantis non festinanter pronunciare, sed re tota diligenter versata & excussa demùm sententiam dicere. Secùs rem habere nũc me ipsa res docet. Etenim cùm heri fortè fortuna in Bibliopolio librum de Lamijs conspexissem, eoque empto heluonis instar auidisimè deuorauissem, argumenta tua in eo non sine admiratione confutata animaduerti. Mox igitur ad te accurri, vt certiorem huius te rei primus facerem. ER. At ego iam non vidi solùm, verùm etiam accuratè perlegi & examinaui. Meministi, puto, autorem libri, hoc ipsum, quod nunc fecisse eum vides, statim post editam

tam nostram disputationem, nobis indicauisse: nosque vicissim rogasse, vt, si meliora, & certiora nostris haberet, liberè bona pace nostra, publicæ vtilitatis veritatisq; causa proferret. FVR. In memoriam simul reuocasti etiam literas, quas ad virum pietate & doctrina ornatissimum scriptas legi: in quibus scribit tantum abesse, vt in summo librorum suorum capite abs se tu dissentias, vt ferè nemo adhuc sententiam suam solidius & doctius & præmuniuisse & confirmauisse videatur. Dum enim Striges illas puniendas concludas pagin. 214. versu vigesimo tertio, quæ scientes volentesque (nullo delirio, insania, aut læsæ phantasiæ morbo correptæ, nec à Dæmonibus obsessæ.) Deum eiusque cultum abnegent, ac diabolo sese dedant, secum te sentire: qui tales Magorum nomine tùm in præfat. tùm libr. secundo, capit. secundo, comprehenderit. Putaui, cùm hæc legerem nullam porrò quæstionem forel, an Striges iustè interfici possent? sed hoc solùm quæsitum iri, an Striges nostræ sub Magis contineantur? & an cum dæmone deserto Deo fœdus contrahant? ER. Rectè iudicas. Nō enim aliud nunc agit vir ille doctissimus, & laudatissimus, quàm vt in imagine fieri duntaxat omnia ostendat.

FVR. Equidem multa adfert, quæ & verisimilia sunt, & magnum in probando pondus habere videntur, argumenta tua propositum non satis demonstrauisse. ER. Quid verò ais? An vel vnicum ex nostris argumentis infirmatum aut confutatum putas? Falleris, si quid horum opinaris, toto cœlo. Si relegere nostra & conferre cum illis libet, verum me dicere affirmabis sine omni hæsitatione. Quin imò narrabat nuper nobis amicus, studiosos quosdam Iuris contulisse, atque idem iudicauisse. Minus multò dubitabunt Theologi. Nam sanctis scripturis, non Iureconsult. placitis, quæ nunquã didicimus, rem confecimus: nec alijs argumẽtis impugnare quisquam nostra debet. FVR. Hoc autor strenuè facit, dum argumenta tua imbellia & mutila esse probat, teq; Dei mentem non rectè intelligere ostendit. ER. Conatus est facere: q̃d perfecerit, tùm intelliges, cùm inter se amborum rationes contuleris. FVR. Si molestum non est, pleniùs mihi, quæso te, concertationem hanc explica. ER. Non est necesse. Dicta namq; sunt vel omnia, vel satis multa, vt nihil desideraturus sis: si modò attẽtè relegere velis. FVR. Cupio tamen quædam apertiùs exponi, quæ vel non attigisti, vel cõcisè nimis pro-

posuisti.

posuisti. ER. Quando ita vis, age interroga. FVR. Primùm velim te sagas vel definitione vel descriptione breui comprehendere. Deindè quomodo & quibus rebus à sceleratis Magis distinguãtur, docere. Post hæc cur mortis supplicio affici rectè possint, audire iterum aueo. Deniq; argumenta, quæ tibi obiecturus sum, dissolui mihi opto. Et ne qua in parte me ipsum fallam, ante omnia nomina, quibus vsuri sumus, distingui cupio. Etenim sagæ, de quib. agimus apud Græcos & Latinos variè nominari videntur. Quippè φαρμακίδες & φαρμακεύτριαι à nomine φαρμακείας (quo nomine ars earum exprimitur) Græcis: Magæ, Lamiæ, Sagæ, Striges, Veneficæ, Incãtatrices, Maleficę, Latinis ꝓmiscuè & cõfusè vocantur. Quàm porrò sit incertus horũ nominũ vsus apud autores, & q̃ sæpè confundantur, nimis scio. Nam & res diuersas eodem efferunt, & easdem pluribus aut omnibus eloquuntur, vt vix aliquando appareat, q̄d statuere oporteat. ER. Rectè mones. Vix n. res vlla vna tot & tàm discrepãtibus nominibus appellata est: cuius facti causam nobis patefaciet eorũ distinctio. Ergò scire oportet initio, μαγείαν, μαγγανείαν, γοητείαν, φαρμακείαν, apud Græcos sæpè certas significare vel artes, vel modos operãdi: sæpiùs

Capita præsentis disputationis.

Nomina sagarũ multa & varia sunt.

piùs inter ſe omnia ſic confundi, vt vnumquodque omnes ſignificet aut plures: ſæpiſsimè pro præſtigijs, impoſtura, dolo, fraude, calliditate, deceptione, omnia poni. Neque enim veteres (de doctis loquor) adeò rudes & vecordes fuerunt, vt non viderent, Magorum & ſimilium pollicitationes maxima ex parte falſas, & nil aliud eſſe, quàm fucos & præſtigia anileſque fabulas. Eadem propè eſt Latinorum conditio, ſiue à Græcis mutuati fuerint, ſiue ipſi inuenerint. Non enim eandem rem diſtinctè ſemper ſignificant, Magus, Vates, Incantator, Præſtigiator, Veneficus, Maleficus, ſed & frequenter vnum pro alio ponitur, & frequentiſsimè pro impoſtoribus omnia ſumuntur. FVR. Cur putas φαρμακεύτριας appellatas? ER. Nomen φάρμακον (vndè φαρμακεία, φαρμακεύτρια, φαρμακίς, deriuantur) in bonam & in malam partem à Græcis accipitur, quomodo etiam Latinis medicamenti & veneni nominibus vſi ſunt. Sed quia hîc de bonis & ſalutaribus pharmacis, quibus Medici inſtructi aduerſus morbos pugnant non diſputamus, hac nominatione relicta, de altera videndum erit. Reperimus igitur apud autores idoneos ſuprà dictorum nominum, quoties in malam partem ſumuntur, no-

Cur ſtriges vocatæ ſint pharmaceutriæ.

tur, notionem tripertitam esse. Etenim aliquando lethale venenum, non rarò philtrum, hoc est, amatorium medicamentum significant: quod duplex etiam est. Nam alia ex his intra corpus sumuntur, quæ ferè venena sunt, aut certè venenata & maligna: alia in verbis, characteribus, imaginibus, cæremonijs, actionibus, certarum rerum infossionibus, & similibus magis consistunt. Quæ tùm his, tùm illis, occupabantur, φαρμακεύτριαι & φαρμακίδες nominabantur: vt vel ex vno secundo Eidyllio Theocriti, quod φαρμακεύτρια inscribitur, & eiusdem scholijs ab vnoquouis intelligi potest. Tertia significatio τῆς φαρμακείας paulò generalior est, ac pro omni incantatione ponitur, quocunque ea modo, aut quibus instrumentis obeatur, cuiuscunque tandem finis gratia exerceatur: nisi fortè Necromantium, & alias Diuinationum species non comprehendat. Inter hanc & secundam significationem hæc propè sola est differentia, quod in amoris veneficio tantùm amoris conciliandi causa omnia fiant, siue carmine siue rebus alijs q̃buslibet peragatur. In tertia oĩa & eadem aliq̃n vsurpantur, sed fines sunt alij atque alij. Quanquam & amo-

Philtri duo sunt genera.

rum incantamenta (de illis loquor, quæ non bibuntur, & corporibus non admouentur) ob id aliquando adhiberentur, vt amasius, si redire nollet, necaretur. Quo fit, vt pertenuè sit inter vtrunque significatum discrimen: & quod de secundis dicitur, de tertijs etiam rectè dici possit. FVR. Testibúsne idoneis probare hæc potes? ER. Possum. Plato in libr. 11. de Legibus hæc habet: *Διτταὶ γὰρ δὴ φαρμακεῖαι κατὰ τὸ τῶν ἀνθρώπων οὖσαι γένος, ἐπισχοῦσι τὴν διάρρησιν. ἣν μὲν γὰρ τὰ νῦν διαρρήδην εἴπομεν, σώματι σώματα κακουργοῦσα ἐστι κατὰ φύσιν: ἄλλη μαγγανείαις τε τισὶ καὶ ἐπῳδαῖς καὶ καταδέσεσι λεγομέναις, πείθει. τοὺς μὲν τολμῶντας βλάπτειν αὐτοὺς ὡς δύνανται τὸ τοιοῦτον τοὺς δ' ὡς παντὸς μᾶλλον, ὑπὸ τούτων δυναμένων γοητεύειν, βλάπτονται.* Paulò pòst duplicem quoque legem ob id sanciendum monens, ait: *Διχλαβόντας δὲ διχῆ τὸν τῆς φαρμακείας περὶ νόμον, ὁποτέρως ἂν τὶς ἐπιχειρῇ φαρμάττειν.* Posteà lege posita de illis, qui pharmaco exhibito nocent, alteram ponit de incantationibus his verbis: *Ἐὰν δὲ καταδέσεσιν, ἢ ἐπαγωγαῖς, ἢ ἐπῳδαῖς, ἢ τῶν τοιούτων φαρμακειῶν, ὡντινωνοῦν δόξῃ ὅμοιος εἶναι βλάπτοντι, ἐὰν μὲν μάντις ὢν, ἢ τερατοσκόπος τεθνάτω: ἐὰν δ' ἄνευ μαντικῆς ὢν τῆς φαρμακείας ὄφλῃ, ταυτὸν καὶ τούτῳ γιγνέσθω.* Manifestissimè demonstrat hîc

Plato duo facit genera malorũ pharmacorum.

Plato,

Plato, veteres prisco illo seculo φαρμακείαν vocasse non tantùm veneficia, sed quamuis incantationis speciem, qua nocere aliquis homini, iumento, frugibus conaretur (vtrùm enim per eum modum noceri posset, ipse quoque Plato dubitauit.) Etenim ne de solis ligaturis, illicio, & carminibus (paulò antè etiam imaginum cerearum in triuio aut sub limine defossarum meminerat) loqui videretur, addit generalem istam clausulam, vel quocunq; alio incantamento. Alterum quoq; hoc obiter notandum hîc est, quòd verbis μαγεύω, γοητεύω, φαρμάττω, φαρμακεύω, pro eadem re significanda vtitur. Sic & φαρμακεία, μαγγανεία, μαγγάνευμα, ἐπαγωγὴ, καταδεσμὸς, ἐπῳδὴ, idem in hoc loco significant. FVR. Num & alios habes insuper testes? ER. Aristoteles quoque nomine φαρμακείας sic est vsus libro sexto de histor. animal. capit. decimo octauo, & libro nono, capit. decimo septimo. In priore de Hippomane loquens, ait: καὶ ζητοῦσι τοῦτο μάλιστα πάντων, οἱ περὶ τῆς φαρμακείας. Et expetunt hoc maximè omnium Magi vel Incantatores. In posteriore de aue loquens, scribit: καὶ λέγεται φαρμακεία εἶναι, διὰ τὸ πολυΐδρις εἶναι. Et fertur ei aui vis magica inesse. Hinc Sagæ apud Aristotelem libr. 6. de histor. animal. cap.

Aristot. nomine φαρμακείας vtitur pro incantamento.

cap. vigesimosecundo, φαρμακίδες vocantur, cùm sic scribit: Διὸ καὶ αἱ φαρμακίδες ζητοῦσι καὶ συλλέγουσιν. Apud Aristophanem multò Aristotele antiquiorem legimus, φαρμακίδες θετταλαί. Fuisse autem Thessalicas fœminas Incantatrices seu Magas certum est. Pindari quoque interpres scribit, mulieres, quas φαρμακίδας vocat, auem ἴυγγα rotæ alligare, & carmina quædam accinere, vt amasios reuocent absentes. Verbum porrò φαρμακεύειν frequentissimè ab autoribus poni pro incantare, præstigias & imposturas exercere, ne admonitione quidem eget. Illud duntaxat adijciam, cap. decimooctauo Apocalyps. φαρμακείαν poni pro superstitione vel impostura, cùm sic scribitur: ὅτι ἐν φαρμακείᾳ σου ἐπλανήθησαν πάντα τὰ ἔθνη. Quis verò nescit, Romanenses non veris venenis, sed superstitionibus & imposturis dementauisse gentes? Ab initio quoque monui, nomina omnia Græcorum, quibus species quaslibet Incantationis aut Magiæ exprimunt, crebrò ab autoribus pro præstigijs, idolis, imposturis, &c. poni: quòd inania, futilia, falsa, inepta, fallacia, iudicarent omnia ferè, quæ à talibus tentantur aut fiunt. FVR. Cur φαρμακίδες appellarint intelligo: nunc cur Magas vocarint, indicato. ER. Minimè

Aristophanes.

Pindari interpres.

φαρμακεύειν significat incantare.

Minimè obscura est huius nominationis causa. Nam ex iam dictis constat, adeò latè patere nomen hoc, vt etiam Diuinatores passim Magi vocentur. Vt summatim dicam, accipitur Magi nomen semper ferè pro homine infami & intestabili. Etenim de solis Magis, qui venerunt Christum adoratum, quid dicam non habeo, boni fuerint an mali. sunt enim qui illud affirment, ac sunt non pauci, qui detestabilem Magiam exercuisse, verùm in ea non perstitisse, asseuerent. Docui euidenter satis, vt arbitror, in Antiparacelsi. disputat. Magiam licitam nullam inueniri. Nam quæ θεουργία nominatur, & Angelos vel bonos vel malos etiam vtilitatis, non damni malíve causa, euocat, absque commercio Cacodæmonis non exercetur. Nec Persarum Magi, quos aliqui Philosophos aut sapientes appellant, non fuerunt Dæmonum cultores, & mirabilium, quæ naturæ vires excedũt, effectores. Qua enim re alia fuissent commendabiliores alijs, si non & plura alijs scire, & miracula edere posse visi fuissent? Sacerdotes habuerunt aliæ quoque gentes, qui si nihil ampliùs fuissent, in admirationem tantam nunquam venissent. Sacræ quoque literę satis docent, Aegyptiorum, Persarum, Medorum, Chaldæorum

Cur striges vocentur Magæ.

Magi Persarum fuerũt Dæmonum cultores.

dæorum Magos, non tantùm sacerdotes, verumetiam Diuinatores, & miraculorum ostentatores fuisse. Pro Magis ergò semper & vbique habiti sunt, qui vel scire vel facere posse visi sunt, quæ à naturalib. causis effici nequeunt: quia videlicet maiora & admirabiliora sunt, quàm vt modo naturali fieri queant. Atquę nec in notas, nec ad occultas naturæ vires referri possunt, à naturalibus causis effecta non sunt. Quare potentioris causæ beneficio perficiuntur. Cæterùm naturæ potestates superant solus Deus, angelique boni ac mali. Horum ergò virtuti iuncta talia sunt attribuenda.

Pro Magis qui habeãtur & habiti sint olim.

Quòd porrò Magi, neque Dei neque bonorum Angelorum auxilio nitãtur in suis actionibus, vel ex eo liqueat, quòd, quæ tentant, ordini à Deo præscripto prorsus repugnant. Requiritur igitur Cacodęmonum ministerio eos vti. Sed nec Dæmones cuiuis assistunt, sed illis seruiunt, quibus vi pactionis manifestæ aut occultæ se obligauerunt. Non enim quibusuis ea verba pronunciantibus, aut res easdem vsurpantibus æquè adsunt. Requiritur enim certus homo, locus, tempus, agendi modus, certi characteres, figuræ, &c. Ex quo perspicitur, nec actionum nec verborum hâc esse potestatem. Si .n. esset in ipsis verbis

Magi Dæmonis opera vtũtur.

verbis vel actionibus insita, quisquis ea, & quocunque modo, loco & tempore pronunciaret, voti compos fieret. Et quid hîc est opus verbis, cùm constet Dæmones solis illis adesse, qui ipsis quouis modo sunt per pactum obstricti? Sequitur hinc vlterius, præstigias & figmenta ferè esse, quæ facere imperitis supra naturæ vires videntur. Etenim quæ naturæ facultates excedunt, nec autorem habent Deum, videntur solùm esse, verè autem non sunt, quod esse putantur. FVR. Nunquid igitur non verè spectra sunt, quæ ab istis aliquando euocantur? Mulier certè in Endor vmbram seu spectrum Samuelem mentiens Sauli in conspectum adduxit. Quod & si non fuit ipse Samuel, tamen non prorsus nihil fuit. Quomodo enim loqueretur, quod prorsus nihil est? ER. Non dico eos prorsus nihil facere, sed non esse, quæ videntur. Spectrum illud non erat omninò nihil, sed non erat Samuel: sed latebat sub ea vmbra Diabolus. Non inficias eo interim, Dæmonem aliquando veri aliquid ostendere, quoties vel ex iussu Dei, vel per naturales causas operatur.

Virùm Seri aliquid faciant Magi.

Satis est in p̃sentia ostendisse, Magũ vocari, quisquis auxilio Dæmonum apertè aut occultè

occultè ſcire, aut facere ſe poſſe profitetur, quæ naturalibus viribus perfici non poſſunt. Quòd porrò Sagæ exiſtiment ſe beneficio Diaboli admirabilia agere, & ex pactione talia ab ipſo poſtulent, certiſsimum eſt. Quare certum illud etiam eſt, Magas eas rectè nominari. FVR. Pluresne ponis ſceleſtæ Magiæ ſpecies? ER. Huius diſquiſitio huc non pertinet. Quare duobus verbis hinc me expediam. Partiuntur alij in plures, alij in pauciores partes. Nos alibi, vt ſcis, in Diuinatricem & Operatricem diſcreuimus. Etſi enim plerique omnes Magi, vtriuſque partis notitiam ſibi arrogent, vacant tamen alij huic magis, alij parti alteri. Et cùm Sagæ non admodum in diuinando, ſed in agendo magis occupentur, inter operatores Magos potiùs collocamus: nec tamen ex alterorum conſortio prorſus excludimus. Operatricis porrò Magiæ differentiæ ſeu ſpecies ferè petuntur ab inſtrumentis, ac modis agendi. Sed hîc etiam confuſio tanta eſt, vt certi & perpetui nihil ſtatui poſsit. Nec aliqua nos cogit neceſsitas hoc tempore in hanc rem ſuperſtitiosè inquirere. FVR. Nihil requiro hîc amplius: ſed illud potiùs audire cupio, quam ob cauſam Lamias voces? ER. Lamiæ vocantur propter ſimilitu-

Sagæ inter Magos cõputari debent.

Magiæ inteſtabilis ſpecies.

militudinem aliquam, quæ ipsis est cum Lamijs antiquoruш. Horum enim Lamiæ spectra & phantasmata erant, in formosarum mulierum specie cum insigni splendore apparentia, quę sese amore iuuenum captas mentiebantur, & cum ipsis conuersabantur, dum eos perderent atque deuorarent. Empusas & Marmolycias à veteribus nũcupatas scribit vnà cum Philostrato Cælius Rhodigninus. Tale spectrũ sub Maximil. 1. Imp. propè Augustam circa annum Domini 1503. apparuit in forma Margarethæ à Roth, Abbatissæ Etesstettensis, quod non tantùm videri & palpari, verùm etiam loqui significãtissimè potuit. Quoniam ergò Sagæ nostræ non quidem spectra sunt, sed cũ spectris conuiuantur, colludunt, negociantur, libidinem exercent, ac infantum nonnunquam succos expetunt, Lamiæ sunt vocatæ. F V R. Vndè strigum appellatio? ER. Striges nominantur simili de causa, ab aue huius nominis: quæ veteribus credita fuit noctu infantium labris vbera immulgere. Ouid. infantes absque custodia relictos solos à strigibus è cunis rapi, sanguinemque eorum exsorbere putat. Quia igitur & Sagæ creduntur infantum sanguinem, pinguedinem, & saniem appetere, vt eis ad res suas peragendas

Cur Sagæ vocentur Lamiæ.

Spectrum Augustanum.

Cur striges vocentur.

Cur Veneficæ.

vtantur, ſtriges ſunt vocitatæ. FVR. Cur Veneficę dicuntur, cùm venenis aut venenatis rebus raró (ne nunquam dicam) noceant? ER. Eodem modo Venefica Latinis, quomodo Græcis φαρμακεύτριαι seu φαρμακίδες ſunt nuncupatæ. Sicut enim pharmacum ita etiam venenum bonum pariter & malum eſſe poteſt. Accedit, quòd quæ exhibent, tametſi per ſe venena mala non ſint, venena tamen eſſe putant, & tanquam venena eſſent, propinant. Maleficæ ob id meritò cenſentur & nominantur, quia raro aliquid iuuandi & commodandi gratia faciunt. Quippè omnia earum ſtudia, conatus, cogitationes, huc ferè diriguntur, vt noceant, non vt proſint, Cuius enim impulſu faciunt omnia, mendax & homicida ab initio fuit. Quocirca mirum non eſt, ſi pro ingenio ſuo diſcipulos ſuos inſtituat. F V R. Reſtat,

Cur Incantatrices.

vt, cur Incantatrices ab omnibus penè vocentur, dicas. E R. Incantare Latinis idem notat, quod Græcis ἐπᾴδειν, nempè accinere, ſeu admurmurare. Solent enim qui hoc maleficij genere vtuntur, verba quædam concepta, quæ carmina vocant ſcriptores, muſsitare: quorum viribus magna & admirabilia ſe efficere poſſe putant

& di-

& dicunt. Hic modus Veneficij ἐπῳδὴ Græcis, Incantatio Latinis vocatus, prorsus est vetustissimus: cùm antiquissimi Græcorum eius meminerint. Autor libro de Morbo sacro, qui sub Hippocratis nomine legitur, sua ætate extitisse palàm ostendit, & vocantur ab eo *μάγοι, ἀγύρται, ἀλαζόνες*. Eisdem honoribus eos dignatur Plato, qui secundo libro de Republica similiter nominat *ἀγύρτας καὶ μάντεις*. Perpauci verò sic desipuisse videntur, vt virtute in nominibus aut carminibus insita putarent effici, quæ se posse facere gloriabantur, sed à Dijs sibi facultatem concessam affirmabant: quod verba Platonis clarè probant: *πείθουσιν ὡς ἔστι παρὰ σφίσι δύναμις ἐκ θεῶν ποριζομένη, θυσίαισι καὶ ἐπῳδαῖς εἴτε τι ἀδίκημά του γέγονεν αὐτοῦ ἢ προγόνων, ἀκεῖσθαι μεθ' ἡδονῶν τε καὶ ἑορτῶν: καὶ ἐάν τι ἐχθρὸν πημῆναι ἐθέλῃ μετὰ σμικρῶν δαπανῶν, ὁμοίως δίκαιον ἀδίκῳ. βλάψει, ἐπαγωγαῖς τισὶ καὶ καταδέσμοις τοὺς θεοὺς, ὥς φασι, πείθοντες σφίσιν ὑπηρετεῖν.* Persuadent, inquit ciuitibus, penes se esse potestatem à Dijs profectam, qua sacrificijs & carminibus quibusdam iniustè ab ipsis aut maioribus eorum facta expiandi cum voluptate ac diebus festis: & inimico, siquidem vlcisci velint, iusto pariter & iniusto, minimo sumptu nocendi.

Quippè illecebris & ligaturis quibusdam Dijs se persuadere posse, vt eos habeant obsequentes. Consentanea his autor libri de morbo sacro scripsit. Xenophon quoq; libr. 2. de dict. & fact. Socratis, iam, qua ratione amici comparandi sint, disputat, sic ait: ἶναι μὲν τινὰς φασὶν ἐπῳδὰς, ἃς οἱ ἐπιστάμενοι ἐπᾴδοντες, οὓς ἂν βούλωνται φίλους ἑαυτοῖς ποιοῦνται.

Sirenum cantus.

Hic est ille Sirenum cantus, eodem teste, quo præternauigantes retinere & vincere fabulati sunt Poëtæ. Hinc ἐπῳδὸς vocatur mulier apud Suidam ἡ ἐπᾴδουσα τοῖς νοσοῦσι παισί: hoc est, quæ carmen pueris fascinatis aut incantatis accinendo medebatur. Huc pertinent omnes, qui verbis aut carminib. vel solis vel alijs rebus insuper adhibitis, sanguinem sistere, vulnera curare, morbos quoslibet pellere satagunt. Accensendi & illi, q in colligendis herbis, aut pparandis pharmacis verba admurmurant, vt salubriora efficiãt. sunt. n. ἐπῳδαὶ siue carmina duplicia, quarum alijs ad nocendũ, alijs ad iuuandũ vtebantur: cuius rei in Cod. quoque de Malefic. & Mathem. mentio habetur. Frequentior tamen fuit illa prior nocendi species. Circes, Medeæ, Thessalicarũ Veneficarum, Sirenum, aliarum taliũ nusquam non meminerunt Poëtæ. Cui non est Horat. Canidia nota? Ad eandem hanc clas-

Incantationes vsitatæ quæ sint.

classem ablegandi sunt Exorcistę, qui conceptis verbis seu adiurationibus, & characteribus opinantur se Diabolos in circum includere, in annulos, in res alias, qui denique se eos cogere talibus, & quò volunt euocare arbitrantur. Ex prædictis patet, duo esse Incantatorum seu Incantatricum, ἐπῳδῶν genera. Alij enim manifesta pactione cum dæmonibus inita, suas incantationes instituunt. Alij nescientes verba seu carmina illa ex pacto cum Diabolo facto valere, ea sic recitant, ac si in ipsis verbis aut characteribus vis illa tanta inesset. Qui, (etsi magna est inscitia & stoliditas) tamen excusabiles aliquo modo videri posśint, si malitia desit. Vtrique lædere student, magis tamen illis hoc est propositum qui fœdus & societatem apertè cum damnatis illis spiritibus cõtrahunt. Quòd si aliquando studeant prodesse, plerunque tamen vel hominibus, vel brutis, vel agris, &c. damnum inferre cupiunt. Alteri, licèt ipsi quoque sæpè malè facere tentent, sæpiùs tamen aut iuuare, aut voluptatem creare spectatoribus, aut ab eisdem magnifieri cupiunt. Quòd verò Sagæ rectè Incantatrices vocentur, manifestè patet ex dictis. Etenim cæremonijs, imprecationibus, rebus alijs (quas virtute à Dæmoni-

Incantatorũ genera.

bus imbui somniant) ad hoc vtuntur, vt tempestates cieant, amicos hostes reddãt, turpes amores cõcilient, maleficijs homines, bestias, segetes inficiant, morbos immittant, damnum omnibus, quos oderũt, afferant. Neque hoc solùm satagunt carmine & diris imprecationibus efficere, sed & apertè cum Dæmonibus paciscuntur, conuiuantur, & familiariùs, quàm conuenit, agunt. Quo fit, vt inter maleficos Incantatores iure optimo collocentur. FVR. Ne hîc quidem occurrit, quod amplius quæram. Quare dicito vndè Sagæ sint nuncupatæ? ER. Sagæ dicuntur non ob id solùm, quòd satis agant, & in officio suo pessimo diligentes nimis sint, vt Acron iudicauit, sed multò magis à sagiendo denominatæ videntur, sicut Ciceroni visum est: quia scilicet multa scire volunt. Etenim sibi persuaserũt, se & scire, & facere posse, quæ naturaliter scire aut facere nullus possit. FV. Apposita & valdè propria est hæc nuncupatio. Etenim plus sibi arrogant, quàm sciant ac didicerint, aut etiam efficere possint. ER. Nominibus expositis, facilior nobis reliquus labor futurus est: si præsertim cogitare velis, summam in dictionibus confusionem existere. In causa sunt cùm alia plura, tùm hoc maximè, quòd nulla

Vndè Sagæ dictæ.

ferè

ferè est Magiæ Operatricis species, quæ intra suos limites se contineat, & partem aliquã ab alijs non mutuetur. Nec aliter fieri põt, vbi res vera nulla subest, sed imaginaria, ficta, & ementita sunt vel omnia, vel certè pleraque tùm præcepta tùm opera. FVR. Dic igitur tandem, quid propriè Saga sit, & qua ab alijs impietatis magistris re differat. ER. Saga est mulier Maga, vel Incantatrix, vel Prestigiatrix, (vel quomodo appellare cuique libet) quæ, abiurato prius Deo & religione vera, Cacodæmoni manifesta se stipulatione mancipauit: vt (præter alias pollicitationes ac spes) ab eo doceatur carminibus, herbis, rebus alijs per se innoxijs Elementa turbare, tempestates ciere, hominibus, iumentis, agris, frugibus nocere: aliaque mirabilia, & Naturæ impossibilia facere. FVR. Nisi descriptionis tuæ partes singulas probes, non omnes tibi assentientur, scio. ER. Quòd Sagæ sint & Magæ, Incantatrices, & φαρμακεύτριαι, & φαρμακίδες, in superioribus manifestum fecimus. Magum enim vocari ostendimus, qui se scire & facere persuasus est, quæ naturalibus viribus effici non possunt. Quare necessarium est, vt virtute dæmonis illa peragat. Etenim ea plerũq; tentant oẽs Magi, quæ Deo vel indigna sunt,

Saga quid sit.

vel ei displicent, & cōtra præscriptum eius fiunt. Talia quisnam putet à Deo vel Angelis bonis proficisci? Taceo, quòd nō nesciunt potentia Diaboli se talia facere, quę ad id characteribus, circis, herbis, carminibus seu cōiurationibus, & pluribus alijs rebus aduocant: & quod falsò credunt, accedere talium virtute rerum cogunt. Ergò cùm Striges nostræ similia profiteantur, & prorsus putent res, quibus ad maleficia sua vtuntur, potestate illa à diabolo donatas esse, non possunt è Magorum societate vllo pacto excludi. Vt enim aliquando suspicētur, vires illas in ipsis rebus, quas adhibent, insitas, non à dæmone infusas nuper fuisse, hoc tamen omnes confitentur, se de earum vi à Diabolo edoctas esse. Incantationibus quoque eas vti, seu imprecationibus (ἐπῳδαῖς) quibus in amorem alios pelliceant, odium inter alios seminent, hominibus & brutis noxam inferāt, minimè vel obscurum est, vel dubium. FVR. At nullis videntur carminibus aut coniurationum formulis seu conceptis verbis vti. ER. Etsi putantur sola certarum rerum vsurpatione absque vlla verborum admurmuratione res suas agere, non faciunt tamen quicquam talium absque dira imprecatione, ac Diaboli inuocatione.

An carminibus vtantur Sagæ.

Carmen

Carmen porrò maleficum vocarunt veteres, & vocare nos quoque debemus, non tantùm longam cantationem, verùm etiam vno duobúsve solùm verbis contentam imprecationem. Sed & cereas imagines, characteres, & res simili curiositate confectas, carmina vocarunt: quòd plerunque aut verborum mussitatione, aut superstitiosa quapiam obseruatione, à qua vires nouas illas adipisci creduntur, apparari soleant. Equidem seculis omnibus φαρμακίδες pariter & ἐπῳδαὶ vocatæ sunt mulieres, quæ sine etiam carmine aliquid superstitiosè facerent, quo amasios reuocarent, aut similia deliramenta perficerent. Negari ergò nullo iure nullaque ratione potest, quin meritò tùm Magæ tùm Incantatrices, tùm φαρμακεύτριαι, seu φαρμακίδες (idem enim ambo hæc nomina significant) nominentur. Præstigiatrices quoque haud ineptè eas vocari, illud abundè probat, quod verè non faciunt quæ facere se putant. Sunt enim phantasmata & meræ præstigiæ Diaboli. Quòd cùm dicimus, non hoc volumus, eas semper omninò nihil facere: quippè aliquid sæpè faciunt: at non id faciunt, quod facere volebant. Qui pingit hominem, non facit prorsus nihil, (facit enim pictum hominem)

Carmen quid sit.

Præstigiatrices etiã dicuntur Sagæ.

ſed veri hominis nihil facit. FVR. Haud ſatis tibi cunctas, qui Sagas ſub diuerſis Magiæ, tùm nominibus, tùm ſpeciebus velis recenſeri. ER. Ad hoc reſpondi iam anteà, vanitatis huius ſpecies veris differentijs carere: cùm nihil ſunt aliud, quàm præſtigiæ & deluſiones: res veræ ac ſolidæ nullæ. Quicquid enim facere videntur, illa omnia Satan agit pacti vi, vt videri vult, adactus. Quare nullæ etiam poſſunt hîc differentiæ certæ aſsignari. Differunt aliquo modo, vt ſuprà monui, tùm inſtrumentis quibus vtuntur, tùm agendi modis. Non enim ſe intra ſuos limites, (ſic enim facta eſt humana curioſitas, poſtquam ſemel tranſgreſſa eſt præſcriptos fines) continét vlli: ſed de genere vno ad aliud temerè trāſiliunt. Vndè fit, dum ſinguli plura profitentur ac faciunt, vt certæ prçſcriptiones & termini poni non potuerint. Quocirca mirum non eſt eundem pluribus nominibus appellari, dum, quç plurium ſunt quaſi vernacula & propria, vnus facere conatur. Quòd ſi principia & ſubiecta differrét, minor futura eſſet confuſio. Hic vbi primus autor & effector vnus idemque eſt, facilis eſt ab vno tranſitus ad aliud. Qua ratione factum quoq; eſt, vt omnia Incantationũ nomina, Græca pariter & Latina,

non

non solùm confusa fuerint, sed etiam dolum, fraudem, imposturam, præstigias, vniuersa significēt: quasi in omnibus nihil veri insit. FVR. Satisfactū mihi est hac quidem in parte: quare ad alia progredi poteris. ER. Quòd præterea Sagæ seu Striges Deum, cultumq; diuinum omni cum pietate abiurent, ac mancipia diaboli se futuras stipulentur, probatione tàm non eget, quàm ego egere cuperem. Est enim, proh dolor, nimis, quàm oportet, manifestum & clarum. Qui negare auderet homo prudens, nullus mihi ante hac notus fuit. FV. Somnium est, atque in imagine sola hoc fit. Quare non debet hoc in descriptione poni. ER. Non ignoro aliquos hanc rem nunc ita eleuare, ac si somnium aliquod duntaxat esset, re vera non fieret. Ego contrà sentire ac loqui cogor. Etenim sciētes, prudētes, re priùs apud se deliberata, cum Cacodæmone, quem esse illum ipsum non ignorant, paciscuntur, si hęc vel illa facere, docere, dare, velit se aduersarias ac hostes Dei pietatisq; futuras, & ipsi porrò soli seruituras. Cæterùm vt esse magis noris, signum corporibus earum, post manuum stipulationem oscula & amplexus, imprimit, modò in vna, modò in alia parte, (in quod sine sensu earum vel integram acum

Sagæ abiurant Deū.

aut

aut ferrum aliud acutum abſcondere valeas) vt eo ipſo, ceu ſacramento ipſos ſibi deuinciat. Quanquam non nego vnã non eſſe notam pacti ſeu fœderis vbique & in omnibus. Libenter enim variat, vt faciliùs decipiat. Omnes nihilominus vno conſenſu, quocunq; loco & tempore interrogentur: hoc ipſum confitentur: tametſi capitale ſibi fore prouideant. FVR. At ſunt anus Melancholicæ ac deliræ: item per ſomnia & imaginationem talia vident, verè autem nihil agunt. ER. Non ſolæ anus aut imprudentes fœminæ his malis irretiuntur, ſed iuuenculæ quoq; & integra ętate plurimę, adeoq; viri hac peſte inficiuntur: quod negari à nullo poteſt. Et vt non nego inſipientes & fatuas eſſe, quæ ſe à dæmone mendaciorum patre dementari patiuntur, ita audacter affirmo, plerũq; callidiores (ſed petulantiores, libidine, ira, inuidia, odioq́ue tabeſcentes ac pietatem contẽnentes) ab ipſo tentari & expugnari. Melancholicas verò nõ eſſe eas, id demõſtrat, ꝙ in omnib. alijs ſapiunt, ꝙ peccare ſe ac malè agere ꝑclarè norũt (& ob id ſummo ſtudio nequitiam ſuam occultãt) ꝙ ſimilia oẽs ferè ſcelera patrant, ſimilibusq́ue modis & artibus in perficiendo vtuntur: quod denique alios eadem docent, ac varias artes ad perſuaden-

Non ſolæ fœminæ, nec ſolæ anus artem hanc exercent.

Non ſunt melancholicæ.

ſuadendum adhibent. Quid verò ſomnia obijciantur nobis? Quaſi verò aut ſemper dormiant, aut vigilantes nihil agant. FVR. An negabis eas per ſomnum plurima imaginari, quæ reuera non ſunt? ER. Minimè gentium. Sed de talibus non loquor. De illis nunc diſputamus, quæ & ſanæ & vigilantes faciunt. Qui fieri poſsit, vt tàm multis res eadem cum eiſdem circumſtantijs per ſomnum occurreret? Non eadem, ſed longè diuerſiſsima ſomniãtibus apparere ſolent. Conſtat autem multas non rarò, diuerſis etiam locis captas, in narrationibus ſuis de præſentia, numero, die, loco, hora, facto, pharmaco, itione, reditione, occurſu hominum in itinere, & alijs talibus, præcisè eadem & conſentientia retuliſſe. Equidem quos obuios ſibi factos dicunt, ij, ſi interrogentur, rem ita habere teſtificantur. An hos etiam per ſomnium obuios eas habuiſſe affirmabis? Profectò qui à ſomniantibus & delirantibus fieri poſſe talia opinatur, ſatis ſanus capite non eſt. An non de viribus ſuis, cæremonijs, feſtis, conſuetudinibus, initiationibus, eadem omnes in vno loco degentes recitant? Alijs locis alias habere eas conſuetudines ac ritus, nullus negat: nec noſtræ affirmationi contradicit. FVR. Si certum eſt à vigilantibus

Nō in ſomno ſua agunt Sia.

pacta

pacta fieri, nō repugno ampliùs. Scio aliàs multa eas somniare, quæ nunquam in re tamen fuerunt. ER. Certum est, vigilantes de principio fœdus contrahere, & in societatem recipi. FVR. Perge ergò. ER. Quæ in descriptione sequuntur, nulla vel probatione, vel declaratione indigent. Qui enim nescit & Sagas promissis Dæmonum circumuentas argentum, aurum, atque alia, quæ singulæ maximè concupiscunt, ab eodem sperare? Aequè notum est, omnes sibi arrogare notitiam & facultatem in amorem illiciendi quos velint, odia inter cōiuges serendi, tempestates excitandi, morbos infligendi, denique multa & mirabilia conficiendi. Nec alias proferunt desertionis suæ causas, quàm nunc commemoratas, aliasque his similes, quoties super ea re interrogantur. Nec est verisimile, omnes hucusque dissimulaturas fuisse, si quas alias ad causæ factique sui excusationem conducentes nouissent. Quare ne de hac quidem parte scrupulus vllus restat. Meritò igitur antedictam descriptionem pro vera tantisper retinebimus, dum vel falsa demonstretur, vel melior adferatur. FVR. Cur non breui aliqua definitione potiùs expressisti, q̃ longa illa descriptione? ER. Definitionem ideò nullam proponi-

Vigilantes ineunt fœdus cū diabol.

Causa desertionis Sagarum.

proponimus, quòd ea ſit verorũ, conſtantium, & immutabilium, quorum hîc nihil admodum reperias. Nam præter deſertionem Dei, cultusq́ue diuini, & transfugium in caſtra diaboli, omnia ferè ſunt vel ementita & ficta, vel certè incerta, inconſtantia, lubrica, mutabilia. Multa promittit ſpiritus nequam donare & docere, quę nunquã verè præſtat: & quod aliquando præſtare videtur, merum eſt præſtigium & phantaſma. FVR. Iã igitur quo diſcrimine ab alijs Magis operatoribus diſtinguãtur doceto. Quo enim à Magis diuinatoribus diſcrepent, aliàs audiui. FVR. Si ſolæ Sagæ à Deo deficerẽt ad diabolum, eſſet quod diceremus. At alij quoq; Magi idem faciunt. Nullus enim poteſt mirabilia Naturæ vires tranſcendentia, præſertim ſi mali finis, aut delectationis, aut oſtentationis gratia peragere conetur, abſque Dæmonum opera facere. Quod cùm pleriſque Magis perſpectum ſit, cogunt eos, vt impiè credant coniurationibus ſeu exorciſmis, alijsq́ue ritibus id efficere, quod effectum cupiunt. Non ſeruit autem facilè (& ne quidem poteſt ad eum modum ſeruire quibuslibet) deſertor ille ſpiritus alijs, quàm deſertoribus, aut fœdere ſocietatéve aliqua ſibi deuinctis. Pactum igitur vel aper-

Qua differant re Sagæ à Magis alijs.

apertum vel occultum interuenire oportet: licèt non ſemper æquè vel manifeſta vel obſcura ſit pactio, ſed gradus quidem vtrobique reperiantur. FVR. Aliquid habere Magos infames oportet, quod de Sagis affirmari nequit. Non enim tanta confidentia aliqui negarent, eas iniuſtè capitis
1. pœnam ſubire. ER. In hac primùm re aliquid eſt diuerſitatis, quod Striges aperta & manifeſta modis omnibus ſtipulatione ſocietatem paciſcuntur cum Satana, ſeque in eius tutelam & patrocinium totas tradunt, abiurato priùs DEO: Magi autem Chriſtianorum (Ethnici, qui DEVM nunquam nouerunt, ab eo defeciſſe non dicuntur) maxima ex parte vel obſcurè & neſcientes inuoluuntur eius ſocietati, vel non æquè apertè ſe ei totos dedunt. Dico maxima ex parte ſic fieri, quia extitiſſe nonnullos legimus, qui non dubitarint ita paciſci cum eo, vt, ſi imperata faceret ad tempus certum, eius in poteſtate ſe poſtmodum fore promitterēt. Sed vt hoc eſt in Magis alijs infrequens, ita in Sagis frequentiſsimum eſt, & propè perpetuum.
2. Diſtinguuntur deindè hoc ēt, quòd plerique Magi opinantur dæmones poteſtate certorū verborum, characterum, rituum, nominis Dei conceptis verbis & cæremonijs

remonijs comprehensa inuocatione, nolentes cogi ad ea facienda, quæ facere iubentur. Hi si instituerentur & docerentur qua fraude fingat se cogi, quantoque periculo suo talia conentur, in viam facilè redirent, cùm non æquè, vt illi, capti adhuc sint. Putāt hi tales se alijs præstare hoc ipso maximè, quòd artē adeò mirabilem adepti sint: nec pugnare cum pietate opinantur, cùm præsertim Salomonem aliosque pios homines talia à Deo doctos persuasum habeant. Sagæ autem sciunt cui fidem iurarint, cuique seruiant: nec diuina virtute, sed eius potentia, cuius ductum sequuntur, se omnia agere, quæ agunt, ingenuè & apertè oēs confitentur. In eo nonnunquam decipiuntur, quòd tantas vires in illis rebus, quas adhibent, occultatas, nō à Dæmone infusas, iudicant: hoc solùm Diabolo acceptum referentes, quòd ipso monente & docente talia cognouerint, & vti didicerint. His addi potest aliud, quòd 3.
Magi ex libris & Magistris, suas plerunque ineptias hauriunt, diligentique studio libros conquirunt, pręceptoresque conducunt, è quibus mysteria, quæ scire desiderant, discant. Striges contrà nullo vel libro vel præceptore vtuntur, sed ab ipsomet Diabolo breui tempore de omnibus, si nō

4. verè, falsò tamen, erudiuntur. In fine quoque nonnihil cernimus differentiæ: qui in Sagis plerũq; malus est, cùm à Magis sæpè nil aliud quæratur, quàm vt vel delectent, vel miraculorum effectores videantur: nocereque nulli, nisi per iocum, studeant. Ratio par est ferè instrumentorum, quibus tùm hæ tùm illi se suas res perficere posse cogitant. Vtrique tùm carminibus, characteribus, figuris, tùm rebus alijs prorsus varijs, & sæpè ridiculis, Dæmonis iussa exsequuntur. Neutri etiam certis terminis circumscripti manent, sed alteri in alterorum fines subindè transiliunt: quod omnibus ferè Magis operatoribus maximè commune simul & proprium existit. FVR. Quid hanc putas confusionem præcipuè parere? ER. In causa esse videtur, quòd Veterator ille spiritus videt se neglectum iri, si non putetur saltem promissa præstare. Quia ergò nouit, se, quod petitur, dare semper non posse, quod vno modo nõ potuit, alio compensare studet, atq; ad eum modum artium suarum, vt sic vocem, fines vel inuitus fœdè cõfundit. Quid enim faciat aliud, dum vera promittit, quæ præstare nequit? Hoc nimirum agit, quocunque modo potest, vt non omninò mendax & impotens suis discipulis videatur. FVR.

Cõfusionis artiũ Magicarum causa.

Quæ

Quæ igitur & qualia existimas Magos, aut per hos ipsos dęmones, efficere posse? Hoc si intellexero, illud etiam patebit, q̃d Striges posint, cuius item auxilio fretæ, talia sibi promittant. ER. Cùm ex superioribus satis patere putem, eas scire & confiteri quæcunque faciunt, ope & potestate diaboli, satis clarè exposuerit, qui, quid dæmones hac in parte valeant, ostẽderit. Equidẽ nihil magni & abstrusi se ex se ipsis nouisse, non inficiantur. Nec à dæmone institutas & edoctas se esse negant. Quare si maximè putant in rebus, quas vsurpare solét, vires inesse admirabiles, alijsq; cunctis incognitas, sibi tamen eas à Satana indicatas magno oẽs consensu contestantur. Quanq̃ experientia tot iam seculorum firmissimè & certissimè docuit, plurimas ex ipsis credidisse nouis easdẽ illas res facultatib. imbui, quoties eis vti in animum induxerint, & pro eo dono diabolo supplices factæ sint. Cuius rei admonere eas vel hoc potuit, quòd tales vires non exercuerũt quoties & quando voluerunt, sed quando eis vti à Dæmone iussæ sunt. Quas in seipsis & ex natura propria potestates obtinuerunt res quælibet, eas pro natura viribusque suis vbique & semper exercent, licèt idem effectus vel propter patientis inconuenien- *Insita rerũ vires semper insunt.*

uenientiam, vel impedimenta alia nō perpetuò consequatur. FVR. Cur non tādem quanta sit diaboli potestas, exponis? ER. In Antiparacelsicis, satis, vt ego quidem arbitror, hoc declaraui: quorum summam hoc loco sufficiet breuiter repetiuisse. Admirabilium rerum, quæ præter aut contra consuetum Naturæ cursum atq; ordinem factæ videntur, vel sunt verè, quod esse videntur, vel solummodò videntur aliquid esse, cùm tamen reipsa aliud sint, quàm esse putantur. In priore genere continentur miracula vera, artificialia, & naturalia quędam. Miraculorum effectorem solū Deum esse, per se patet. Pertinet enim ad creationem, imò quædam est in eis creatio. Quocirca nihil hîc tribui Dæmoni potest. Quæ purè sunt artificialia ad institutū nostrum non pertinent, cùm non dubitemus, quin talia Diaboli possint facere, aut facientes adiuuare. Iudicant Theologi, Dæmones, si non coerceantur à Deo, cuncta illa posse, quæ per localem motum confieri possunt. Quippè naturam suam non amisisse, cum gratia Dei creatoris exciderunt, contendunt. Quare potest cibos, potum, res aliàs tales breuissimo temporis spacio ex remotissimis locis adportare. In his, sicut in artificialibus, non mutatur essentia, nec

Quæ sit Dæm. potestas in efficientia miraculorum.

fit

fit noua aliqua ſubſtantia, quæ priùs non eſſet, ſed exiſtentium ante rerum fit alia compoſitio, dum aliter iunguntur res: & quantitas ſolùm, figura externa, ſitus, locus, &c. earum mutatur. Naturalium, quæ verè & ſimpliciter talia ſunt, autor eſt alius nullus, quàm Natura, quæ Dei eſt ordinaria poteſtas rebus in ipſa creatione indita. Hæc ſi Dæmones proprijs viribus producere poſſent ſine interuentu naturalium ſeminum, creatores cogeremur fateri. Fiunt tamen ex his quædam ſupra ordinariũ Naturæ morem, at non ſunt ſimpliciter naturalia, quæ ſic fiunt, ſed partim Naturę, partim artis opera exiſtunt. Quis neſcit fructus mirificè poſſe (iuxta ſapores, colores, figuras, quantitatem) inſitione & cultura, alijsq́; modis immutari? Certum eſt, poſſe adſtringentibus purgatoriam, inſalubribus ſalubrem, & contrà noxijs innoxiam qualitatem conciliari. Scimus etiam arte perfectum, vt qui propter aëris intemperiem naſci in certo loco non poſſent, nati ibidem fuerint. Deniq; manifeſtè viſum hoc quoq; eſt, vt aliqui multò temporius aut ſerius, quàm pro natura ſua & nati & ad iuſtam maturitatem perducti ſint. Talia ſi Dæmonem quoque facere, ac docere alios poſſe contendatur, non refragabor:

Dam. non poſſunt naturales res producere.

ſed nihilo hîc præſtantior bono & diligente agricola (vel alio artifice, ſi in alijs rebus ſimilia fiant) fuerit. Hoc igitur proprium eius eſt, præſtigias ſenſibus obijcere, fictis rebus illudere, & pro rebus figmenta & inania ſimulachra proponere. Si naturalibus humorum, ſpirituum, membrorum, motibus vtens, morbos infligit (quod tamen ſine peculiari Dei conceſsione facere non poteſt) & abſcedens mouereque ceſſans eoſdem ſanare videtur, nihil facit, quod non potuiſſet à Natura quoque effici. Conſtat ex dictis, Diabolos neque vera miracula edere, neque res naturales ſine cauſis naturalibus producere, ſed vmbras tantùm fingere, quę videantur quidem res eſſe, quarum ſimilitudinem ſenſibus obijciunt, ſed non ſint. Quocirca neceſſariò ſequitur, ne Sagas quidem aliquid ſupra naturæ vires agere. Quinimò tantò ſunt Satana hac in parte inferiores, quantò corporatæ res impeditiores ſunt incorporeis ſubſtantijs. Non igitur poſſunt inſinuare ſeſe corporibus noſtris, vt ibi humores ac ſpiritus turbent: quod Satanæ aliquando à Deo conceditur. Conſtat hoc etiam, nullas recipere vires maiores, quàm ex ſe habeant, res illas, quibus ſe mirabilia præſtare ſtolidè opinantur. Si quid aliquando eorum

Quomodo morbos inferat Dæmon.

Sagæ nihil ſupra naturã poſſunt.

eorum accidit, quæ Cacodæmonis impulſu facere optabant, non ab illis rebus, ſed ab ipſomet diabolo factum credendum eſt. Facilè perſuadet à ſe priùs dementatis, ab ipſis factum, cuius perficiendi poteſtatem ſibi à Deo conceſſam animaduertit. FVR. Intellexi quas nomines Sagas, & quantum tuo iudicio poſsint. De qua re cùm poſteà etiam dicendum ſit, nunc acquieſco: nunc iam an capitis ſupplicio affici rectè poſsint, audire deſidero. ER. Nō ignoro eſſe multos, qui idipſum conſtanter negent: & pro ſententiæ ſuæ confirmatione multa & ſolida, vt ipſi quidem cenſent, argumenta congerant. Et ſanè cùm ſit confeſſum, eas neminem lædere illis rebus, quibus plerunque vtuntur, nec illorum quicquam poſſe, quorum ſibi effectio nem inſcitè arrogant, iniquum videtur eas ad ſupplicium rapi. Auget iniquitatem, quòd nullæ aut perpaucæ repertæ ſunt, quæ lethalia & verè pernicioſa venena propinarint. FVR. Addam ego huic rationi tuæ alias. Primùm, nullas habent certas coniurationum formulas inſtar aliorum Incantatorum: ſed propter corruptam ab humoribus melancholicis, qui in ætate anili redundant, phantaſiam, ſomniant ſe lædere, quos ipſo facto nec læſerunt,

Sagæ iniuſtè videtur capitali pœna puniri.

1.

2.

3. nec lędere potuerunt. Eandem ob causam imaginantur, se artis maleficæ, nescio cuius, peritiam tenere, cùm nihil minus didicerint ac norint.
4. Propter apostasiam si putes puniendas, nullo id iure fieri contẽdam. Primùm quia imaginaria est illiusmodi desertio. Deindè nõ propter quamlibet defectionem irroganda est pœna capitis: nisi D. Petrum, aliosque plures, qui Christum negarunt, eidem pœnæ subijcere velis.
5. Videndum porrò etiam fuerit, vtrùm resipiscant, vel in errore obstinatè perseuerent. Si redeãt in viam, cur respuas tu corpus, cùm Deus animam recipit? Si pertinaces maneant, cauendum ne cum corpore animam quoque perdas. An sub
6. Mosaicum iugum reuocare nos studebis? nec in tempus gratiæ nos incidisse cogitabis? Apud Mosen falsus testis occiditur, Deut. 19. Spõsa corrupta lapidibus obruitur, Deut. 22. Fur diurnus interficitur, Exodi 22. Tempus nunc est gratiæ alicuius. Quare nec adulteram præcipit Christus necari, Iohã. 6. nec oculum pro oculo vult reddi, Luc. 6. Non tàm strictè nunc ista obseruantur, sed plurimùm mitigantur. ER.

Sagæ ex Dei volun tate occidi possunt.

Ego contrà sentio, eas legitimè & secundũ Dei voluntatem morte mulctari posse: qđ verioribus rationibus in Antiparacels. disputatio-

ſputationibus ꝓbauiſſe mihi videor. Hoc primùm conſtat apud omnes eos, qui ſacras literas vel primis labris deguſtarunt, Deum apertè mãdauiſſe, Magos extremo ſupplicio afficere: & proindè Sagas quoq; noſtras, quas ſub Magis comprehendi demõſtrauimus, eidem pœnæ obnoxias cenſeri debere. Si verò aliquis hîc ambigit, num rectè Sagas ponamus in cenſu Magorum, is, quæ ſuprà de hac re diximus, relegat, & quæ poſteà dicere nos oportebit attentè examinet. Non dubito, quin nobiſcum ſit conſenſurus. FVR. De hoc poſteà, cùm alias tuas rationes audiuero. ER. Ratio altera hæc eſt, quòd Deus per Moſen 22. Exod. manifeſtis & expreſsis verbis iuſſit maleficas ſeu Magas (è quarum ſocietate nunquam poterunt noſtræ Sagæ eximi) pœna capitali puniri. Etenim ſiue nomen Hebraicum, ſiue Græcum, ſiue Latinum ſpectemus, ſemper verum hoc manebit, Deum loco nuper citato præcepiſſe è medio tollere omnes illos, qui opera diaboli, hoc eſt, illicitis artibus & modis à Diabolo excogitatis benè maléve aliquid perficere cupiunt. At certum eſt, Sagas, quæcunque mirifica & inſolita vel agunt, vel agere ſe credunt, virtute Cacodæmonis agere. Quicquid horum ſe profitentur ſcire, à

Argumentum 1.

Strigesco-tinentur ſub Magis.

2. Deus præcepit Sagas interfici.

Mosis præceptum nõ agit de Veneficis propriè vocatis.

diabolo se accepisse, vniuersæ omnibus tẽporibus & locis fassæ sunt. Quòd verò Moses hîc non loquatur de Veneficis, quæ veneno malo propinato aliquos necant, ex eo primùm patet, quòd eodem hîc vtitur nomine, quo 7. Exod. vtitur, ad significandum Magos Pharaonis: qui non venenis, sed præstigijs cum Mose certabant. Inuenimus idem, (vel ab eo inflexa) alibi quoq; positum: sed nullo in loco venenum verum exhibentem, sed vel Incantatorem, vel impium Diuinatorem, hoc est, cum Diabolis commercium & societatem habentem vbique significat, nisi vnum illum locum 4. Reg. 9. cap. excipere libeat. Hic enim Iehu respondet Iehoram interroganti, an pacificè veniret, quæ pax? adhuc fornicationes Iezebel, matris tuæ, & veneficia eius plurima. Fœminam hanc dæmonum cultui deditissimam fuisse, verumque Dei cultum summo studio euertere & conculcare cupiuisse legimus: at scortatam & venenatis poculis homines interfecisse nõ legimus. Loquitur ergò Iehu de fornicatione & veneficio spirituali, siue de veneratione cultuque diabolorum. FVR. At Septuaginta interpretes aliter videntur verbum hoc intellexisse & conuertisse. ER. Si septuaginta interpretum conuersionem respicere

Septuaginta interpretũ cõuersio

cere placet, confirmabitur magis sentētia nostra. Etenim passim ferè verterunt nomen, quo vsus est Moses nominibus φαρμακῶ & ab eo deriuatis: quemadmodum Latini ferè maleficos & maleficia reddiderũt. Eodem nomine cùm vsus hîc & 7. Exod. fuisset Moses (nisi quòd hîc masculinum, 22. Exo. fœmininum genus posuit) eadem nihilominus dictione φαρμακῶ interpretati sunt: quia idem vtrobique significari à Mose iudicauerunt. Quanquam ca. 7. Exo. non tantùm φαρμακοὺς, verùm etiam ἐπαοιδοὺς vocent: sicut agendi rationes, quibus Aegyptij illi Magi vtebantur, & φαρμακείας & ἐπαοιδίας pariter nominant. Ex quo euidenter probatur, hos viros existimauisse, nomen Hebraicum, quod vtrobiq; interpretati sunt, idem hoc significare, quod Gręcis tùm φαρμακὸς, tùm ἐπαοιδὸς illo tempore significabant. Cæterùm valdè imperitus rerum penè omnium fuerit, qui putet nominibus φαρμακῶν & φαρμακείας eos voluisse propriè nominatos veneficos & venena significare.

Quis enim nescit Aegyptios Magos, non venenis aut venenatis poculis cum Mose pugnauisse, sed incantationibus & præstigijs eludere mandata eius voluisse? Magno verò consilio videntur viri summi Hebrai-

Hebraicam vocem nomine φαρμακῶν expreſsiſſe, ne quis aliter poſſet exponere ac intelligere, quàm ipſa vox Hebraica ſignificaret. Certum eſt, verbum ἐπᾴδειν Græcis nil aliud denotare, quàm præſtigias exercere aut incantare: cùm vox φαρμακεύειν in bonam & malam partem accipi poſsit. Et cùm malum ſignificat, vtrumq́ue hoc denotat, & venenis nocere, & præſtigias offundere. Quocirca ſapientiſsimè huic illud ſtatim initio ſuæ interpretationis iunxerunt, vt, quomodo deinceps φαρμακείαι voce vſuri eſſent, omnibus pateret. FVR. Vis alia quoque ad hanc rem adducere? ER. Qui pius eſt, & Deum ſic veracem credit, vt eum, quod ſemel tantùm dixit, non minùs ratum habere velit, quàm ſi decies aut vigeſies idē repetiuiſſet, plura non deſiderabit. Satis euidenter probatum eſt, Deū omnes occidi velle, qui vetitis & dæmoniacis artibus ſtudēt vel nocere vel iuuare, ſiue id reuera præſtent, ſiue ſe præſtare putent. In horum cenſu cùm ſtrigas numerari, nulli omninò negare poſsint, manifeſtè ſatis probatū eſt, quod probandum ſuſceperā. Addam nihilominus alias quoque rationes, vt rudioribus quoq; ſatisfaciam. Idololatram interfici iuxta Dei præceptum poſſe certum eſt, ex 17. capit. Deuter.

Deus, cum Diabolo cō mercium habentes per artes vetitas, interfici vult omnes.

Deuter. vbi sic scriptum est: Si quis inuentus fuerit apud vos, seu vir seu mulier, qui tantum scelus contra Deum susceperit, vt cõtra eius fœdus eò deuenit, vt Deos alienos coluerit atque adorarit, idq; vos post dilĩgẽtem inquisitionem verum esse compereritis, educitote ad portam virum illum aut mulierem, qui aut quæ flagitium illud fecerit, eumque lapidibus obrutum necatote. An verò quisquam homo tàm est impudens, vt neget Sagas esse Idololatras? Vter enim peccat grauiùs, aut magis est Idololatra, isné, qui Idolum adorat diaboli, eique seruit? an qui ipsimet diabolo fit supplex? Striges nõ adorant dæmonum imagines, sed ipsimet dæmonibus sese totas permittunt, in eorum clientelã se tradunt, mancipia se futuras promittunt, mandatisque eorum se parituras, data fide stipulãtur. An fuit vllis excogitata temporibus, aut excogitari porrò poterit magis nefaria & sacrilega Idololatria? Nõ puto. Cur ergò his potiùs, quàm alijs parcendum iudicant? FVR. Idololatras esse, si faciunt quæ tu eas facere asseris, nullus negare poterit. Sed nec Idololatras desertores capitaliter puniendos dubitamus. In hoc versatur disputatio, vtrùm verè, an in sola imagine hęc faciant? Sed pergito nũc; postea

3. *Striges sunt Idololatrarum omnium pessimæ.*

4. *Striges alios seducunt.*

posteà de hoc agemus fortasse. ER. Ad prædicta hoc accedit, quòd sæpenumerò alios quoque ad idem scelus perpetrandum, quibuscunque modis possunt ac norunt (paciscuntur ab initio se omnem hîc diligentiam adhibituras) inducere & cohortari solẽt. De his seductoribus sic loquitur Lex Dei capit. 13. Deuter. Si frater tuus eadem tecum matre natus, aut filius, aut filia, aut quæ in sinu tuo est vxor, aut amicus æquè tibi charus atq; anima tua, clàm cohortatus te fuerit ad cultum Deorum alienorum, ne ei obsequundato, ne auscultato, ne pareto, ne eius misereſcito: sed interficitote, lapidib. obruitote, q vos à Deo vestro abducere conatus fuerit. Quid, q mox domos, pecora, supellectilẽ, vnà cum totis oppidis, in quibus tales aliqui homines perditi reperti fuerint, qui ciues suos ad colendum Deos alios incitent, concremari præcipit? Vult igitur & mandat Deus seriò, vt non illi solùm, qui palàm & impunè desertionem & apostasiam consulunt, sed & qui clàm idem persuadere alicui conantur, morte multentur. Et si quod oppidum tales sceleratos non puniat, excindi totum imperat, instaurariq; imposterum vetat. Quid hîc excusabimus? Dæmonum cultores & Dei veri desertores esse nostras

Striges certum est. Quòd alios quoque in idem scelus pertrahere studeāt, æquè manifestum est. Quocirca propter nefariam desertionem capitaliter in eas est animaduertendum propter seductionem, si compertum sit, & non interficiantur, excidium alijs quoque impendet. FVR. Grauis hæc est oratio, & talis, quæ meritò contemni non posſit. Sed quid responderi posse putem, deinceps indicabo, tu ad vlteriora procedito. ER. Merentur alia etiam ratione supplicium, quòd nimirum homicidæ sunt: (vt quæ morbis absumere, tùm homines tùm bruta conentur) quòd detrimento quocunque afficere quos odere, studēt: quòd odia inter coniuges serere, atque ad impudicos amores tùm virgines, tùm maritatas nō impellere tantùm, verùm etiam cogere connituntur. Quæ, licèt per se singula sint capitalia, magis tamen talia sunt, quia ministerio & famulari opera dæmonum cōficiuntur. Nec excusabit eas, quòd res, quibus explere odia sua conantur, virtute tanta præditæ non sunt, qua efficere, quod optant, posſint. Certum est nihilominus, hos earum conatus effectum sæpè consequi: easq; vehemēter in sinu suo gaudere, quòd perpetrarint, nec aliter putare, quā à se peracta fuisse. Etenim pertinaciter credunt,

5. *Sagæ sunt homicidæ.*

credūt, herbas, imagines, characteres, verba, quibus ceu instrumentis agunt, potentia vel insita, vel à dæmone acquisita eiuscemodi efficere posse. Adde quod ipsum Cacodæmona precibus, & quibus modis possunt, subindè incitant, vt se iuuent talia perficere: quod capitale esse nullus inficiari bonus & intelligens audebit, puto. Etsi enim per se huc aduigilent improbi spiritus, vt noceant, & instar rugiētis leonis (vt Petrus ait) circumambulantes quærant quos deuorent, tamen probabile est, sæpè eos non fuisse cogitaturos, quæ instigatiā Sagis tentant, & Deo permittente perficiunt. Fiunt quidem maleficia latenter ab ipsismet Dæmonibus, at nihilominus rectè vocantur & sunt malefici, qui eos impulerunt. Magos famosos & Necromantes, qui certis solùm carminibus vmbras aut Dæmones exciunt, etiamsi nemini nocere decreuerint, capitaliter peccare nullus negat. Quo pacto igitur non grauiùs peccet, qui eosdem non carmine tacitam pactionem continente inuitat, sed per apertam societatem verbis supplicibus aduocat, & ad nocendum inflammat? Cur Moses putandus est de strigum pœna peculiarem legem tulisse, si pro homicidis habendæ sunt? Etenim 35. cap. Num. clarè ostendit, homici-

Cur lex peculiaris de Strigibus lata sit.

homicidam esse quisquis cū animi sui deliberatione sciens & volens aliquem peremit, siue gladio, ferro, securi, lapide, fuste, pugno, interfecerit, siue laqueo, puluino, panno, manibus aqua suffocauerit, siue ex alto præcipitauerit, siue fame aut veneno necauerit, siue manus sibimetipsi adferre coegerit, vel ratione alia quauis occiderit. Ergò si sic res habet, vt quisquis hominem è medio sustulerit, sciens ac prudens, quacunq; tandem ratione interitum ei procu rauerit, verè vocetur homicida, quid fuit opus de strigib. speciatim dicere? ER. Magna est causa cur lex specialis debuerit ferri de Maleficis & Incantatoribus. Etenim longissimè alia est ratio eorum, qui veneno certo, quod nimirum tale esse cognoue runt, hominem è medio tollunt, & aliorū, qui scilicet diris carminibus, Dæmonum inuocatione, exorcismis, imaginibus, & characteribus Diabolo sacris, rerum aliarum incantatarum, aut à Dęmonibus medicatarum exhibitione vel vsurpatione, seriò & ipso facto perniciē alijs machinantur. Si reuera semper efficerent, quod moliūtur, otiosa videri potuisset, fateor: Iam verò quia experientia docuit, eas sæpenumero rebus planè innoxijs, cuiq; nocendi nulla præditis, ad nocendū vti: & prætereà

cognitum eſt, non ſemper, imò nec frequenter, eas voti compotes fieri, non ſine cauſa veteres peculiarem de his legem tulerunt, qua homicidij reos eſſe tales artifices ſanxerunt. Etenim Plato li. 11. de Legibus, ſic cenſuit: *ὅσα τις ἄλλος ἄλλον πημαίνει φαρμακοῖς, τὰ μὲν θανάσιμα αὐτῶν διείρηται· τῶν δ' ἄλλων πέρι βλάψεων, εἴτε τις ἄρα πώμασιν, ἢ καὶ βρώμασιν, ἢ ἀλείμμασιν, ἑκὼν ἐκ προνοίας πημαίνει, τούτων οὐδέν πω διερρήθη. διτταὶ γὰρ δὴ φαρμακεῖαι κατὰ τὸ τῶν ἀνθρώπων οὖσαι γένος, ἐπίσχουσι τὴν διάρρησιν. ἣν μὲν γὰρ τανῦν διαρρήδην εἴπομεν, σώματι σώματα ἐστὶ κακουργοῦσα κατὰ φύσιν· ἄλλη ἡ μαγγανείαις καὶ ἐπῳδαῖς, καὶ καταδέσεσι*, &c. Palàm hic affirmat Plato, non eandem eſſe lethalium venenorum rationem & incantatorum pharmacorum: & proindè diſtinctas de ijs leges ferri debere, cùm nocendi modus non ſit idem. Prior enim naturalis eſt, alter ſupra naturæ modum aſcendiſſe veteribus etiam viſus eſt. FVR. Acquieſco rationi huic, cùm quid rectè opponam non habeam. Potes ergò ſi quid amplius habes attexere. ER. Quid quod exercitiũ huius artis ſeu vanitatis capitale eſt, etiamſi ſolius voluptatis aut ioci cauſa vel exerceatur vel expetatur? Quod dico, manifeſtè patet ex eo, quòd Deus ſeriò mãdat, vt qui Ariolum, Magum, vatem aliud conſulit ſolùm,

6. *Striges exercent artem capitalem.*

Vatem aut magũ con-

ſolùm, interficiatur. Quòd ſi vtentem con ſilio eius, qui vetitam exercet artem, Deus capitaliter vult puniri, tametſi nil mali aut fecerit, aut facere cogitarit, qui, quæſo te, credi poterit, eum conſultori parcere voluiſſe? Par ratio eſt Magorũ, qui nil mali operãtur, ſed ludicra tantùm exercent, aut occulta quædam ſciſcitantur. Omnes.n. tales iubet Deus è medio tollere. Nec reddi cã poteſt alia, quàm quòd artes illicitas didicerunt. In cã eſt, quòd abſq; commercio Diaboli nec diſci nec exerceri poſſunt. Quiſquis.n. inſtrumenis naturalibus efficere tentat, q̃ Naturæ vires excedunt, nec ad eorum effectionẽ vtitur miniſterio Dei, vel bonorum Angelorũ, is neceſſariò Diaboli opera, intercedẽte pactione vel tacita vel manifeſta nititur. Quid.n. aliud excogitari aut fingi poſsit? Striges autem maiora tentare, quàm illarum rerum, quibus vtuntur, viribus effici poſsit, nemo negat. Eaſdẽ opinari res, quas adhibẽt, nouas ex blaſphema & inepta verborũ admurmuratiõe, dæmonũq; inuocatiõe, vires adipiſci nõ minùs certũ eſt. Pciſci ẽt cum diabolo, & lõgè quidẽ ſceleroſius alijs Incãtatorib. ipſa res docet: nec ipſæ diffitẽtur. Quocirca certius affirmari nihil poterit, q̃ nefarijs eas artib. & inſtrui & vti. Quis igitur occidẽ-

Conſulens capitaliter peccat.

das vel hoc nomine inficietur? FVR. Atqui artem nullam tenēt, nec eius diſcēdę cauſa domo profectę quoquam ſunt: libros nullos habent: ac pleræque ne quidem legere didicerunt. ER. Reſpondeo, Legē Dei non illos ſolos punire, qui artem longam multis præceptis & regulis conſtantem, multo labore & tempore quęſitam perdidicerūt, verùm etiam alios omnes, qui propter initam cum Cacodæmone ſocietatē aliquid ab eo hauſerunt. Artem hîc nominamus vnius etiam rei cognitionem, ſiue experimentum aliquod vnum vel plura, quæ vulgò dicuntur Receptæ & artes, vt cùm quis dicit, artem noui hoc vel illud faciendi: ein Kunſt. Quid enim? An qui vatem de ſucceſſu inſtituti alicuius negotij interrogat, artem aliquam longam didicit? At occidendus erat ſecundum Legem Dei qui hoc fecerat, propterea quòd Deus blaſphemas artes, quæ diabolum habēt autorem & inuentorem, nec diſcere aliquos, nec exercere, nec alios eiſdē vult vti, ſiue boni ſiue mali cauſa id faciat. Nullo etiam loco ſcriptū reperimus, ſolos conceptis verbis, aut longiore carmine vtentes puniri debere, ſed in genere maleficos necare lex mādat, ſiue multis ſiue paucis vtantur verbis. Eadem .n. lege comprehenduntur oēs malefici,

Rei vnius notitia vulgò vocatur Ars.

fici, qui quouis modo illicitas artes exercent, ētsi pro verbis substituāt vel cæremonias vel reculas alias per se innoxias: dummodò magistrum suum agnoscant diabolum. Capitales ergò voluit esse artes tales Deus, non quia lōgæ aut breues, difficiles aut faciles cognitu sint, sed quia sine capitali pacto non discūtur: hoc est, quia & discentes & exercentes, & fructum ex eis expectantes, societatē & fœdus cum diabolo vel apertè vel tacitè contrahunt. FVR. An aliquid insuper addere dictis placet? ER. Pro septima ratione hoc esto, ꝙ fœdam & execrabilem exercent cum Cacodæmone libidinem. Certè singulæ suos habēt amasios, ornatu, aspectu, nomine distinctos. Et statim à contracta societate aut pactione congredi solent: sicut vniuersę, vbicunque captæ fuerint, magno semper consensu asseuerarunt. FVR. Quî hoc dicis? cùm vera carne destituatur diabolus, & ob id Veneris cupidine hominum instar nulla teneatur? ER. Non obstat hoc sententiæ dictisq; nostris. Non. n. vt ex ea actione voluptatē percipiat, sed vt Sagis delectationem pariat, ipsis cōmiscetur. Nec dubiū est, quin humorum, spirituum, & seminis commotione titillationem efficere valeat non minùs, q̃ eorundem perturbatione morbis

Diabolicæ artes cur capitales.

7.

Sagæ miscēt corpus cum Diabolo.

Cur cum Strigibus coeat Diabol.

excarnificare poteſt. Tanto illud hoc eſt faciliùs, quòd illic appetitionem ac motionem naturalem Strigis habet famulantem, hîc autem repugnantem. Aſſumit autem varia corpora, vt aiunt, de quibus minimè opus eſt plura dicere, dum certũ eſt, eum corpus ſibi circundare, quod videri & palpari poſsit, etiamſi vera caro non ſit. Probant hoc Lamię, ſeu Empuſæ veterum. Probat ſpectrum Germanicum ſeu Auguſtanum, cuius ſuprà memini, probant alia infinita. Sæpè namque iter facientibus occurrit in veri hominis ſpecie, vnà ambulauit, collocutus eſt, & in reliquis ita ſe geſſit, vt verus homo creditus fuerit. Ex fide dignis audiui certis in locis eos equitum nobilium inſtar hoſpitium petiuiſſe, vnà accubuiſſe, ediſſe, paulò poſt è conſpectu diſparuiſſe. Dignas porrò eſſe tàm dirum, & nefarium ſcelus audẽtes, quæ crudeliſſima etiam pœna plectantur, apertiùs eſt, quàm vt probari debeat. Præcipit Deus vt cum bruto coeuntes concrementur ambo. An non grauiùs delinquit, qui ſpurciſſimos ſpiritus in amplexus admittit imò allicit, ac ſolicitat? Addo coronidis vice hoc poſtremũ argumẽtum, Certiſsimum eſt Blaſphemos capitalibus ſupplicijs adficiendos, iuxta Legem: Quicunque malè

dixerit

dixerit Deo suo, portabit iniquitatē suam. Et qui expresserit nomen Iehouę, moriendo morietur, lapidando lapidabunt eum vniuersus cœtus. Leuit. 24. Constat autem horribilibus conuicijs Lamias, ἐκ τῆς προαιρέσεως, vt Satanæ gratificent, Deū æternum proscindere, ac odium erga hūc testatum facere diris blasphemijs. Itaq; quibus pœnis sint afficiendæ non est obscurum. Etsi aūt ꝓpriè blasphemus est, qui in Deū conuicia iacit, animi sui scelerata libidine & proteruia ductus: video tamen apud Iudæos, & in nouo ēt Instrumento blasphemos vocari ēt eos, qui Deū abiurant, & pietatem cultumq; diuinum oēm maledictis proscindunt Act. 18. 6. Iac. 2. 7. 1. Petr. 4. 14. FVR. Friuola sunt hęc, vt posteà videbitur: tu nūc fabulam absoluito. ER. Friuola vocas, & rides: at falsa esse nullis argumentis ꝓbas. Ego verò his me rationib. euidenter demōstrauisse scio, Sagas iuxta p̄scriptum Dei capitali supplicio obnoxias esse: nec peccare magistratū, quicunq; tales morte multat: sed voluntatē diuinā exsequi, rēq; Deo gratā facere: si modò nocētes puniat. Cæterùm nō infligitur pœna vel his vel alijs ꝓpter finem alium, q̄ vt cęteri absterreantur, nihilq; tale audeant. Iccircò tā crebrò repetitū apud Mosen legimus, quoties

Conclusio.

Cur pœna scelerosis infligātur.

m 4 occidere

occidere aliquot ob perpetrata flagitia iubet, ideò fieri, vt alij videāt, ac timeant eadē cōmittere. Quam causam Plato etiam retulit, loco nuper citato sic scribens: οὐχ ἕνεκα τοῦ κακουργῆσαι διδοὺς τὴν δίκην (οὐ γὰρ τὸ γεγονὸς ἀγέννητον ἔσται ποτέ) τοῦ δ' εἰς αὖθις ἕνεκα χρόνου ἢ τὸ παράπαν μισῆσαι τὴν ἀδικίαν. αὐτόν τε καὶ τοὺς ἰδόντας αὐτὸν δικαιούμενον, ἢ λωφῆσαι μέρη πολλὰ τῆς τοιαύτης ξυμφορᾶς. Non infligendas ait pœnas propter maleficium, cùm quod factū est, infectum fieri nequeat, sed vt deinceps scelera vitentur & à patratoribus & à spectatoribus, aut saltem minùs frequenter committantur. Iam ad argumenta, quæ suprà nobis occinebas, respondebo: nisi aliter tibi videatur. FVR. Audiam. & posteà grauioribus tua confutare conabor. ER. Iterum dico, non ideò puniendas esse Striges, quia aliquid mirabilium illorum fecerint, quæ se fecisse putarint, sed quia opera diaboli talia facere tentarunt. Iam monui, Deum morte punire vates & Magos, qui nemini detrimentum adferre vel in animum suum induxerunt, sed vel futura solùm præuidere student, vel suis pręstigijs delectationem alijs pariunt. Quid? an non occidere iubet, qui Diuinatoré consulit, etsi nihil mali aliud cogitet? Cur verò tanta in hos seueritate animaduertere

Sagæ non quia perfecerint mirabilia occiduntur, sed &c.

præcipit?

præcipit? Causa reddi alia nulla potest, quàm quòd vel apertè vel tacitè societatem cum Diabolo paciscũtur, qui talia audent. Frustrà igitur obijcitur eas nihil damni dedisse, quando nõ propter damnum datum, sed fœdus cum diabolo percussum interfici eas vult Deus. Nec excusat eas, quòd nulla certa formula vtuntur instar aliorum Incãtatorum. Potest enim pactio hæc varijs modis contrahi. Satis est, quòd diaboli auxilio agunt, quæ agunt. Nego insuper pactionem hanc imaginariam esse, cùm à vigilantibus petatur & præstetur, non sine præeunte deliberatione.

Non vna est ratio paciscendi cũ diabolis.

FVR. Non quælibet desertio est capitalis. ER. Fateor. at talem, qualis est Sagarũ, extremo supplicio comprimi & coerceri nõ debere pernego. Alia fuit Petri abnegatio, vt suo mox loco audiemus. At si resipit, miseranda: si non resipit, non occidenda cum corpore anima. Ad vtrumque vna facit responsio: Deum non velle, vt patratores scelerum capitalium ob id non trucidentur, quia vel pœnitere flagitij cœpit, vel nullo pacto pœnitet. At enim latronem pœnitẽtem dimittet Magistratus? aut pœnitere nescientem non interficiet? Pœnæ, vt antè dixi, non infliguntur, quia vel resipiscat, vel non resipiscat scelerosus, sed vt

Quæ desertio capitalis sit.

Scelerosi non subterfugiũt pœnã, quoties facti res pœnitet.

exemplo ſupplicij cæteri abſterreantur. Non eſt neceſſe, vt anima quoque occidatur, cùm corpus occiditur. An enim nulli ex illis, qui vel iuſtè vel iniuſtè interficiuntur, ſeruantur? Abſit. Equidem ex vtriuſque multi & ſaluantur & damnantur. Hæc enim mors temporalis, neque ſaluat, neque damnat. Inſtituendæ ergò priùs ſunt, quàm occidantur. Nec ob id etiam reducere te ſub iugum Moſis volo (quanquam non video, vbi Lex Dei moralis ſublata ſit. Certè Chriſtus Matt. 15. ſtabilire eam potiùs videtur, quàm tollere.) Sed hoc ſolùm affirmo, quæcunque ſcelera Deus capitalia fecit, ea nunc etiam pœna capitis à magiſtratu abſque offenſa Dei coerceri poſſe. Non vrgeo, vt omninò fiat, ſed facientem nō peccare aſſeuero. Si poſſint aliqua mitiore pœna æquè feliciter reprimi, duriorem non flagito: cùm ob hanc finē pœnas inſtitutas docuerim, vt à ſceleribus homines earum metu auocentur. Nec rectè ſentit, qui gratiæ tempus in quo nos viuimus, huc vſq; iudicat extendi, vt maiorem ſceleribus libertatem putet cōceſſam. Viuimus ſub libertate Euangelij: ſed hæc libertas non iubet Magiſtratum ſcelera negligere, nec aliàs poteſtatem facit liberius peccandi. Non enim minùs nunc, quàm

Quæ Deus ſcelera capitalia fecit, nunc ēt pro talibus habenda.

Libertas Euangelij non iubet parcere ſceleroſis.

ſub

ſub Moſe, puniri cupit Deus ſceleroſos, propter ante dictam cauſam: quòd nuper citatus Matthæi locus clariſsimè demonſtrat. Libertas Euangelij ad conſcientiam pertinet, non dat impunitatem ſcelerum: ac liberat nos à iugo cæremoniarum, non tollit moralem legem, eiuſq; pœnas. Quocirca non poſſet reprehendi Magiſtratus, ſi falſum teſtem, ſponſam corruptam, furemque diurnum, eo modo nunc plecteret, quo Deus plecti per Moſen iuſsit. Nec impedit, quod de adultera dicebas. Non enim prohibuit, quin ſecundum legem puniretur: ſed quia tentandi cauſa adduxerant, eos arguit. Taceo, quòd non venerat Chriſtus, vt iudicum ſubſellia occuparet. Quòd 6. capit. Luc. negat oculum pro oculo pendendum, non ad Magiſtratum politicumque ordinem pertinet, ſed ad priuatos. Vult enim docere, quanta eſſe debeat Chriſtianorum perfectio, & patientia erga proximum. FVR. Satis diu te audiui, tempus poſtulat, vt me viciſsim rationes tuas oppugnātem, & quæ breuiùs ſuprà dixi, verboſiùs explicantem & confirmantem audias. ER. Opponito quicqd excogitare, aut ex alijs diſcere potuiſti: libenti animo te feram. Equidem ſummum conatū tuum in reprehendendis noſtris & munien-

muniendis tuis summi beneficij loco sum habiturus. FVR. Nego tibi primum audacter, Sagas comprehendi sub Magis. Magno .n. interuallo à nefarijs Magis distant. Magi vltrò insana quædam animi elatione impulsi, aut illicita curiositate moti, applicant animum ad has artes: Sagæ autem à diabolo persuasæ faciunt, quæcunque hîc faciunt. Est autem longè grauiùs ex propria voluntate & deliberatione scelus committere, quàm illecebris quibusdam ad hoc induci: nec eandem vtrique pœnam luere debent. Exemplo sint duo homicidæ, quorum alter re apud se disputata malè faciēdi libidine incitatus hominem occiderit, alter persuasionibus inductus idē patrauerit. Primùm capitis pœnam commeruisse certum est: alterum aut excusabilem, aut longè mitiore pœna mulctādum dicimus: propterea quòd illius factū causam habet internam, huius externam. Præterea non fuerunt nostri temporis striges cognitæ Mosi. Quare sub Magorum complexu non potuit eas comprehēdere. ER. Si soli illi Magi, nomine Magorum continentur, qui omnia similia habent, libenter dabo, Sagas inter Magos censeri nō posse. Iam enim demonstrauimus, multa eos dissimilia facere. Sed & scelere Sagas vincere pleros-

Aduersus 1. argumētum obiectio.

Magorum species seu modi plures.

plerosque alios Magos itidem docuimus. Verùm illo modo Magorum tantùm vna erit species. Nos autem ostendimus, Magiam esse Diuinatricem & Operatricem: & huius etiam siue species, siue modos, siue gradus, siue differentias, plures inueniri monuimus. Propter confusionem modi addiscendi & exercendi, propter instrumenta, quibus sæpè ijsdem plures vtũtur: propter finem etiam, qui vnus non est omnium, si de proximo loquamur, in veras species distrahi nõ possunt. Ex hoc tamen nunquam efficietur, non cõtineri omnes sub vnius veluti generis complexu. An enim homo non est animal, quia multa habet, quibus alia quædam animalia carent? Habent Striges quædam propria, si cum alijs quibusdam Magis comparentur, sed propter hanc disparitatem, non possunt ex Magorum genere eximi. Equidem communia sunt Magorum omnium, (de operatoribus ago) pactio cum diabolo vel aperta vel tacita, & mirabilium naturæque vires transcendentium effectio, idque opera & auxilio Dæmonum. In quo hæc insunt, is Magus est. At in Strigibus reperiuntur omnia. Nam & fœdus cum diabolo ineunt verè & apertè, & tentant facere, quæ naturaliter facere nulli homines possunt:

ſunt: & denique perficere talia ſtudent, nõ Dei auxilio & potẽtia, ſed Cacodęmonum opera. Cur ergò negas inter Magos numerari debere? FVR. Quia non eadẽ eſt vtrorumq́ue definitio aut deſcriptio. Etenim Magus eſt, qui vel ex libris, vel à Dæmone alióve Magiſtro quopiam edoctus eſt, carminibus, ritibus ſolennibus, characteribus, imaginibus, figuris, rebus alijs, dęmones in eum finem euocare, vt ad poſtulata vel voce, vel nota, vel quocunque alio modo reſpondeant, opúsve aliquod præter & ſupra naturæ ordinem perficiant. At Lamia eſt, quæ ob præſtigioſum cum Dæmone contractum fœdus vel ſpõte vel diaboli hortatu auxilióve detrimentum aliquod, vel carmine, vel re alia per ſe non malefica adferre alicui tentat. ER. Quod hîc eſt diſcrimen tantùm, quod nos prohibeat Striges inter Magos numerare? Vtrique fœdus pangunt cum diabolis, tametſi Magi occultiùs & obſcuriùs id faciant. Vtrique vtuntur carminibus, figuris, rebus à diabolo medicatis, vt putant, ad id perficiendum, quod optant. Ego profectò nihil inter eos video diſcriminis magni, quã quòd deteriores ſunt Magis noſtræ Sagæ. Illi fermè ad futurorum præuiſionem, aut delectationem, aut iocum ſiue ludum, aut oſtenta-

Quid Magus.

Quid Saga.

Sagæ vincunt improbitate Magos.

ostentationem agunt, quæcunque agunt: hæ ad perniciem & detrimenta aliorū sua omnia dirigunt. Illi putant se Dæmones cogere, & hac re alijs præstantiores esse, hæ tanquam patronum, tutorem, ac Deum suum agnoscentes, obedientiamque omnem promittentes ab eo postulant, quod perficere cupiunt. Illi ex libris doctrinam suam hauriūt, hæ ab ipsismet diabolis plerunque instituuntur. Illi pietatem expressè non abiurāt, hæ totas se ei stipulata manu dedunt. Hæc & similia non probant eas non esse sub Magis comprehensas, sed tales Magos non esse tantummodò probant, sic qui hominem non esse quadrupedem ostendit, is non probat sub animali nō contineri, sed tale animal non esse indicat. FV. Discrimen prorsus maximum in hoc est, quòd pactum Sagarum præstigiosum est totum, & inualidum. ER. Quî sic? An quia diabolus fœdifragus est, & per dolum ac mendacium agit? Quis vnquam dixit pactū ob id nō intercessisse inter fœderatos, quia pars altera seruare pactum nunquam cogitauit, sed simulatè egit, vt per fraudē alteram oppirmeret? Aliud est pacisci & aliud pactis stare. FVR. Sed diabolus simulat se hominem: atq; oculos & phantasiam miseris vetulis præstringit. ER. An Diabolus

Pactum Sagarum & Diaboli nō est præstigium.

Diabolus præſtigium eſt, ac imaginarium quiddam, res vera nulla? Non puto. Quid ergò? Corpus, ais, habet circum ſeſe præſtigioſum. At Sagæ hoc optimè norunt: & ſub hac vmbra Diabolum latere certiſsimè ſciunt. Deindè verum non eſt, corpus in quo ſe offert, corpus omninò nullum, ſeu imaginarium duntaxat eſſe. Nam ſi videri & palpari poteſt, verum vtique corpus eſt, non præſtigium. FVR. Non aduertis, quam tibi ſis cõtrarius? ſi te audiemus, ſimul ſunt præſtigiæ, & non ſunt. ER. Præ-

Quatenus corpus aſſumptũ ſit præſtigioſum.

ſtigioſum eſt, ſi humanum corpus eſſe putes, quod mentitur ſolùm. Præſtigioſum nõ eſt ſi pro tali corpore habeas, quale eſt, pro aëre ſcilicet condenſato. Sed fruſtrà hoc ago, dum mihi tumetipſe ſuppeditas arma, quibus vincam. Quippè faſſus mihi es loco alio, Dæmones apparere aliàs integris, ſolidis, & expreſsis mortuorum cadaueribus, aliàs nebuloſis & euanidis vmbris circumfuſis. Priore forma νεκρομάντεις, poſteriore σκιομάντεις decipit. Quare totũ non eſt præſtigioſum. Verùm eſto, detur hoc tibi, corpus illud nil niſi præſtigias eſ-

Paciſci poteſt homo cum ſpirituali ſubſtantia.

ſe: an ob id pactio vera eſſe non poteſt? Equidem & loquitur & agit multa abſque viſibilis & palpabilis corporis aſſumptione. Deindè non cum corpore illo, ſeu quatenus

tenus tūc corporeus videtur, cum eo contrahunt, ſed quatenus diabolus eſt, & inviſibilis & incorporeus ſpiritus. FVR. Atqui hoc non patitur naturarū diſparitas. ER. Nego tibi aliquod hîc eſſe impedimentum. An enim pactum inter Deum & Abrahamum, Moſen, & alios, irritū ob id fuit & præſtigioſum, quia cum eis locutus & pactus eſt, licèt non videretur? Prętereà ſi hęc naturarū diſsimilitudo non ſinit pactionem valere, ne Magi quidem alij pangere fœdus cum Diabolo poterunt: ſed erit hîc quoque imaginarium & falſum, quicquid tentatum fuerit. Striges certè nullæ ſic deſipiunt, vt corpora, in quibus eis apparēt, diaboli, verè humana corpora putent. Sciunt ab ipſis talia indui ad tempus, rurſusque deponi, cùm libet. Paciſcuntur nihilominus cum eo: quem diabolum eſſe clarè & certò cognoſcunt, quacunque ſpecie ſeu forma ſe oſtentet. Quid igitur comminiſci poterimus, aut quo argumento pactum nullum interuenire probabimus? Ego equidem nihil excogitari poſſe video. Etenim verum non eſt, dæmonem fœdus hoc ferire cum dormientibus, aut in ſolo ſpiritu oculorum & cerebri hæc fingere, nec extra eas tunc eſſe. Non enim omnia ad eum modum agit cum ſtrigibus, ſed

Diab. non paciſcitur cum dormientibus.

n verè

verè in mentita seu ficta forma comparet, veroq; cum ipsis loquitur extra ipsas exsistens. Et quòd hoc facere possit, ac sæpè fecerit, tùm innumeris alijs exemplis, tùm vel vnica Saulis historia 1. Sam. 28. cap. firmissimè demonstret. FVR. Pactum expressum intercedere nondum credere possum. ER. Age, detur hoc etiam tibi, expressum pactum non interuenire, an ob id ex Magorum numero excludentur? Nullo pacto. Equidem Magi plurimi non modò non contrahunt fœdus cum Diabolo apertum, verùm etiam putant se inuitam & repugnantem attrahere, & cogere: quos tamen propter occultum pactum pœna dignos cuncti iudicamus. Et cùm ad Sagas non vocatus subinde vltrò accedat, necessarium est, arctiorem inter Striges & Dæmonẽ, quàm inter eundem & Magos coniunctionẽ exsistere. Constat prætereà ex sacris literis, Deum velle Magos propter hanc qualemcunque cum Diabolis communitatem occidi, etiamsi Magia sua nulli nocuerint, aut nocere voluerint. (Probationem non expectabit qui meminit, Deum interfici velle de re dubia Magos duntaxat consulentes.) Quî ergò parci eum voluisse putabimus strigibus, quæ cum Dæmonibus longè familia-

miliariùs viuunt? Quocunque igitur nos vertamus, & quicquid tandem moliamur, ſemper hoc verum manebit, Striges inter Magos cenſeri, & pari cum ipſis ſupplicio ſceleratam eorum audaciam coherceri debere. FVR. Etſi nunc non occurrat, quid dicam, cogitabo tamen. ER. Quòd dicebas Magos ſponte, Sagas ſuaſore Diabolo talia meditari agere, non probat Magis eas non accenſeri. Nam & Magis multis autor eſt diabolus diſcendi Magicas vanitates: & Sagæ quoque nullo impulſore diabolo, tamen ei ſeſe tradunt. Sæpiſsimè filiæ à Matribus ſeducuntur, vt Magi impulſore alio quopiã & vanitati & impietati animum applicant. FVR. At Diabolus per alios inſtigat. ER. Si hoc excuſet, vix vllus ſceleroſus puniendus fuerit. Omnes enim à Diabolo vel apertè vel occultè incitantur: ſiue inſuſurret hoc ipſe, ſiue per alios ſuadeat. Aut ergò Magorum numero continentur Sagæ, aut Magi aliter deſcribendi ſunt: quod rectè nunquam fiet. Siue enim proprio conſilio Deum abiurent, & in tutelam Diaboli ſe dedant, ſiue ipſo conſultore permotæ id faciant, ſemper fœdere Diabolico tenebuntur. Quin conatus adſit vtriſq; mirabilia efficiendi, nullus, puto, dubitat. FVR. Vt ma-

Non propterea non ſunt Magæ, quia inſtigatore Diabolo peccãt

ximè concedam hoc, tamen grauiùs illi peccant, qui ex propria deliberatione id agunt, quàm quæ à dæmone illectæ sunt. ER. Ego verò hîc non disputo, illæné an hæ sceleroſiùs agāt, ſed vtroſque inter Magos collocari oportere aſſeuero: cùm idem flagitium ambo committant. Nec aduerſatur nobis exemplum duorum homicidarum abs te propoſitum: ſed maximè noſtra confirmat. Etenim qui ab alio perſuaſus hominem occidit, non minùs eſt homicida, quàm qui à nemine impulſus idē admiſit facinus. (Accipi debet, quòd dicimus, de eo, qui non eſt coactus, ſed perſuaſus tantùm: & cùm facere non poſſet, perſuaderi tamen ſibi, vt vellet, paſſus eſt.) Quòd ſi ergò vterque homicidij reus eſt, quomodo non merebuntur ambo homicidij pœnam? FVR. Quia vnius factum externum, alterius internum habet principium. ER. At nego tibi homicidij principium proximum ſeu cauſam propinquam non fuiſſe animi deliberationem internā. Aut enim, qui alio impulſore aliū vita priuat, inuitus & coactus facit, (de quo caſu hîc non agimus) aut volens. Quòd ſi volēs interimit aliū, quo pacto non habuit eiuſmodi homicidium cauſam internam? Deindè falſum eſt, homicidas non habere au-

Homicida pœna tenetur etiā is, qui aliquo ſuaſore hominem interficit.

torem

torem & instigatorẽ diabolum. Non enim illi tantùm diaboli suasu mala agunt, qui Sagarum instar cum eo colludunt, sic inquam, vt eum videãt, audiant, palpent, sed etiam alij, qui eius suggestione scelerate agunt. Summa est, nũquam probabis homicidij pœna non teneri, quisquis hominem occiderit (de priuatis loquor, non de Magistratibus) neque inuitè, neque alterius coactu. Quare nullum hîc habet locũ distinctio externæ & internæ causæ. FVR. Exemplo Adami & Euæ ostendi pôt, grauiùs delinquere, ac seueriùs puniendos esse, qui sponte sua malè agunt, quàm qui aliorum suasione moti peccant. ER. Nihil probat tuũ de parentib. primis ac serpente exemplum. Primùm enim ad institutum non pertinet. Non. n. quoduis scelus capitale, homicidium est. Nam adulterium est capitale, qđ ab homicidio lõgissimè aliud est. Deindè non cõmiserunt parentes illi nostri homicidiũ tale, de quali sermo nũc est. Dum proponere exẽplum debuisti de duobus homicidis, quorũ alter sponte sua, alter instinctu alterius hominem occidisset, patratoris & suasoris exẽpla proponis. Eua suasit Adamo, vt pomum vetitum ederet, quod hortatu serpentis ipsa prius degustarat, sed nõ ita suasit, vt ipsa non idem

Homicida omnis suasorẽ habet diabolum.

prius fecisset. Deindè ambo Adam scilicet atque Eua transgressores facti sunt Legis, aliorum cohortatione. Etenim Eua serpentem, Adamus tunc Euam habuit impulsorem. Nullus ergò hîc homicida, qui à nemine inuitatus hominem necauerit. Denique nihil probat exemplum. An enim Adam non est ea pœna affectus, quo posita erat comedentibus de fructu vetito? Puto nos omnes sentire, vtrùm impunè ei fuerit. Mortuus certè non minùs est, quàm Eua, tametsi alia quædam incommoda insuper passa hęc fuerit. Sed hîc non disputo ego, vtrùm Sagæ leuiùs an acerbiùs (est enim pœna capitis vna mitior & tolerabilior altera) reliquis Magis sint excarnificandæ, sed hoc tantùm assero, negari non posse, quin speciem Magiæ constituant, & ob eam causam Magorum pœnæ sint obnoxiæ. FVR. Clarè satis video exemplum minimè quadrare, minùs etiam probare. ER. Quòd Mosis ætate striges nostras non fuisse contendis, sententiam nostram non infirmat. Fieri certè potest, vt & Magi aliqui exorti post illud tempus fuerint, quales tunc non extiterint, non tamen ob id non sunt hi tales sub Magis comprehensi. Etenim Magum faciunt mirabilium effectiones Dæmonis virtute vel

Vtrùm Sagæ Mosis et Christi tēporibus fuerint.

auxilio,

auxilio, & vel aperta vel tacita cum eo pactio. Modi agendi, & instrumenta quibus agunt, itemq; fines, non efficiunt Magos, sed tales quosdam Magos. Scio ante Christum natum Magos nullos Christi & Iesu nominibus vsos ad eijciendos aut aliter cogendos dæmones, quales posteà enati sunt plurimi: sicut omnes norunt, & Luc. 19. Acto. testatur. An hos Magos fuisse aut Magica exercuisse negabis? Vix puto. Si Magi fuerunt ac sunt, à Mose condemnati etiam sunt, licèt ætate illa nondum existerent. Cur non idem igitur in Sagis locum habeat? Esto, non egerint tunc præcisè talia, qualia nunc agunt. (Christũ certè abiurare speciatim non potuerunt) An ob id, quæ nunc sunt, ad illas nihil attinent? Dæmon his artibus à se excogitatis addit, detrahit, mutat aliquid, prout conducere iudicat, sed rem ipsam interim non ex toto tollit. Iusit Moses non erigere statuas ad cultum prostantes, nec sciuit tunc fortè futurum, ꝙ Petro, Paulo, &c. posteri essent tales erecturi: nec tamen nõ prohibuit lege illa ẽt nostras? Deniq; certũ est, Deũ sic leges tulisse suas, vt nõ præsentibus solùm temporibus, verùm etiã futuris congruerent: vtq; non illa tantùm vitia, quæ in Dei populo vigebant, sed & aliarum gẽtium, & *Leges Dei præsentib. & futuris cõgruunt.*

ætatum ſcelera, quæ vel exiſterent alibi, vel naſcitura deindè eſſent, comprehenderẽt. Quare nihil efficis hac obiectione, ſi maximè nullas tunc extitiſſe tales probare poſſes. FVR. Probabile tñ eſt, nõdum fuiſſe tales anus. ER. Imò probabilius multò eſt, viguiſſe tunc etiã hanc peſtem, aut eius vel ſororem vel matrem. Etenim præſtigias iſtiuſmodi deſcribit Orpheus, qui annis plus minus 1270. ante Chriſtum floruit, illo ferè tempore, quo Abimelech Iſraëlitas iudicauit. Ariſtophanes Theſſalicarum φαρμακίδων meminit non ſemel tantùm, quibus omnes ſcriptores attribuerunt, quæ noſtræ Sagæ nunc ſibi arrogant. An non Troiani belli temporibus fuiſſe ſcribit Homerus Circen & Sirenes, quæ carminibus ſeu incantationibus demẽtarent ſtultos? An non carmine ſanguinem repreſſum fuiſſe Vlyſsi ab Autolyci filijs affirmat? Cœptum porrò eſt Troianũ bellum annis ferè 1200. ante Chriſti natiuitatem. Hippoc. in lib. de Morbo ſacro, Plato multis in locis, Ariſt. quoq; eadẽ ſcribunt, vt ex ſuprà dictis perſpicuũ eſt. Circa 300. annum vrbis Romæ, anno videlicet tertio, Olympiad. 81. ante Chriſtum ex virgine natum 452. profecti ſunt in Græciam Legati ad petendas ieges 12. Tabul. in quibus

Antiquiſsima eſt ars Sagarum.

hæc

hæc pestis apertè damnatur. Sed parum refert siue extitisse tēpore Mosis, siue posteà exortas putemus, dum rem ipsam prohibitam ostendimus. Sufficiat ostendisse aliquos paulò post Mosis gubernationem hanc Dæmonis artem exercuisse, cùm tu nullo prorsus argumento monstrare possis, nullas tunc extitisse. Cur ergò non videatur nostra sententia tuę opinioni anteponenda? FVR. Christus & Apostoli nullum talem curarunt. Quare verisimile est, nullos tunc ab eis fuisse læsos. ER. Sed nec Melancholicum, nec Maniacum, nec Phreniticum, nec Epilepticum (nisi τὺς σεληνιαζομένυς Mat. 4. putes Epilepticos fuisse) nec alios fatuos, aut deliros, nec Podagricum nec Colicum, speciatim & explicatè sanatum legimus. An propterea nulli tūc fuerunt morbi tales? Et fuisse tunc his morbis afflictos, & à Christo vel Apostolis sanitati restitutos credimus, dum omnis generis ægros sanauisse scribuntur: licèt nominatim expressi non sint. Adde quod non lædunt ipsæ, sed diabolus est læsionis autor, quādo eis obsequens, quod petunt, efficit. Quid igitur vetat, inter illos, qui à dęmonibus vexabātur, hos ēt sanatos fuisse? licèt additum non sit, qua occasione diabolus affligere cœperit. Semel dicam omnia:

An Christus Apostoli & Sagarum causa ægrotātem sanarint.

nihil omninò valent, quæcunque hîc obiecta nobis à te fuerunt. FVR. Ad alteram tuam rationem venio, quam apertè confutant: primùm Etymologia Hebraicæ dictionis, qua Exod. 22. cap. Moses vtitur. deindè Septuaginta interpretũ suffragium, & Rabinorum consensus. denique Iosephi explicatio. Omnibus his probatur, vocem illam significare, veneficam propriè dictã, quæ scilicet venenatis poculis, aut venenis veris quocunque modo oblatis interficit. ER. Ego contrà sentio, pro ea positum fœmina (sub quibus etiam viri comprehenduntur) quæ diaboli opera & arte conatur vel nocere vel benefacere, vel aliud aliquid agere: quod hoc modo probo. Vox hæc (& ab ea deriuatæ aliæ) nusquam in omnibus Testamenti veteris libris significat propriè dictum veneficium. (Repetita est Exodi 7. vers. 11. Item 4. Reg. 9. vers. 22. Item 2. Paral. 33. vers. 6. Item Esa. 47. vers. 9. & 12. Item Ierem. 27. vers. 8. Item Dan. 2. ver. 2. Itẽ Mich. 5. v. 12. Item Nah. 3. v. 4. Item Malach. 3. v. 5.) Ergò neque in 22. capit. Exodi in eo significato posita est. Quippè in locis alijs omnibus vel vaticinatorem, vel Incantatorem, vel quauis alia ratione dæmonis auxilio seu opera in rebus agendis vtentem significat. Et quod 7. cap. Exod. sic positum sit à

Contra argumẽtum secundum.

Nomen à Mose 22. Exod. positum, non significat venena exhibentem.

ſit à Moſe, fatentur omnes ab ipſa veritate coacti. FVR. Sed liberiore ſignificato vſurpata ibi fuit. ER. Quomodo verò liberius vſurpatam, & nō propriè potiùs acceptam dicis, qui aliter nullo in loco poſitam probare potes? Adfer locum, vbi citra controuerſiam ſignificet propriè nominatum veneficium, ſicuti ego adfero locum ex 7. cap. Exodi, vbi ex tua ipſius confeſsione aliud denotat. Si non potes, fatere te hac in re errare, aut ratione firmiore tuam opinionem confirma. Legitur eadem 18. Deu. quo in loco nemo ſanus aliud notare putet, quàm quod diximus. Loquitur enim Moſes ibi non de veneficis aut homicidis alijs, ſed de illis, qui cum Diabolis, & ab eo excogitatis artibus, commercium ac ſocietatem habent. Qui alios omnes intueri locos volet: verum nos dicere mox affirmabit. FVR. Heus tu, Non benè concludis, nomen in hoc ſignificato aliquot locis poſitum eſt. Ergò & vigeſimoſecundo Exod. idem ſignificat. ER. Reſpondeo in caſu noſtro firmè ſequi. Etenim de Hebraicarum vocum ſignificationibus non poſſumus aliundè iudicare, quàm ex ſacris literis. Ergò ſi nomen aliquod in veteri Teſtamēto locis pluribus repetitū eſt, idē aut ſimile ſemp ſignificet, neceſſariò ſtatuemus, id ab

Nomen Hebraicū ſignificat cū Diabolo cōmunionem habentem.

id ab eo propriè ſignificari. Quare vbicunque idem illud occurret, idem aut ſimile ſignificare pronunciabimus: niſi circumſtantiæ cogant nos in alio ſignificato accipere. Et hanc ſignificationem propriā eius non eſſe, per ſe eſt notum, niſi putare velimus ſpiritum ſanctū nominibus crebriùs impropriè, rariùs autem, imò vix vnquam propriè voluiſſe vti: ſignificat igitur vox illa, non liberiore, ſed proprio ſignificato, Diuinatorem impium, Magum famoſum, Incantatorem, & hominem diabolicis artibus vtentem. Quod ſit Etymon vocabuli diximus, nunc quid 22. Exodi ſignificet videamus, ſi propriè poſitū eſt vicimus. Etenim veneno ſeu toxico necans, nihil ſupra Naturæ leges, morem, vires tētat: nec eget ad id peragendum opera Diaboli magis, quàm homicidæ alij. Si impropriè poſitum contendatur, probare oportebit. At quomodo probabitur, cùm nulla res, nullaque ſpecies circumſtantiæ nos cogat à propria notatione recedere? Theologiq; omnes propriè ſumi iudicarint, veteres pariter & recentiores. Nos optimis rationibus propriè ſumi debere oſtendimus: & inter alia hoc etiam diximus, ſub homicidio contineri veneficium propriè ſic vocatum. Quiſquis enim ſciens ac prudens homi-

Veneficiū propriè dictum, eſt

hominem interimit, quocunq; modo vel instrumẽto id peragat, homicidij reus est. Tu cõtrà censes veneficium proprio eguisse articulo, quia multis cõditionibus discrepet à cæteris homicidij specieb. Clàm enim committi, vt ne fortissimus quidem vir ab insidijs imbecillæ mulierculæ vel famuli cauere possit: & sub prætextu salutaris poculi in illos, quos aut propter officia, aut necessitudinem amare debebas, & ab inferioribus in superiores. Quasi verò non cadere omnia hæc possint in alias homicidij differẽtias. Nulli ne clàm occiduntur? nulli clàm strangulantur, aut suffocantur à mulierculis, famulis, fratribus, liberis, coniugibus, subiectis? Quo pacto igitur ob hęc noua lege opus fuit? De clandestino homicidio Deut. 27. dictum: de pœna & speciebus varijs 35. Num. Quare superuacanea hæc lex videri potuisset. FVR. At Septuaginta interpretes verterunt φαρμακόν, quod nomen cùm in malam partem sumitur, semper apud Dioscoridem, Galenum, & totam Græcorum antiquitatem, pro veneno aut medicamento venenoso ponitur. ER. An putasti aliquem tibi hoc concessurum? nisi fortasse Platonem, Aristotelem, Aristophanem, aliosque probatos autores Græcos (& quidem vetustos) fuisse

Species homicidij.

Græci oẽ nomine φαρμακοῦ pro incan-

...amento ...tantur. fuisse neges. Dioscorides cap. de Rhanno ait: Fertur ramos eius, si pro foribus aut fenestris ponatur (ἀποκρούειν τὰς τῶν φαρμάκων κακουργίας) maleficia pharmacorum seu incantamentorum pellere. Non vocat hîc pharmaca res per se noxias, (quomodo enim pro foribus aut fenestris positi rami, veneni importationem impedirent?) sed Magicas. Galenus raró sic vsus est, fateor. Causa est in medio posita. Docere enim artem Medicam, non Maleficia & Incantationes voluit: quod initio lib. 6. de Simpli. pharm. facult. testatur. sic de Pamphilo scribẽs: καὶ δὴ κέχρηται πρὸς περίαπτα καὶ ἄλλας μαγγανείας, οὐ περιέργους μόνον, οὐδὲ ἔξω τῆς ἰατρικῆς τέχνης, ἀλλὰ καὶ ψευδεῖς ἁπάσας. ἡμεῖς δὲ οὔτε τούτων οὐδὲν, οὔτε τὰς τούτων ἔτι ληρώδεις μεταμορφώσεις ἐροῦμεν. Ideò se de talibus pharmacis (hoc enim nomine fuisse tunc appellata clarè ostendit) nihil dicturum ait, quia extra fines artis Medicæ posita, & falsa seu inualida sint vniuersa, fabulæ aniles, præstigiosa & incantatoria seu Magica. Sic cum secundo libro de Compositione Pharmacorum κατὰ τόπους de περιάπτοις Archigenis loquitur, de eis se nihil dicturum ait, quia nullam rationem Medicam (οὐδένα λόγον ἰατρικὸν) habeant, ac sola experientia iudicentur. Vocasse nihilominus talia vnà cum

alijs,

alijs, φάρμακα, licèt inania & inefficacia iudicaret, ex dictis conſtat. Sed & decimo libro citati prius operis, hæc habet. ἐγὼ τοίνυν οὔτε βασιλίσκων, οὔτε ἐλεφάντων, οὔτε ἱππων νειλώων, οὔτ' ἄλλου τινὸς, οὗ μὴ πεῖραν αὐτὸς ἔχω, μνημονεύσω. τῶν δὲ καλουμένων φίλτρων ἀγωγίμων ὀνειροπομπῶντι, καὶ μισήθρων, τὴν ἀρχὴν αὖ, οὐδ' εἰ πεῖραν ἱκανὴν εἶχον, ἐμνημόνευσα, ὥσπερ οὐδὲ τῶν θανασίμων φαρμάκων, ἢ τῶν, ὡς αὐτοὶ καλοῦσιν, κυθοποιῶν. ἐκεῖνα μὲν. γὰρ αὐτῶν, καὶ γέλοια, καταδῆσαι τοὺς ἀντιδίκους, ὡς μηδὲν ἐπὶ τοῦ δικανικοῦ δυνηθῆναι φθέγξασθαι, &c. Num poſthac dices, Galenum malefica Sagarum inſtrumenta non appel laſſe pharmaca? Non puto. Rem damnauit, nomine φαρμακοῦ, nominari ab omnibus non ignorauit, nec ipſum ſic nominare piguit. Quid? an περίαπτα, & φυσικὰ remedia à nonnullis dicta & probata Medicis, non omnes perpetuò vocant φάρμακα, etiamſi mali cauſa vſurpentur, viique venenata omni careant? Hippocr. etiam lib. de Morbo ſacro πεφαρμακευμένους ὑπ' ἀνθρώπων, vocare videtur incantatos ſeu incantatione læſos, cùm ibi de curationibus Magicis agat. Falſum ergò eſt, Pharmaci nomine Græcorum antiquitatem, Galenum, Dioſcoridem, alios omnes, non comprehendiſſe Magorum & Incantatorũ inſtrumẽta. Pręclarè ex his perſpicitur,

Septua-

Septuaginta interpretes rectè vsitateque Magos vocarunt Græcè φαρμακοὺς.

Septuaginta interpretes, cùm nomen Hebraicum vbique verterunt, nominibus φαρμακοῦ & φαρμακείας, &c. rectè vsitateque sic vocasse, tùm maleficia tùm maleficos, qui scilicet Diaboli opera res mirabiles tùm scire, tùm agere studēt. Sic enim Græcos omnes tales nominare solitos fuisse longè ante Septuaginta interpretum ætatem certissimis testimonijs probaui. Vixerunt enim annis nō multò paucioribus 130. post Platonem, vt vetustiores prætercam. Quamobrem non potuerunt ignorare linguæ huius verū vsum. Ne hîc igitur habes, quo nos oppugnes. De Rabinis frustrà hîc egero. Quis. n. dubitet, cùm Manassen scriptura dicit Maleficos restituisse cum Pythonissis, non accipiendum esse de veneficis veris? Quis putet Regem Nebuchadneserem vocauisse veneficos ad iudicandū & interpretandum insomniū? Cùm ex ipso textu aperta sit nominis significatio, nō est cur soliciti simus vlterius. Quanquam Rabinos non dubitem à nobis stare, non ab aduersario. FVR. Quid Iosepho respondebis? ER. Idem ferè. Neque. n. fidem mereretur maiorē ipsa scriptura, hoc est, spiritu sancto. Quanquam cùm dicit: μήτε τῶν εἰς ἄλλας βλάβας πεποιημένον, credi possit, eum de Incantatricum pharmacis loqui.

Sed

Sed non est opus ista superstitiosius examinare, dum aperta è scripturis argumenta habemus. Si Iosephum citare non potuisse existimes, etiam illud laudare oportebit, quod scripsit, Solomonem artem inuenisse ad vsum & præsidium aduersus dæmones: modum quoque cõiurationum & incantationum contra morbos instituisse. Eleazarum Hebræum se vidisse scribit, præsente Vespasiano Cęsare, per nares extrahere dæmonem ab obsesso, idque virtute radicis à Solomone monstratæ, quam in annulo inclusam haberet. Quis miretur, Iosephum talia deliria probantẽ, hanc legem aliter interpretari? Nisi enim hoc ita faceret, semetipsum cõdemnaret. Scribit etiam Io. Franciscus Picus, in Hebraica Iosephi historia scriptum esse, tantam fuisse Absoloni capillorum multitudinem, vt tonsor vnus vix octo dierum spacio incidere potuerit. Siue sit ab eo scriptum hoc (Quod manifestum foret mẽdacium. Posset enim tot diebus mediocre pratum forcipe demeti) siue non sit scriptum, constat superiora eum scripsisse: & proindè nullius esse in hac quidem re momenti illius testimonium. Quocirca non infirmata est aduersarij obiectionibus ratio nostra secunda, sed multò magis confirmata. Ad tertiũ

Iosephus non est ἀναμάρτητος.

argumentum, quo probatum est, eas tanquam Idololatras interfici posse, quid adfers? FVR. Nil aliud, quàm quòd Idololatras esse, Deumque abnegare nego. ER. Rectè. Non enim negari pôt, quin secundum Dei præceptum Idololatræ sint capitis pœna mulctandi. FVR. Excusari saltem exemplo D. Petri Apostoli Christum abnegantis videntur: cuius factum grauiùs & detestabiliùs fuit Strigum facinore. ER. Exhorrui cùm legi, quæ tu breuiter attigisti. Vno ad ea verbo respondebo, nullam esse inter Petri & Sagarum abiurationem similitudinem. Petrus enim metu mortis sic abiurauit Christum, vt nunquam cogitauerit transfugere ad diabolum: nec cum eo vel apertè vel tacitè magis sit pactus, quàm omnes alij peccatores paciscuntur. At Sagæ nullius mali aut periculi metu coactæ, sponte & sine omni iusta causa, (plerunque aut libidine incitatæ, aut odio vel ira inflammatæ, aut similibus affectibus alijs abreptæ) Deum creatorem & liberatorem suum sic abiurant, vt in aduersarij castra se conferant, obedientiam promittant, se totas ei permittant, Dei & pietatis hostes se fore polliceantur, ad nocendum se comparent, in fœdos amplexus cum Cacodæmone veniant. Exprimit inuito mihi indigna

Contra argumentũ tertium.

Differt negatio D. Petri à negatione Sagarum.

indigna Petri & ſtrigum comparatio, vt dicere cogar, ſanum non eſſe, qui velit æqualitatem inter Petri & Sagarum peccatum quærere. Tu verò videris D. Petri amplificationibus tuis grauius & maius ſtatuere: quod rectè non fit. FVR. Idololatras occidi poſſe non inficior: At Sagas Idololatras eſſe, nondum tibi concedo. ER. Ego verò me nondum videre aſſero, quo prætextu negari poſsit eas Idololatras, & quidem omnium, quæ in mundo vnquam fuêre, peſſimas eſſe. Multi adorarũt Idola, putantes eſſe Deus, aut Dei ſtatuas: hæ ipſummet Cacodæmona, quem eſſe ſciunt Dei & Naturæ hoſtem, venerantur. Ex illis multi rectè ſe putarunt facere, id eſt, per errorem & ignorationem Deaſtris ſuis ſeruierunt, hæ certiſsimè norunt ſe flagitiosè & impiè agere. Hanc ob cauſam tanta conſtantia factum negant, ne pœnas, quas ſe commeritas eſſe non neſciunt, luere cogantur. Illis de vero Deo nihil conſtitit, hæ quem cognouerunt, deſerunt. Illi peculiare pactum contra conſcientiã non ſemper contraxerunt aduerſus Deum verum, hæ ſic abiurant Deum, & pietatem omnem, vt ſe hoſtes fore ſtipulentur. FVR. Sunt imaginaria hæc, nec verè ſic fiunt. ER. Non inficior, imaginaria & præſtigioſa eſſe multa,

Ante contractū fœdus facta non sunt imaginaria

quæ post contractū fœdus eueniunt. Tunc enim cùm in sua potestate quodammodò infelices illas habet diabolus, faciliùs quæ vult persuadet. Antequam verò pactæ sint, non fiunt eiusmodi per imaginationē tantùm, sed reuera societatem & amicitiam contrahunt. FVR. Vndè tibi constat conflatum cum Dæmone pactum? Cùm non interfueris, nec ex testibus alijs fide dignis habeas, ex earum cōfessione habeas oportet. Si sponte talia confitentur, vel sunt impossibilia factu, vel possibilia: quæ tamen aut facta non sunt, aut verè acciderunt. Si coactæ, parum valent, cum quæstionibus intolerabilibus expressa sint. Primi generis spontanea confessio, non meretur pœnam. Nec secunda, quia factum non fuit. Nec tertia, quia diabolus miserarū phantasiæ inculcat ipsas fecisse, quod vel naturaliter accidit, vel ab ipso perfectum est. Coactæ confessioni quis fidem habeat, vt ob eam occidendas iudicet? ER. At verò si non valet confessio quæstionibus extorta, nulli (aut certè perpauci) vel latrones, vel proditores, vel facinorosi alij, iustè plectuntur. Rari enim sponte confitentur cōmissa scelera. FVR. Vi tormentorum aliqui certè confitentur, quod perpetrarunt nunquam. ER. Sed quæstionibus propterea nō

extor-

extorquendam veritatem nullus ſapiens putet. Non propter quamlibet ſuſpicionem, aut leuem coniecturam ſubduntur tormentis rei, ſed cum argumentis factum plenè probari poteſt, aut non multò ſunt inferiora perfectis probationibus. Neque obſtat, quòd Iudex talia non vidit, cùm ſatis ſit alios vidiſſe. Reuelantur etiam occulta ſcelera omnia tandem, vt hîc ne diabolus quidem præuidere & cauere omnia valeat. Quare fruſtrà contemnas confeſſionem tormentis expreſſam. Spontanea cur valere non debeat, equidem intelligere vehementer velim. FVR. Quia vel confitetur impoſsibilia factu, vel quę fieri quidem potuerunt, facta autem non ſunt, vel facta ſunt, ſed non ab ipſis. ER. Credo te oblitum eius, quod probandum ſuſceperas, nempè pactum eas cum Dæmone non conflauiſſe. Non quæritur nunc vtrùm ſidera de cœlo detrahere, tempeſtates ciere, per aërem volare, per clauſas fores penetrare poſsint, ſed an cum Cacodęmone ſocietatem, vel pactum, vel amicitiam contraxerint? An hoc eſt impoſsibile factu? Non credo te hoc credere. Cur igitur iſta repetis, & fœdus nullum ferire cum Dæmone ijs oſtendere niteris? Et factu poſsibile eſt, & ſæpiùs quàm vellem factum eſt.

Occulta flagitioſa tandem deteguntur.

Societatem contrahere cum diabolo non eſt impoßibile

Non ergò impoſsibile factu fatentur, cùm ſe pepigiſſe cum diabolo fatentur. Naturaliter hoc pactum non coit, ſed voluntatum conſenſionem adeſſe oportet ab vtraque parte. Non enim poteſt dæmon per ſe ſolùm fœdus tale erigere. FVR. At imaginatio & deluſio eſt, veri nihil. ER. Mira res eſt, cùm quis theſim defendere cœpit, certiſsima & veriſsima omnia negat, vt rectè ſentire videatur. Sacræ literæ ſatis clarè teſtantur non eſſe nihil quæ cum Dæmonibus homines agũt: probat idem omnium ſeculorum experientia: confitẽtur ſtriges vniuerſæ: demonſtrat res ipſa. An mulier in Endor nõ euocauit dæmonem ſub imagine Samuelis? An Magi Aegyptij non excitarunt ſerpentes? An Pſalm. 58. phantaſma proponit, cùm aſpides claudere aures ſcribit, ne vocem incantatoris audiant? An nullus ſerpentes carminibus, itemq; mures in vnum locum coëgit? Docet ſcriptura Diabolum per ſuos prodigia editurum talia, vt electi etiam periclitaturi fuerint, ſi eos ſeduci poſsibile fuiſſet. Ergò non ſunt omnia imaginaria vt tu ais. Certum porrò eſt, non potuiſſe, & ne nunc quidem poſſe aliquem prædicta facere citra pactum diabolicum. Cur enim non omnes poſſunt, ſi pactio nulla requiritur? FVR. Non omnes

Non omnia ſunt vana prorſus, q̃ à Magis aguntur.

artem

artem norunt. ER. Quasi verò constet mulierem illam longam artem calluisse. An arte vlla dæmon cogi potest? Minimè. Ex pactione igitur adest. FVR. Si vanissima sunt mendacia, quæ tanta constantia fatentur, quòd volent per aërem, quòd segetes transferant, & huius generis multa faciãt, cur in reliquis tantopere confessionis certitudo opponitur? Cur cũ vna hora & illa dicant, & fœdus se cũ Diabolo percussisse fateantur, hoc magis, q̃ illa verũ credimus? aut cur non hoc, sicut illa, imaginariũ putamus? ER. Causæ hæ sunt, ꝙ illa fieri non possunt, hoc autem potest, quod ferè somniantibus apparent illorum imagines, hoc est, vigilantibus agitur: quòd illa à Diabolo eis persuadentur, postquam eis iam imperat, easque liberius ac familiarius agitat, equitat, possidet, tractat. Posse fœdus cum diabolis homines cõtrahere, certum est. Contrahere ipsas vigilantes ac sciẽtes, æquè notum est. Nondum eas à dæmone sic teneri ac regi ante pactum, vt post pactum eas dementat, cõfessum similiter est. Quid igitur miraris, hoc nos credere potiùs verum, quàm illa? Quòd si hoc etiam factitium contẽdas, quæro ex te, cur Deus occidi mãdauerit? Quia venenosis poculis lædunt, ais. Nihil enim adfers, nec adferre

 aliud

aliud potes. At monstratum est, nusquam in Biblijs nomen illud Hebraicum, quod Exod. 22. legitur, vera veneficia significare. Deindè constat, capitale fuisse dæmonum vti opera, etiamsi nullis venenis læderent. Mulier illa in Endor apertè significat Sauli, non sibi licere incantationibus vti, quod Rex sub pœna capitis vetauerit. veneficiorum nulla hîc fit mentio. Quia verò huius iam sæpè mulieris facta est mentio, operæprecium fortasse fuerit totam historiam, quatenus huc pertinet, accuratè examinare. Primùm ergò obseruãdum est, quòd non ignorauit capitale sibi exercitium artis suæ fore. Huius enim rei gratia se notitiam eius habere negat: aut saltē exercere detrectat. Secundò, quòd vmbrã exciuit, & in vmbra dęmonem, non autem Samuelem: licèt opinaretur se Samuelem euocauisse. Tertiò, quòd etsi non illud præstitit, quod ab ea petitum fuerat, scriptura tamen dicit eam hoc ipsum præstitisse, hoc est, Samuelem excitauisse, licèt præstigiosus fuerit Samuel. Quartò, quòd non scribitur, fœminam hanc damnum alicui dedisse arte sua. Quintò, quòd nullius longæ artis, quam didicerit mentio facta est. Sextò, quòd nec delirauisse, nec obsessa à dæmone legitur: multò minus quòd

Historia mulieris Magæ in Endor.

per

per imaginationem ſolam talia egerit. Poſtremò, quòd ſine peculiari cum Dæmone conuentione, quod fecit, facere non potuerit. Etenim alij, inprimis verò ipſe Saulus, qui hoc maximè voluiſſet, perficere nõ potuerunt. In hac ergò muliere amplius aliquid fuiſſe oportet. Quocirca cum arte nulla cogi poſsit diabolus, neceſſarium eſt vi pacti & conuentionis eum mulieri vocanti adfuiſſe. Nihil enim aliud eſt excogitabile in hoc loco. FVR. Quid ex his efficere cupis? ER. Hoc volo, Sagas nihilo meliores eſſe. Primùm norunt artis ſuæ exercitium capitale ſibi fore: & ob id ſummo ſtudio celant. Secundò, vt non ſemper efficiant, quod volunt, ſed præſtigias tãtùm offundant, tamẽ apud Deum perindè eſſe ac ſi perfeciſſent. Nam non minùs quàm illa, dæmones in ſpecie aliqua hominis accerſere ſolent. Et ſicut illa putauit Samuelem ſe euocauiſſe, qui tñ ei non apparuit, ita Sagæ quoque ſeipſas aliosq́ue fallunt. Quartò, nocentiores ſunt illa, quæ ſemper nocere ſtudent. Quintò, vt de illa non ſcribitur longam artem eam tenuiſſe, ita noſtras quoq; non excuſare hoc nomine debemus: cùm non minorem illa cum Dæmone familiaritatem habeant. Sextò, apparet non eſſe deliria & ſomnia, ſed inte-

Comparatio Sagarũ & mulieris illius Magæ.

gris ſenſibus ac mente poſſe cum dęmonibus pactionem ferire impias mulierculas. Cùm enim ſi illa non delirauit, noſtras per delirium omnia facere oportet? Et ſi paciſci illa potuit, quid impedit noſtras, quominus paciſcantur? Denique vt illa, non quia venenum alicui propinauiſſet, ſed qa Incantatrix eſſet capitis pœnam promerita fuerat, ita noſtræ quoque ſtriges puniri poſſunt, etiamſi nulli nocuerint. Certiſsimum namq́; eſt, eas non per ſomnum, ſed per vigilias fœdus iacere ſolere. Non ergò me, ſed te gladio meo iugulatum ſentis. FVR. Nunquam, vt arbitror, confeſſuræ factum eſſent, ſi ſaperēt, ac vera eſſent, quæ eis intentantur crimina. ER. An non & alij facinoroſi hoc faciunt, quoties intelligunt ſe inficiari non poſſe? aut ſceleris eos pœnitet? Et ſanè animi eſt hoc minus mali argumentum. Quò enim quiſque obſtinatius negat: tantò minus eum flagitij pœnitet: quod res docet. Neque ego aliquas inueniri negaui, quæ ſine tormentis faterentur crimen ſuum, ſed raras eſſe monui. Etenim aliquæ ſolo metu quæſtionum liberè ad interrogata reſpondent. Nec deſipiūt, quæ ſic faciunt, ſed plus alijs, ſapiunt. Malunt enim ſine cruciatu dicere, quæ tormentis extorqueri poſſe intelligunt. Sed

Striges aliquādo ſine tormentis fatentur crimen.

nec

nec Melancholicæ sunt, nec mentis ac rationis magis expertes (quod subindè repetit aduersarius) alijs scelerosis: quod iã sæpè est monstratum. Certum non minùs est, nullas palàm, sed apud illas solùm iactitare suam peritiam, quas sperant in societatem pertrahi posse. Si melancholico delirio laborarent, cum gaudio suas artes & mirabilium faciendi scientiam omnibus prædicarent. Quare carẽt omni fide & verisimilitudine, quæcunq; allata sunt ad excusationem contracti cum diabolo fœderis, & horrificę apostasiæ. FVR. Miseret me infelicium, & ob id vellem, si possem, eas à carnificina liberare. Tu contrà, quicquid põt ad inflammandos iudices, id magno studio cõuerris. Cùm aliud non potes, seducere alios clamitas. Quos insulsæ anus seducerent, cùm sint ipsæ delusæ, nisi falsas imaginationes pro veris actionibus defendere velis? Cunctę.n. magistrũ suum dæmonem fatentur. Sexus ẽt iners, ætasq́ue stupida probant nihil huius fieri. Denique tàm non cohęrent, quæ tùm Magistra, tùm ab ea institutæ narrant, vt facilè amentes & obsessas à Dæmone intelligas. ER. Quæ hæc est pietas? Vt præconceptam in animo tueris opinionem, etiam solem meridie lucere negaturus videris.

Contra argumẽtum quartum.

Libet

Libet hîc Aristot. dictum 10. Ethic. vsurpare: ὃ γὰρ πᾶσι δοκεῖ, τοῦτο εἶναι φαμέν. ὁ δ' ἀναιρῶν ταύτην τὴν πίστιν, οὐ πάνυ πιστότερα ἐρεῖ. Quo tu animo audes absque idonea & verisimili probatione omnia inficiari, quæ non modò sunt nota, verùm etiam certa & vera? Quæ vnquam Saga dixit, se aliquam in societatem pertraxisse, quin idem altera, quę seduci se passa est, affirmarit? Diem, horā, locum, modum, occasionem, successum, similiter ambæ cùm narrant, mentitæ nihilominus tibi sunt. Multæ filiæ impuberes à matribus coactæ pepigerunt tādem, eæque resipiscentes narrauerunt nullis pœnis inductæ. Si nihil credendum est vlli homini, ne tibi quidem credemus. Si credendum alicui, cur tibi potiùs absque rationibus loquenti vis credi, quàm alijs cōsentanea veritati proferentibus? FVR. Quia somniant, & corruptam habent imaginationem. ER. Vndè hoc probas? Sciūt quid egerint, cum quo egerint, quomodo egerint, præsentia, præterita, futura: in rebus alijs nullis delirāt plus alijs: ad omnia aptè respondent: denique nihil est, quod accusare posses. Loquor de illis, quæ vigilantes faciunt, non quæ dormientib. occurrunt. FVR. Sed magistrum agnoscunt nullum excepto dæmone. ER. Scio. Non enim

Quomodo Saga alios seducant.

enim ſic ſeducunt, vt ſine adductione ad Diabolum artem doceant, ſed pollicitationibus & perſuaſionibus dementant, vt libidine adipiſcendi quod cupiunt, & addiſcendi res mirabiles, patiantur ſe ad dæmonem adduci, & in fœdus recipi. Hoc appellamus ſeducere, non autem, quod tu videris ſentire, artes eaſdem docere. Satis enim intelligunt ſine dæmonis opera, quę vi pacti fœderis acquiratur, neminem participem tantorum miraculorum fieri. Nec ſunt adeò ſtupidæ, vt ſemper inculcas: nec ſunt omnes fœminæ: nec ſunt omnes vetulæ: nec in rebus alijs vllis, vt dixi, vel ſtupidiores, vel ſtultiores alijs deprehenduntur. Narrationes quoque earum, cùm de rebus loquuntur, quæ vigilantes egerunt, ſic cohærent, tantusq́; eſt conſenſus factorum & dictorum, quãtum alibi vix vnquam reperias. Quocirca hîc etiam verba fundis: niſi communi ſenſu nos priuatos putes, aut hoc ſolùm verum eſſe, quod tibi videtur, perſuadere poſsis. Crudelitatem obijcis, à qua tantum diſto, quãtum ab aqua ignis, & ab albo nigrum. Lenitatem decere Chriſtianos probè ſcio: ſed quæ circumſcripta ſit verbo Dei, non degenerarit in vitioſam indulgentiã. Hæc laudabilis non eſt, ſed damnabilis. Pugnat enim

Christianos decet lenitas verbo Dei præfinita.

enim cum voluntate diuina, & in exitium plurimos præcipitat. Quid enim? si impunè sit talia patrare, an non multos alios nefandis his sceleribus, à quibus metu supplicij retrahuntur, contaminari necessarium est? Quæ ergò fuerit ista misericordia, quæ nec putre membrum sanat, nec sana ab eius infectione præseruat? Meminerimus potiùs aureæ sententiæ Athalarici Gotthorum Regis: Impium est, inquit, circa illos esse remissum, quos cœlestis pietas non sinit impunitos. FVR. Non de te, sed de immanibus & Barbaris Iudicibus accipere debes, quæ dixi. ER. Sæuitia & tyrannis à Christianis omnib. lõgè abesse debet. Qui tales sunt cuius patris filij sint, satis ostendunt. Sed age, si quid aduersus quintũ argumẽtum struxisti producito. FVR. Nihil admodum: nisi quòd iniquum videtur, vt magistratus voluntatem, quæ in actum non venit, tàm acerbè puniat. Distinguendũ quoq; est, inter sani & insani, seu deliri & fatui voluntatẽ. ER. Scio voluntatẽ peccandi à Magistratu puniri non debere, si in actũ non peruenerit. Scio ẽt striges omnia facere, quæ possunt ac norunt, vt alijs noceant. Cùm non succedit res, non minùs vehementer dolent, q̃ ob successum effusè gaudent. Aliquãdo ipsis instigantibus dæmonem

Athalarici Regis Gotthorum dictum.

Contra argumẽtum quintum.

monem negotiũ peragere, quoties iusto Dei iudicio ei conceditur, ne quidem negare ausis, puto. Plurima certè agunt dęm. rogati & carminib. vel modis alijs euocati, q̃ si accersiti & impulsi non fuissent, facturi non fuerant. Equidem serpentes aut mures non temerè cogunt, si Exorcista eos pacti nullus admoneat. In forma Samuelis non apparuisset, nisi à fœmina Incãtatrice excitus fuisset. Nec serpentes illos coram Pharaone repræsentassent, si à Magis postu latum ab ipsis non fuisset. Ita nec morbos vel hominibus vel brutis infligerẽt, si Sagæ quiescerent. Non sunt ergò extra culpam oẽs striges: & tantò peccant grauiùs, quan tò modus nocendi est fœdior: quantoq; is est nequior, per quem lædere studẽt. FVR. De Venereis amplexib. saltem retractabis sñiam, cùm nimis sit ridicula, falsa, puerilis & inepta, vt suprà quoq; te monui. ER. Refuta, si potes, aliquid eorum, quę sup. de hac ipsa re disputauimus. Congressus hic statim à pactione plerunq; fit, vt obsequen tiores deindè habeat, faciliusq́; à Dei cultu & obseruatione ad sui venerationẽ traducat. FVR. At vetulæ exsuccæ, effœtæ & exangues nõ expetunt libidinem: cùm p̃sertim voluptatem ex inusitato congressu nullã capiant, propter mẽbri frigiditatem.

Agunt dæmones rogati, quæ aliàs acturi non fuerunt.

Contra argumẽtum septimum.

Omnes

Omnes enim dicunt, virile diaboli membrum frigidum sentiri. Sed ne dæmon quidem titillatione incitatur ad Venerem, & nec verò coire, nec generare potest. Quare imaginarius est concubitus, quãdo scilicet altioris somni oppresionem delusæ anus putant se libidinem explesse. ER. Ego certè nusquam dixi, diabolum libidine instar hominum tẽtari: sed amore se captum mentitur, vt in officio suos retineat cultores. Non nescio interim quid de incubis aliqui ex veteribus scripserint: quidque tùm Palladius Euagrij discipulus, tùm Alexand. ab Alexandro lib. de diebus Genialibus de eadem hac re tradiderint. Sufficit mihi communis omnium confessio, cùm, quod factum dicunt, fieri potuerit, & omninò verosimile sit. Quod diabolum attinet, potest corpus assumere crassum & tactile. Potest idem mouere spiritus & semẽ, vt titillatio oriatur. Potest igitur voluptatem amasijs illis suis parere. Quod ad ipsas attinet Striges sunt illæ admodum libidinosæ, vt quę se diabolo hanc etiam ob caussam faciliùs permittant. Quæ tales non sunt, non æquè promptè in hæc pacta veniunt. Equidem impias, audaces, impudentes, salaces, prorsus esse oportet, quæ tantum tamque horrendum facinus audent.

De Incubis & Succubis.

Striges sunt libidinosæ.

dent. Nec tu negas, impias ferè in hæc diaboli retia pertrahi. Quam sint autem tales voluptatibus carnis deditæ, nullus nescit. Addit stimulum Diabolus, vt maiore impetu & furore huc ruāt. Nec excusat, quòd stupidas & effœtas anus vocas. Falsum quippè est, vetulas solùm irretiri. Vidi ego plurimas, at tàm anum nullam vidi. Qui negat omnis ætatis in hoc fœdus recipi, etiam bis duo quatuor facere inficiari audebit. Deindè quis non nouit, plurimas anus vehementiùs iunioribus quibusdam prurire? Quam multas alioqui honestas anus viduas, hanc ob causam cernimus adolescentibus & iuuenibus robustis nubere? adeoque connubia hæc multo ære emere? Hinc Prouerbio apud nostros factus est locus, vetulas capras libentiùs lingere sales iuuēculis. Si quotidiè talia fieri ab his conspicimus, q̃ longè absunt ab illarum audacia, scelere, ac furore, quæque palàm nec impię sunt, nec malę, quis dubitet illas immodestius, maioreque ardore ad impuritatem sine rationis fræno, aut infamię metu brutorum instar ferri? Ergò cùm Diabolus & posit tale quid facere, ac vetulæ (sic enim tu plerunque vocas, non tantùm assensum præbeant, verùm etiam expetāt, & in actum deducant, quod ex omnium

Anus aliquando in vetulis plus pruriunt.

confeſsione liquet, quid tandem cauſę eſt, cur non vel hoc nomine ſint cremandæ? Cum bruto coeuntem capitis pœnam luere debere concedis. Das alterum quoque hoc, coitum cum dæmone etiam acerbiùs puniendum. At conſtat factum. Quare ergò parci illis debet? Si coniecturæ locum dare velis, non ineptè cogitaueris, Moſen ſiue Deum Exod. 22. ſtatim poſt Legem de Sagis, alteram illam de concumbente cum beſtia adieciſſe, vt tacitè aliquid huius rei nobis indicaret. Sic enim habet: Maleficā (ſiue Sagam) ne patiaris viuere. Qui cum beſtia rem habuerit, morte puniatur. FV. Sed merum eſt ſomnium, & in ſola imagine conſiſtit, quod hac ratione oſtendi poterit. Minùs videtur accidere poſſe, vt homo fortiſsimus, optimè ratiocinans, omnibus ſenſibus integris abſq; læſione vtēs, vt ne ſuſpiciuncula quidem ſubeſſe videatur Melancholiæ, in falſam & vanam iſtam perſuaſionem labatur, vt membrum virile ſibi ablatum aſſeuerantiſsimè affirmet, q̃ vt vetula ſomniet ſe cum Dęmone rem habere. Cùm aūt illud fiat, hoc multò magis vſuuenire putandum eſt. ER. Ad hæc multiplex adduci poſſet reſponſio. Primùm non quadrat exemplum, in quo fit comparatio. Sic enim contexi argumentum debu-

Lex de Sagis & cum bruto rem habentibus contigua ſunt.

debuisset, si vir fortis integris sensibus neque Melancholia laborans, nec aliter desipiens, imaginari potest se cum Diabolo rem veneream exercere, licèt huius nihil vnquam egerit, poterit hoc idem faciliùs in fœminam cadere, tu ex disparatis terminis construis. Nam in viro opinionem amissi membri, in muliere imaginationem concubitus, quæ disparatæ res sunt, proponis. Deindè nos credere iubes, quod neque nostra neque patrum nostrorum ætate creditum, factum, scriptum, fuit. Quis enim audiuit virum, in quo nulla delirationis aut insaniæ signa animaduerterentur, de amissa virga cum testibus, quæ ipso facto non perdidisset, conquerētem? Priuati vtrisque multi sunt, sed non vi Magici incantamenti, vel in imagine sola, absque omni desipientiæ specie. Quid enim Melancholici non imaginari solent? An integris sensibus ac mente vtens, pudendaque explorans nihil horum deprehendet? Retrahi nonnihil & contrahi non nego: sed eousq; cōtrahi, vt neutra pars promineat, & tùm visui tùm tactui appareat, pernego. Quæ ad huius rei confirmationem ex Hippocr. libr. 2. Prognost. 10. citas, *Hipp. 2.* tàm non ostendunt hoc, quàm non voluit *Progn. 10.* ijs verbis Hipp. mōstrare, Aethiopes albos

esse. Quæ ex lib. 5. Recognit. Clemen. profert tuus ille, in ijs libris scripta nullibi reperiuntur. Vndè colligere potes, quãtum alijs tribuere testibus, quos citat, debeas. Cùm D. Petrus (vt autor illè scribit) Ethnicis festa & sacrificia sua ad id instituta dicentibus, vt mens curis & laboribus aliquantulum soluatur, respondere vellet, sic ait: Si ob hanc causam inuenta sunt, cur in lucis & syluis inuocant dæmones? vndè insani rotatus membrorum sectiones? verendorum absciſsiones? vndè rabidus furor? cur sparsis crinibus furijs agitantur fœminæ? vndè fremitus & stridor dẽtium? vndè cordis & viscerum mugitus? & omnia illa, quæ vel simulata, vel ministerio Dæmonum compaginata ad terrorem stultorum & rudium proferuntur? An in his Clementis verbis dicitur aliquos imaginatos pudenda sibi ablata, quæ tamen verè ablata non fuerint? Ego sanè nihil tale deprehendo. Meminit sectionis membrorum & amputationis pudendorum: nihil de hac imaginatione affirmat. FVR. Dicit simulata fuisse. ER. Primùm ostendi nunquam poterit, eum voluisse dicere, gyros illos, sectiones membrorum & verendorum, atq; alia deinceps numerata, simulata fuisse. Præter hæc dicit alia quędam simulata (vel etiam

Refutatio eorũ, quæ ex Clemente falsò citantur.

etiam facta) fuisse ad terrendos simplices. Quòd si ficta fuissent omnia, nihil probauisset Petrus, qui ostendere voluit animum non laxari & solui curis, & rebus talibus, sed magis occupari. Qui porrò in veterum lectione versatus nescit, in Cybeles, ac Bacchi solennitatibus factitata talia fuisse? His adde quòd ne somniauit quidē Clemens, istos putauisse verenda sibi ablata, quæ non resecuissent ipsi, vel ab alijs amputata sensissent ac scirent. Non scribitur etiam, restituta deindè fuisse. Quomodo defensurus esses, si accidisset illiusmodi quippiam, nullo tales insaniæ genere laborauisse? sed quid est verbis opus? Antecedēs ratiocinationis tuæ, si ex Hipp. & Clemēte probatum velis, nihil nisi somnium est. Quare nec antecedens nec consequens, nec consequentia argumenti, vt in scholis loquuntur, valet. Sed esto, scripserit illud (quod dictum à te fuit) autor illorum librorum (Quos Clementis illius, qui Apostolis notus fuit, genuinos minimeque adulterinos esse nemo sapiens dixerit) an propterea credendum censes? Epiphanius certè, & Ruf. in Apol. origenis, hos ipsos libros (qui Itinerarij nomine inscripti etiam fuerunt, quia Apost. Petri peregrinationes continent) erroribus

Quantum fidei sit tribuēdum Itinerario D. Petri.

refertos tradunt. Quæso te, an non, quę de parentibus & fratribus in eis recitat, fabulæ potiùs, q̃ veritatis similitudinem obtinent? Sic certè visum est doctis omnib. Taceo, quòd ex epistolis illæ, quæ ex Itinerario quædam transcripta habent, ob hanc ipsam cãm veteribus suspectę fuerũt. Scripsit etiam Dialogos inter D. Petrum & Appionẽ habitos, quos Euseb. planè reijcit. Quid de Constitutionib. Apostol. sit sentiendum, nullus est hodiè Theologus, qui nesciat. Huic ergò autori (cui probabilia scribenti nemo temerè putet credẽdum) quis fidem habeat impossibilia narranti?

Quomodo pudenda dicantur ablata.

Dicimus vulgò ablata alicui pudẽda, quoties vsum eorum amisit, siue ob resolutionem, siue ob retractionem contigerit. Nec malè sic loquimur. Oculus enim tantisper rectè vocatur, dum visionis est instrumentum. Hoc vsu cùm priuatus est, non magis oculus dicitur, q̃ pictus oculus aut lapideus. Etenim opere & potẽtia definiũtur instrumenta corporis, cuius gratia vnumquodq; factum est: vt cũm Gal. tùm Arist. docuit. Esto igitur putarit aliquis non delirãs, se his mẽbris verè priuatum, licèt verum non fuerit. Et Saga aliqua per somniũ duntaxat cum dæmone rem habuerit: an ob id vel par est in vtroq; peccatũ? vel nulla

strix

strix dæmonis congressum passa est? Neutrũ ex antegressis efficitur. Nam qui spoliatur Magico incantamento vel mẽbris illis, vel viribus eorum, dolet sibi accidisse, nec postulauit id à dæmone. At Sagæ coitione illa gaudent, eã expetunt, & virtute pactionis hoc sibi Satanã debere putãt. Est igitur hoc capitale, non illud, cùm nulla pactio diabolica interueniat. Deindè quo medio concludetur, quia vna aliqua in imagine duntaxat corpus miscuerit cum dæmone, nullam verè opus hoc peragere conatam? Quòd omnes fateantur scelus, & vnaquæque proprium suum amasium nominet ac describat, ipse affirmas. An omnes falsa hac imagine per somnũ deceptas dicemus? At refellent ipsæmet Sagæ hanc nostram opinionẽ: dum vigilantes, & in campis facinus se perpetrauisse asserunt: idemq; factũ alij quoq; probant. Solent enim sæpè ex conuiuijs surgere, & è choreis paulùm secedere, ac re peracta ad socias redire. Ratio ergò tua, si maximè antecedens tibi demus, hoc solùm ostendit, fieri posse, vt infelices illæ sæpiùs viris dementent ur, vt esse credant, quod non est: quod nos certè nunquam negauimus. Hoc inficiamur, omnes hac in parte sic falli, vt nũquam ipso facto spurcitiem hanc vigilantes peragere cum

Diabolo aggressæ sint. Iam cùm nec antecedens verum sit, quid de toto tuo argumento dicetur? FVR. Melancholicum delirium esse affirmabo. ER. Idem, quod anteà dixi, ipse quoque repetam, nullum eius indicium apparere. Si, licèt nulla sese nota prodat, nihilominus adesse vel adfuisse contendas, & ea ratione pro excusatis habeas, quo, quæso te, Iure, aut qua lege alios sceleratos punies? FVR. Quia prudentes perpetrarunt, de quibus accusati fuerunt. ER. Quid si ex Melancholia se fecisse affirment? FVR. Nullo indicio eos insanijsse demonstrari potuit. ER. Cur non eadem hęc ratio in Sagis locum habeat? Equidem nec ante nec post factũ, nec in ipso facto, plerunque vel suspiciunculam reperias mentis insanæ: vt excusari ob eam causam possint, & impunè flagitiosè egisse debeant. Deindè si Melancholia laborant, quî fit, quòd inter se omnes tot iam seculis ét diuersissimis locis captæ perpetuò consen serũt? Ne fingere quidem licet hîc aliqd (si in ipsa re nihil est, quàm imago aut phantasma siue somnium) quod respondeas. Melancholici planè incredibilia sibi persuadent. Sed vix omnibus seculis duo sunt reperti, qui idem imaginati fuerint. Ex quo apertè perspicitur, falsissimum esse quod

Nunquam duo Melancholici idẽ.

quod dicitur, striges Melancholico succo obrutas narrare imaginationes tantùm & fabulas. Non enim posset inter eas tantus esse consensus: non magis, inquam, eadem cogitarent, dicerent, facerent, quàm somniantes. Profectò Diabolus vix, imò ne vix quidem, posset eadem omnium phantasijs visa imprimere, seu imagines easdem in omnibus fabricare & fingere. Non enim spiritus omnium æquè apti sunt ad recipiendum quælibet phantasmata. Quocirca cum illiusmodi concubitus tuo etiam testimonio capitalis sit, atrocioreque pœna in tales animaduertendum nobiscum iudices, quàm in alteros, qui cum brutis miscentur, confiteri omninò cogeris, nullam eis iniuriam fieri, cùm legitimè interficiũtur; nec peccare Magistratus, qui hac in parte sententiam Diuinam exequuntur. FVR. Vnum adhuc restat. Nihil enim ad illam obiectionem respondisti, quę obsessas à Diabolo affirmat, & ob eam caussam occidi iustè negat. ER. Ad hanc & alias omnes in Antiparacelsicis iam dudum respondi. Sed quid opus est respondere ad sumptiones apertè falsas, quas prudens nullus sit probaturus? quasque ipsa rerum inspectio euidentiaque refellit? Equidem obsessi crudeliter agitantur, affliguntur mise-

imaginari videntur.

Sagæ non sunt obsessæ.

miserabiliter, discerpuntur, sternuntur, præcipitantur, torquentur: quorum omnium nihil patiũtur pleræq; striges. Exempla, q̃ ex sanctis libris citata legisti, satis hoc ꝓbant, vt verba hîc fundere, actum sit agere. Deindè obsessi non constant mẽte, aut ea saltẽ vti nõ possunt paroxysmorum tẽpore. Morbis.n. excruciantur ita grauib. & acerbis, vt in exacerbationibus mente non videantur constare. Contrariũ accidit in Strigibus, q̃ & prospera valetudine vtuntur, & nullũ signum oblæsæ mentis ostendunt. Sed nec peregrino idiomate aliquando instar obsessorum loquuntur. Quid ꝙ obsessi, cùm interualla dilucida habẽt, deprecantur cum gemitu & dolore maximo, si qđ dixerunt aut fecerunt non rectè, nec consensum ꝑbuisse dæmoni lingua membrisq; eorum ipsis inuitis vtenti: Sagę tantum abest, vt pœnitere se scelerũ ostendãt, vt maximè doleant, si qđ facere optabant, perficere nõ potuerint. Quintò solent iactitare striges mirabilium rerũ peritiã, & nescio quam edendi miracula scientiam: quorum obsessi nihil sibi arrogãt. Sed nec pacti alicuius contracti cum diabolo meminere vnq̃ obsessi: nec delectati aliquando fuerunt Dæmonis præsentia: sed lõgissimè à se abesse in perpetuum ore & corde petunt.

petunt. Sagæ cōtrà amasios suos adesse lætantur, absentes aduocāt, tardantes vrgēt, aduenientes cum plausu suscipiunt: & interrogatæ pactas se fuisse vno ore omnes confitentur. Denique vix vllæ Sagæ obsessas se fatentur, cùm verè obsessi oēs tempore quietis hanc vnam rem præcipuè doleant, lugeant, deplorent. FVR. Quî posset tantum in eas scelus & tanta impietas cadere, si non possideret mentem earū Diabolus? ER. De obsessis loquebar, vti oēs cū sacris literis loq solent: cùm scilicet corpus occupauit Satan, & pro arbitrio suo ferè gubernat, agitat, equitat. Cùm mentē solam hactenus obsidet, vt ad flagitia impellat, non excusatur qui sic est obsessus, nisi oēs scelerosos absoluendos statuas. FVR. Dicā ingenuè qđ sentio, cùm de principio legi librum, putaui aliquid in eo esse solidi. Vt sic putarem, duo me permouerunt. Primum est, ꝙ vir excellēter tū doctus est, tùm prudēs & pius. Alterum, ꝙ à te rogatū sciebā, vt, si qd contra scribere decreuisset, firmioribus id argumētis ꝓstaret. Credidi igitur, eū re diligētissimè ꝑpēsa meliorib. rōnibus nixū nostrā sñiam oppugnare ausum esse. At res ipsa clarè docet, eū noui nil attulisse, sed priora repetiuisse. ER. Sic hēt res. si verū esset, quod vbiq; & ferè solùm in

hac

hac cã inculcat, Lamias propter occupatã falsis imaginibus phantasiã veras non admittere (ita profectò speculum colore certo tinctum, non recipit colores omnes: sed ingens est nihilominus discrimẽ inter speculum & phantasiam) probabiliter cogitaremus. Simile quiddam, ornatissimo & clarissimo huic viro vsuuenisse. Quia enim miseratione infelicium fœminarum motus phantasiæ hoc penitùs impresit, iniuriã eis fieri. (Nec falsus est prorsus: Nam & multę innocentes, quia à nocentibus indicatæ sunt, occiduntur: & nocentes æquo atrociùs excarnificantur) non facilè deinceps veris rationibus locum dare potuit. Verùm vt de ægris & melancholicis affirmari hoc aliquatenus potest, ita in sanis absolutè verum est. Quicquid sit, rectè à te dictum est, firmiora & meliora eum nunc non attulisse: quod mihi vehemẽter doleret, si inueniri certiùs aliquid posset. Mori enim malim, q̃ in re tanta sciens & prudẽs errare: quoniã error talis impietate summa non caret. Faxit vnigenitus & æternus æterni Dei patris filius, Dominus noster Iesus Christus, vt vnum in ipso omnes sentiamus, affectibusque positis in vnam veritatem animi oculos defixos habeamus. Amen. Cal. Iulij, anno 77.

FINIS.

*IMPRESSVM FRAN-
cofurti ad Mœnum, apud
Nicolaum Baſ-
ſæum.*

M. D. LXXXI.